


JOANNIS HENRICI BOECLERI

OPERUM,

HISTORICI, POLITICI, MORALIS, LITERARII, ET CRITICI ARGUMENTI;

TOMUS QUARTUS,

cujus contenta Syllabus Præfationi subnexus demonstrat.



ARGENTORATI,

Sumptibus JO. REINOLDI DULSSECKERI,

M D CC XII.

SERENISSIMO AC CELSISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO,

DOMINO GVSTAVO ADOLPHO,

Marchioni Badensi & Hochbergensi, Landgravio Sausenbergensi, Comiti Spanheimensi & Eberſteinensi, Domino Röttelæ, Badenvilæ, Lohræ, Mahlbergæ, &c. &c.

DOMINO MEO CLEMENTISSIMO.

Serenißime ac Celßißime Princeps,



N parte ejus obſequij, quod non dedignata eſt nuper Tua Celſitudo, hic quoque liber optat apparere: Nullo ille quidem cultu ad aulæ ſplendorem adornatus; ſed operis argumento, &mittentis animo, in ſpem admiſ-

)2(ſionis

ſionis haud difficilis erectus. Publica enim ſunt pleraque, & illuſtria, quæ nunc vel denuo eduntur, vel primum in lucem veniunt: in quibus non ingenium ſcriptoris rude, non infacunda dictio, ſed officij ex mandato & lege obeundi pietas ſpectari debet. Poterat ſane, neſcio an etiam debebat, in optatis eſſe mihi, ut, quando fortuna tam nobilis argumenti occaſiones laboribus meis ſuggeſſit, etiam pro materia, ſtilus contingeret. Verum Deo & Reipublicæ conſtat ſui conſilij ratio, quotiens eximiis quoque rebus enuntiandis, ineruditam ac indiſertam vocem adhibent. Neque Tu is es, SERENISSIME DOMINE, qui colorem & pompam ſis requiſiturus, in hoc officij genere, quod ſimplici reverentiâ offert ac dedicat animum

CELSITVDINI TVÆ

devotum

J. HENR. BOECLERI.

Lectori Benevolo

S. P.

E *Pluribus, quæ præsertim in nobilißima Argentoratensi Academiâ, ex neceßitudine & proposito publici muneris scripsi, pauca ista nunc colligi & exire passus sum: quod non mea sed aliorum interesse putarem, ne interciderent, quæ semel in jus alienum conceßissent. Immiscuere se aliqua de privatis & juvenilibus: quibus venia ætatis debetur. Scribendi ratio non semper una, nunquam autem ea placuit, quæ oratoris laudem affectaret. Sola mihi ambitio fuit eritque, boni civis officio, in iis, quæ publica ratio injungit, ex fide saltem, si minus ex decoro, fungi. Vale, Lector Benevole. Scr. Argentorati* 10. *Martij* 1654.

AD LECTOREM
PRÆFATIO.

REm literato orbi non ingratam, ut opinamur, facturi, BOECLERIANARUM ORATIONUM *Fasciculum*, cum annexis *Carminibus* & *Programmatibus Academicis*, nova editione in habitum elegantiorem adornatum, publico desiderio damus; non sine nullo tamen auctario. Nam & accesserunt aliqua, ab eâdem manu, oratoria λείψανα, quæ frustra in priore editione quæras; & adjectus est Index brevis quidem ille, qualem hoc scriptionis genus admittebat, non futurus tamen inutilis. Cùm enim ante hoc quadriennium *Dissertationum Bœcleri* Academicarum Tomum unum protruserimus, daturi mox alterum; non incongruum videbatur, prout tunc sumus polliciti, Orationes quoq; ejus eâdem formâ (nam prius minore impressæ erant) recudendas curare; eò magis,

magis, quod diſtractis pridem editionis priori exemplaribus, quicunque elegantiores amant literas, non libenter carituros his quoque tanti Viri ſcriptis, perſuaſi fuimus. Plura dicere nihil attinet. Et fuerit hoc propemodum injuriam facere Bœcleriano nomini, ſi lenocinia his conquirere curiosè vellemus. Jam diu eſt quod opus artificem commendavit; nunc ergo versâ vice ipſum artificis nomen præſcriptum poteſt in commendationem operis ſufficere; juſtius id quidem, quam Protogenis alicujus aut Apellis perfectas manibus tabulas, aut à Phidia vel Lyſippo elaboratas ſtatuas vel ſolum auctoris nomen olim pretioſas fecit. Quales cum Mummius, captâ Corintho, in Italiam portandas locaſſet, prædixiſſetque conducentibus, ſi eas perdidiſſent, novas eos reddituros, teſte Vellejo, ob ingenij ruditatem irriſus eſt. Melius nobiſcum agitur, quibus licet, multiplicatis typographiæ beneficio exemplaribus, celeberrimorum auctorum opera in publicam lucem reproducere, plurium deinde uſibus ſuffectura. Quod cùm nunc quoque in *Bœclerianis* præſtemus, tu, *Lector Benevole*, huic inſtituto noſtro fave & vale.

CON-

CONTINENTUR HOC LIBRO.

INDE SEQVVNTVR



PANEGYRICUS

Serenissimæ Augustissimæq; Reginæ Suecorum,

CHRISTINÆ,

scriptus:

Cum Regium capiti decus auspicaretur,

Holmiæ cIↄ Iↄc L.



E mireris, DOMINA, si celeberrimo Sueciæ lætissimoque tempore, quod omnis ætatis, omnis sexus ora, in laudes, grates, & variæ pietatis officia laxavit, ego quoque, infantiæ potius, quam silentii, crimen præoptavi sustinere. Meditatas quippe voces, debita æternitati opera, in gratulantium muneribus, certim ad Tuos pedes deponent, quorum ingeniis vigorem, decus, propitia quædam fortuna consuevit aspirare. Mea, elut in usum præsentis spectaculi nata oratio, satis præclasecum agi putabit, si impressum devotissimi civis animo, puicæ festivitatis sensum, absque cura & arte, apud Tuas aures, :uerit profiteri. Postquam ergo (quod in perpetuum bene ertat!) communibus civium Tuorum desideriis obsequenım putasti, ut susciperes insignia regni, cujus fortunam ıde à nativitate, onera jam à compluribus annis sustiıeras; difficile dictu est, DOMINA, quos ille dies, die-

rum hujus ævi princeps, populis amores, quæ seculo decora, quas cœlo delicias conciliaverit. Excita suis sedibus Suecia, cum in spectaculum publicæ felicitatis oculos, aures, animos intendisset; diviso inter majorum, & civium nuper adjunctorum necessitudines affectu, prolixe officiosa; nunc se assurgere, nunc florere, nunc in fastigio stare, nunc elapsi temporis præmio, & spe venturi, ex æquo frui, quia Te frueretur, animosa interpretatione reputabat. Igitur nemo erat, quem auri gemmarumque splendor, & illud longum regalis magnificentiæ spectaculum ita præstringeret, quin omni opulentia illustrius judicaret virtutis tuæ meritum, quo tanquam proprio sidere solennis hujus festi pompa præfulgebat. Numerantibus enim annos, quibus Tuum nomen Suecorum fasti præscripserunt, ubique rerum prosperarum tituli præclaraque occurrunt facinora; nec ullum tempus caruit ea laude, quæ coronis Principum decus, sceptris robur, solio perpetuitatem affert. Commoverat se fortuna Sueciæ, & sub augustissimi Parentis Tui auspicio imperioque in ea summarum rerum momenta incrementaque processerat, quæ sicuti non nisi unius inusitata indole & cœlesti mente suscipi potuisse ac gubernari, palam erat; ita quin, extincto ante patratum opus auctore, ultro intercíderent aut obhærescerent, vix prudentium quisquam sustinebat dubitare. Evenere contraria expectatis; ut is, quem perpetuatis immori victoriis juverat, Regum maximus, ubique superesse, ubique spirare, ubique certare pugnas, debellare exercitus, tueri socios existimaretur. Nam cum æternitati Suedici nominis propitia Deus sidera temperaret, maximi Parentis fato, tam felici rerum consecutione, incomparabilis fortunam Filiæ intexuit, ut ejusdem virtutis hæres, eorundem consors auspiciorum, quibus illud belli fulmen prævaluerat, inclyta puellarum, inter ornamenta adolescentiæ suæ lauro tempora cingeret, victoriis dies numeraret, patriam opibus, hominum genus beneficiis, orbem terrarum gloria impleret. Tales coronas, Tuo capiti, Domina, tuis imaginibus, antequam rerum summam capesseres, assiduo studio

studio non unius populi suffragatio decrevit, sed consensus & conspiratio quædam nationum, in quibus aliqua bonarum honestarumque rerum scientia aut cura inest. Postquam vero ætas adolescentior, ante hos sex annos, Te avitis regnis moderandis admovit, quæ ex illo tempore, proh Deum immortalem, regiorum consiliorum operumque non rudimenta aut tentamenta, sicut de novis Principibus existimari mos tenet, sed consummata specimina, sed absoluta miracula vidit ætas, excepit fama, servabit æternitas? Quo factum est, ut diadema, semper quidem generi capitique divinitus consecrato debitum, non nisi post inscriptos omnis meriti Principalis titulos reciperes, & sacra imperii pignora, quæ sorte nascendi obtinebas, virtutis insuper excellentia vindicares. Nunc ergo capit fructum aviti consilii Suecia, majorumque prudentiam laudibus in cœlum vehit, ob permissam illi familiæ rempublicam, in qua nullus à laude cessaret sexus, nullum à generoso profectu tempus vacaret. Non est opis meæ, vel recensendo commemorare, merita augustissimæ domus, cujus ex Te perpetua expectatur, ac quodam veluti votorum publicorum impetu efflagitatur posteritas. neque opus fuerit profecto, per priora distrahi, cum in Te universi generis dotes, titulosque vel natura expresserit, vel industria conjunxerit, vel fortuna cumulaverit. Quod si in imperiis, sicut in hominibus, numerare ætates, comparare incrementa fas est, cui dubium esse queat, quin hæc sit illa eminentissimi loci majestas, quam à progenitoribus elaboratam, edita ad decus & perennitatem rei Suedicæ, generosa propago perficere, atque hoc ipso rerum temporumque articulo longe lateque debuit illustrare? Faveat inclutæ gentis industriæ Fortuna: & in posterum quoque ea Suecis fata propitium Numen ordinet, quibus in oculis generis humani excellissime eminent: at enim ipsi non meliorem, sed eundem reipublicæ statum, neque accessionem regiæ laudis, sed perpetuitatem (nisi quatenus sola Te ipsam quotidie gaudes vincere) exoptabunt, Et quis ultra votis locus, ubi Deus in Regina, majestas in regno, virtus in civibus? Servet Tibi

hanc mentem, Regina, qui dedit, ut ad unum omnia auctorem referas; cujus hoc maximum munus habes, ne quem in terris auctorem appelles. Huic Te proximam regali solio, devinctam diademate, vicariam sceptro, consecratam inaugurali cærimonia, nihil devertet ab illa felicis imperii sive lege sive summa, quæ interiore commercio imperantis cum supremo Numine, omnem civilis operis vim atque successum metitur. Et sane multum à veræ rationis sensu elaberetur, si quis aliunde, quam à cœlestibus illis auspiciis arcesseret, illam indolem quantæcunque molis capacem, illas curas in ardua omnia vigiles, illa ornamenta denique coronæ Tuæ, quæ præcipuorum siderum ignes fulgore provocant, nobilitate superant. Eant Artifices in consilium de gemmarum & auri pulchritudine: studeant Mathematici decus Coronæ borealis aptare Virgini: dedicent Poëtæ in cœlo, quod Ariadna gestavit in terris. Nihil reperietur, quod vel invento vel similitudine satis dignum sit illo regii capitis vinculo, cui origo æterna, forma cœlestis, splendor divinus, majestas sacrosancta, virtus inviolabilis. Itaque videmus quidem radios tam augusti luminis, sed videndo hebescimus: secretique tam venerabilis sublimitas, privatæ mentis humilitatem supergreditur. Subvenis tamen pietati civium Tuorum, DOMINA, & cœlestis vitæ familiaritate, cum fulgentissimorum consuetudine operum, quodammodo inculcas nobis, quæ in Te ornamenta venerari, quæ miracula divinare fas sit. Et quotiens sic quoque intra metam dulcissimæ disciplinæ resistimus, parato è præteritarum rerum memoriis subsidio admoneri possumus, quantum supra usitata imperiorum atque populorum præconia, nostri temporis felicitas profecerit. Vindicata ex maximis periculis Respublica, perornata legibus Patria; emendati moribus, exculti studiis cives, defensi socii, restituti exules; prolati fines, muniti limites; conjunctæ amicitiæ, amplificatæ opes, cuncta domi forisque, pace, consilio, auctoritate, in duraturæ securitatis contextum colligata; non paucorum annorum, sed longissimi regiminis labor esset, neque Tuæ

ætatis

ætatis mensurâ, sed humani ævi spacio censeretur, nisi de illa Principe loqueremur, cui personam illustrandi sæculi, exemplo omnibus sæculis singulari Deus imposuit. Igitur operum tuorum historiam, non tractu & mora temporum dinumerabit, sed magnitudine successuum persignabit posteritas: & in virtutum Tuarum titulis semper plus intelligi debebit, quam dici poterit. Vocabulis enim uti necesse est ex communi more, sensuque hominum; prudentissimâ etiam cogitatione raro attingentium illos motus, quibus se in mentem Regiam, actumque dispensat familiari necessitudine conciliata Divinitas. Ea propter præcipua antiquorum sapientia, à verbis ad figuras & notas & simulacra, in tali negotio confugit: ne quid cognoscentis otio ac sollertiæ subductum, aut alieni culpa ingenii stilive detritum videretur. In quo censu plurimum veneramur, atque iterum, iterumq; aspicimus. DOMINA, illa ipsa festi pariter, ac imperii Tui instrumenta: illam coronam, quæ Tuo capiti sanctitatem, gloriam, perpetuitatem, circumposuit; illud sceptrum, quo Tua manus regaliter invaluit, exsplenduitque; illam chlamydem, cui cum Tuo corpore se involverunt mysteria securitatis publicæ; illud solium, in quo, tanquam in consecrata sede, sacra regni, & verenda majestatis pignora recumbunt. Huic me advolvi patere, DOMINA, & ingenuâ imbecillitatis confessione defungi: qui optaveram sane, & decreveram publica voce effundere, Tui meriti & meæ pietatis vocabula; denique, quidquid id est, quod civium Tuorum animis hujus temporis solennitas ingeneravit: sed quæ confertim cupiunt erumpere, exitum sibi suopte impetu intercludunt; neque disponere officii rationes aut partiri potest ingens lætitia, quotiens cum pari reverentiâ conjungitur. Itaque parum abest, quin conticescerem: nisi me ab solicitudine ad securitatem quandam revocaret, incredibilis illa humanitas, quæ ad cæterarum virtutum Tuarum penetrale aspirantibus promta occurrit, & benefica admissionis magistra. hæc mihi tacite videtur polliceri veniam, si præsidium à licentia potius vulgi, quam ab eruditione sapien-

pientum mutuatus ausim credere, inter studia & officia hujus temporis, non tam factis elaboratisque orationibus, quam indigestæ simplicitati acclamationum, quibus omnia festive personant, suam quandam gratiam inesse. Nam qui eloquentiam aut artem Tibi nunc imputant, DOMINA, delectationi Tuæ, aut famæ suæ inservire student. At vero civibus Tuis naturale cum sensu tuo commercium facile persuadet, nihil gratius Optimæ Principi acceptiusque fieri posse, quam si Regiæ voluntati effusæque indulgentiæ securâ & liberâ fruendi gaudendique cupiditate respondeant. Impertivisti Te publico, DOMINA, neque magis aureo, argenteoque elegantissimorum nummorum imbre corpora perpluisti, quam opulentiâ benignissimæ civilitatis animos hominum perbeasti: ut omnium rerum immemores, nihil aliud, quam dexteram tuam appressis fatigare osculis, faciem insatiabilibus oculis perlustrare, nomen cœlo ferre; coronam, voce, gestu, ac pæne tripudio adorare plus quam cupiamus. Equidem in hoc animorum exultantium motu, ex infinitis, quæ se simul offerunt, laudibus Tuis, nunc excelsi magnitudinem animi, nunc generoso plenam spiritu sapientiam, nunc fidem, justitiam, gravitatem, continentiam, moderationem concinimus: & per nomina captu nostro majora acti, sæpius tamen ad facilitatem, beneficentiam, liberalitatem, quibus nos propius quodammodo respicis ab illo fastigio, revocamur. Sicut enim unius ejusdemque solis, præcipuus quidem splendor, eminentissima pulchritudo est, cum è cœli altissimo vertice subjecta despicit; facilius tamen aspicitur, & jucundius nos afficit, cum propiora terris lumina partitur: ita virtutis regiæ, semper sibi similem, semper nobis venerabilem majestatem, modo difficilius ex humili & longinquo intuemur, modo in viciniora submissam toto gaudemus vultu excipere. Quamquam, quid opus est, orationi talia prætexere discrimina laudum? quæ cum omnes sint maximæ, vel silentio oportet eas venerari, si par facundia quæritur; vel pietate promiscuâ eloqui, si una officii ratio spectatur. Quocirca, cum ob merita

Tua,

ıa, primum quidem DEO, deinde Tibi gratiæ ſunt a-
ndæ, DOMINA, ſatis præclare confidimus, non verba à
›bis expectari, quibus parum utique valemus, ſed animum
igi, quem ex aſſe debemus omnes, dicamusque. Hinc eſt,
ıod ſummarum rerum nomina, non temere quidem, ſed
›ere in ore habemus; quod de pace belloque, de repu-
ica denique, cujus arcana ſcrutari nefas arbitramur, inno-
os ſermones cædimus: quod præcipere liberis, tradere na-
›nibus, dimittere in ſæcula concupiſcimus; contigiſſe no-
s Principem, cui Deus auſpicio, cœlum favore, natura mi-
ſterio, orbis applauſu, regii decoris palmam decreverint.
nimadvertis dudum, DOMINA, in ipſa oratione mea, il-
s vices fluctusque animi, modo in officium affectumque
umpentis, modo conſcientia virium verecundantis. Quam-
ıam ne ſic quidem teneri poteſt ardor noſter, quin ſpeci-
ina operum Tuorum, utut ſupra omnem commendatio-
em conſtituta, ſigillatim geſtiat interpretari, & objicere
ımano generi magnarum cogitationum materiem, in qui-
us me pridem ſentio deficere. Quis enim penitus aſſe-
ıatur animo, aut digne verbis explicet, vel unicum illud
acis Quietisque Publicæ ſtudium, quo cœleſtis animi fi-
em, ſæculo; interioris neceſſitudinis obſervantiam, Deo;
eneficam civilis animi prudentiam poſteris, immane quan-
ım approbaſti. Nihil de Danica Pace dicam; unde im-
erii Tui primordiis auſpicatum omen acceſſit: nihil de iis
bus, quæ in poſterum ſub exemplo, non ſpe modo pru-
entum expectantur, ſed gratulatione & votis idem cupien-
ım pæne præcipiuntur. In ſolâ Pace Germanicâ, quan-
ım eſt miraculi? Invitabat Te ſingularis armorum felici-
s, ut fortunæ affluenti ſinum panderes: ſtabas in eo gra-
ı, unde Te vix auderent revocare, qui incrementis Tuis
rio faverent. Nihil erat, unde plus periculi, quam ſpei
tenderetur. Quibus altior Reipublicæ intellectus & cu-
inerat, neſcio quid fatalis in bella hortamenti agnoſce-
ınt, in numero & præſtantiâ Ducum: quos Tibi, & in Tua
epublica natos nullius hoc ævo in orbe terrarum populi
exem-

exempla videbantur æquare. Nec ignorabas, DOMINA, quam accurate ratiocinarentur, qui ita judicabant. nisi quod aliam Tibi mentem inspiravit, qui supra mortalem sensum captumque, à profuturis noxia disterminat, sæculique moribus Tuum candorem, prudentiam, consilium supervehit. Imposuisti ergo tot bellorum successibus gloriosum diem; & restituta plurimis late populis Pace, supra omnium tropheorum gloriam evecta, Victrix sæculi, Pacatrix nationum, multo concentu, domi forisque inclamaris. Hæc comitiorum Holmiensium ornatissima vox; hæc inauguralis festi dulcissima vociferatio; hæc litterarum, hæc nuntiorum ex dissitissimis locis conspirata, ut sic dicam, jactantia, singulis pæne momentis aures Tuas personat, DOMINA. Et quam cuperet, si sedibus suis exciri posset, idem facere Germania universe, quod partim facit per interpretes: ut Pacificam dexteram osculo veneraretur, ut apud solium Tuum, laudes, grates, obsequia, tanquam corollas, qualicunque munere dedicatet. Utinam mihi fas esset, gentis clarissimæ, fideque & armis vel hostium judicio celeberrimæ, intimos sensus enuntiare, ac devotæ Tibi pietatis impetus stilo signare. Melioribus utique, quam ego consequi possum verbis, candore autem supra omnem invidiam posito, forte in hunc sensum ordiretur: Vivas, ô Regina, & imperes, & Germanis semper faveas! cum quibus tot vincula Te conjungunt, ut Deus hominesque duraturi fœderis fidem sancivisse videantur. Ex quo enim intricatis domesticâ discordiâ rebus nostris Suecorum arma intervenere, quid non vidimus divinorum operum, sive verius dicam, miraculorum? Jacebat ingentis corporis pars generosior, & libertatem, religionem, penates, excidiis, infamiâ, cruciatibus luere, promtius jam volebat, quam poterat. Verumenimvero, ut primum fulsere ab Aquilone auspicata Suecorum signa, momento immutatâ rerum nostrarum facie, conclamati reviviscere, & qui exsurgendi curam amiserant, suscitari cœperunt. Quippe Gustavi Illius Magni invicto Marte, terror hostibus, disciplina sociis, salus oppressis, uno eodemque tem-

pore, veluti transcursu & festinatione fatorum, accesse-
int. Plena erant omnia laudibus, gratibus, votis in
roem Liberatorem, incredibile quo animorum studio
gestis. cui tot nominibus debitores, unum mallemus
debere beneficium, profusi inter nostra arma & suas
torias sanguinis. Successerunt mox Tua auspicia, in
dem fatorum & adversus nos meritorum seriem: sed
ntinuatione ipsâ bellorum eo tandem miseriarum veni-
s, ut post triginta amplius annos, non quærendum
bis de optimo Reipublicæ statu; sed ut omnino habe-
nus Rempublicam, enitendum videretur. In hoc re-
n articulo, ubi Pax unice nobis necessaria erat, depre-
nsos à fortuna nihil erat, quod sublevaret: alteris nul-
Pacem serio cupientibus; alteris per speciosa & irrita
cis nomina eludi detrectantibus. Qui animorum ha-
us multo magis res nostras diverse traxit, postquam in
o tandem negotio tot moras tracturo compertum est,
nper easdem recurrere consiliorum vices, neque expe-
i posse animos ambagibus pertinacis propositi implici-
ac irretitos. jamque desperari cœperat successus rei to-
s orbis expectatione aut tractatu agitatæ: cum præser-
potissima consiliorum publicorum arbitra Fortuna tam
tenter tuo Marti suffragaretur, ut coram genere huma-
Tibi bellandi vel caussam, vel, si moribus sæculi li-
ret uti, speciosissimum titulum, ultro videretur obtu-
e. Qui fuerit tum miseræ Germaniæ metus, paucis
quit enarrari: neque adeo nunc attingeretur, nisi per-
eret ad augendam beneficii Tui amplitudinem, DOMINA,
o triumphum omnibus armorum successibus nobiliorem
portasti. Necessitates enim & preces nostras tuo juri,
s utilitatibus prætulisti, paceque factâ, cum bellum Ti-
fructuosius nemo non judicaret, certum perennis glo-
fructum, cum maxima quidem spe, sed quæ tamen
certa fortunæ reciperet; generose permutasti. Cujus rei
scipe quæso hunc quoque in primis fructum, quod ante
ssa in partes & contraria studia Germania, nunc Tuo mu-

nere, ſibi concors, Tibi benevola, regali tuo ſolio, communi voto & certamine gratulandi, precatur proſpera, ominatur glorioſa: atque, dum alii hoc inaugurale feſtum tuum ornant illuſtrium victoriarum titulis, ipſa arcum triumphalem Tibi dicatum incomparabili Pacis Germanicæ elogio inſcribit, Teque, Domina vivere, quod ab initio dixi, & regnare, & perpetuâ felicitate florere, optat. Loquor hactenus ad mentem Germanorum; quam exprimere totam, & præſertim effuſiſſima gaudia, ac ineffabiles de Pace triumphos deſcribere, ſupra meas vires poſitum intelligo. neque facile talia concipiuntur animo, niſi ab iis, qui interfuerunt; quique non tam oculis auribusque ſuis, quam reciprocæ animorum agitationi, & concitatis mutui ſenſus affectibus crediderunt. Erit mox tempus, cum ex profundâ tot malorum nocte emerſis, ſubinde lubebit reſpicere priſtinas miſerias, & dulcedinem ſerenioris cœli ex tempeſtatum antegreſſarum fœditate colligere, ac decoris ingeniis interpretandam commendare. Interea Deus Tibi, quam mereris gratiam referat, Domina, tuisque temporibus, tuis regnis longe avertat illa calamitatum prodigia, quibus Tua Pax Germaniam liberavit. Contingat Tibi ſecura proſperitas, careantque invidiâ Fortunæ, incrementa imperii Tui: cui ad ſummum in terris nomen nihil deeſt, præter perpetuitatem. Hanc quoque abunde præſtabit civium fides, ordinum conſenſio, Senatorum prudentia, exercituum virtus, & amica Deo indoles Tua, ô rectrix juſtitiæ & æquitatis, ô repertrix melioris vitæ, fundatrix pacis, anima regnorum, ſpecimen Reipublicæ, miraculum orbis terrarum. Iterum Tibi Deus referat gratiam, Domina; cujus non modo virtutibus Patria attollitur, ſed conſiliis poſteri ſuſtentantur. neque enim ſatis habuiſti fortunam optimi ſtatus ſemel repræſentaſſe, niſi munus Tuum fulcris inſuper confirmares, ſubſidiis emunires, ſerie propagares. Accenditur ergo de Tuo lumine nova Sueciæ lux: radiisque majeſtatis Tuæ in Celſiſſimum Principem CAROLUM GUSTA-

USTAVUM pertingentibus, Regiæ Domus diuturna, erpetuique splendoris successione nobilitanda posteritas romittitur. Applaudit pulcherrimo operum Tuorum huanus orbis: Teque ita legisse successorem è domo, jucat, ac si ex omni Principum numero fuisset requirenrs. Fuit hoc felicitatis Tuæ, invenisse in propinquis, qui gnissimus esset; virtutis, non tanquam propinquum elesse. Nulla Regibus interior adversus quemquam necesudo, quam cui virtus & amor Reip. auspicium facit: ptimique Principis judicio non nisi optimum successorem estinari consentaneum est. Qualem cum Tibi Deus forasset, maximarum administratio rerum approbasset, noisti imperio tantam spem, Tibi tam illustrem gloriam, incipi tam nobile præmium diutius debere: sed repræntato statim Patriæ beneficio, solicitam eorum prudenm coarguisti, qui in successore nominando nec suis, nec enis moribus credere audent. Effecisti, DOMINA, ut austa coronæ Tuæ pulcritudo liberalius cerneretur, cum in ntigua imagine fulgorem geminaret. quali fere inter sira necessitudine, Sol nitorem suum Lunæ affundere, Lu Soli amat refundere. O quantos illa, ut sic loqui perm, præcipuorum siderum conjunctio & societas, Suee triumphos, quanta pollicetur beneficia? Erat hactenus dere voluptatem, quâ in terris nulla illibatior; Filiam & atrem sanctissime inter se amantes, accuratissimaque ofiorum & obsequiorum assiduitate, dulce cœlo spectalum, novum sæculo exemplum apparantes. nunc Tertium cedit pignus illustrissimæ necessitudinis; in alteram parm adjumentum ferens; in alteram solatium geminans; in ramque, decus, gaudium & unicæ pietatis affectum disnsans. Gratulatur Tibi, quantum est ubique Principum, Maximi Regum Conjunx, ô Reginarum Optimæ Mater; atulatur Tibi de muneribus suis ipsa Fortuna, gratulatur ma; cui jampridem cordi est, acceptam ex ore regnantis iæ tesseram OPTIMÆ MATRIS reddere per populos, adorre per ætates, per monumenta passim consecrare. Deus,

qui senectam Tuam gloriâ lætitiâque hujus festi immensum beavit, ac veluti coronavit, propria velit hæc bona Filiæ, Tibi, Regiæque toti domui: cujus incolumitate salus Sueciæ, non sine numine fatoque singulari fundatur. Atque hactenus quidem Tuam coronam, DOMINA, Deus hominesq; studuerunt exornare: superest, ut Tuis Ipsa ornamentis faveas, gloriæque immortali, ad quam Te fata ducunt, auctoritatem præstes. Nihil attinet, usitata enumerare nomina malorum, quibus fortuna Regum & patet & sufficit. neque genium nostri temporis accusare convenit, quod Principibus veritatem, innocentiam, ceteraque præstantis imperii instrumenta, invidere ac tantum non suffurari videtur. Jactaverit se terrarum alibi, pervicax malarum artium impudentia. irrepserint in secreti Principalis penetralia; suas merces pro nobilibus gazis venditarint; suos colores inter insignia imperii eminere cupiverint; catenis servilibus, tanquam ornamentis, animas ad regnandum genitas irretire studuerint. Tibi, DOMINA, à teneris statim annis detexit has labes ac exosas invisasque fecit, altioris & inviolati firmitudo animi: detegetque ac profligabit porro ab oculis Tuis, melioris per Te vitæ conditor; cujus sacramento Te vidimus rogari, virtute inungi, gladio armari, vexillo instrui. His cœli regnique pignoribus debetur unicum adversus insidias, nullâ humanâ ope ceteroquin satis evitabiles, consilium præsidiumque, Principis cum supremo Numine familiaritas. Nugantur enim, qui constantiam, & immobilis animi perpetuum tenorem, à mortali principio arcessunt, studiisque imputant civilibus. non est caducæ originis illa fax, quæ igne non perimendo, lumine non agitando, efficacia non diminuenda, ad similitudinem & naturam cælestium siderum suosq; natales, pertinaciter allevatur. Fulgebit talibus flammis in perpetuum Corona Tua: nec septentriones tantum nostros, sed totum, quaqua patet, orbem illuminabit. Fulgebit; & civibus Tuis claritatem, regnis splendorem portendet. Fulgebit; & Principibus specimen æternitatis, nationibus felicitatis regulam præmonstrabit. Fulgebit, & jam nunc hisce

studiis

diis in umbrâ educatis, læto Regiæ voluntatis omine af-
gebit. Ah! quid peto, DOMINA? quid me tantis rebus
ſceo? Deprehendit me Tuum lumen, præſtrictaque of-
ii, quod molior, facultate, dubitare me fecit, ſi forte ſatius
ſſet, è longinquo benefica luce illuſtrari, quam emiſſos de
oximo radios non ferre; atque in medio venerationis ſo-
nnis opere, non voce, non animo ſatis competere. Non
enitebit Te tamen, DOMINA, ſalutarem deficienti manum
orrexiſſe; & ad fortius conandum, ſuccumbentes ſuo oneri
res Regia indulgentiâ inſtauraſſe. Nec indigna tuis titu-
petimus, ô REGNATRIX AUGUSTA, ô BENEFICA
ONSERVATRIX!



II.

ORATIO

Ad SERENISSIMAM

REGINAM,

Habita XXVII. Decembris cIↄ Iↄ c XLIX.
Die ſcilicet Natalitiæ Feſtivitatis tertio, cum è
Templo in Auditorium Guſtavianum Academiæ Ubſa-
lienſis concedere dignata eſſet. in qua de hymno Ange-
lorum genethliaco, eaq; occaſione, de Poëſi
ſacra diſſeritur.

POſtquam animadverti, SERENISSIMA AC POTENTIS-
SIMA REGINA, Tibi placere, ut verba coram
Te, novus civis ac ſervus tuus facerem; optavi ſa-
ne, ut mihi digna Tuis auribus; digna feſto tem-
pore, quod agitatur; contingeret oratio: in qua vel ob-
ſequium dicentis, vel electio argumenti, poſſet eniteſcere.

nam ut Tuos nutus observarem, ab ultimis pæne Germaniæ finibus huc profectus sum; & sapientiam Tuam, qua licet, æstimanti abunde constat, nihil apud Te, nisi exquisitum ingenio, elaboratum opere, adornatum verbis (quarum nulla mihi rerum facultas est atque copia) afferri oportere. Sed quæ duæ res timorem animo curamque principio incutiebant, iis me sublevari, Domina, & in præsens adjutari sentio. sive Tuam virtutem cogitare, sive temporis reputare sanctitatem fas est. Quis enim nescit, quantam prudentiæ Tuæ partem constituat humanitas, & insita divinæ cujusdam indolis moderatio, quæ nec infantiam alloquentium aspernari, nec ignorantiam odisse, hæsitationem vero ultro solet confirmare. ut propemodum credam, bene apud regias aures dicere, qui de bene dicendo minimum est solicitus. Sollennium vero celebritas sacrorum, quibus per hos dies publica Ecclesiæ pietas occupatur, quamvis habeat res miraculo tremendas, mysterio arcanas, verbo ineffabiles; non excludit tamen simplicitatem admirantium, sed invitat: nec balbutiendi conatum repellit, sed arrogantis eloquentiæ deprimit fiduciam. Primi sunt, qui nato in terris Deo, ad audiendum canticum novum, quale humanis auribus nunquam auditum erat, excitantur, Pastores: primi non auditores modo felicis miraculi, sed spectatores, imo præcones fieri jubentur. Ut magnum esse intelligerent, quod nuntiabatur, gaudium; quodam disciplinæ ordine ac per gradus, primo natum sibi Servatorem cognoscunt: mox modulatis Angelorum carminibus ad prosperitatis tantæ arcana stimulantur: inde, accedunt propius, salutis suæ pignora oculis usurpant, contrectant manibus, denique correpti spiritu gaudii nuntiati, gaudii decantati, gaudii perspectati, in officia gaudentium ac nuntiantium plena pietate properant, & quodammodo de pastoribus Evangelistæ rediguntur. Fiunt hodie, quæ sunt heri facta, circa eum, qui & heri & hodie, fuit & est & erit, unus semper, unus ubique, unus omnia. Sonat adhuc in auribus nostris vox beati carminis, quo cœlestes chori *DEO gloriam, terris*

pacem, hominibus bonam voluntatem ſive gratulari, ſive
ecati ſunt. Ex hoc argumento, quod non ſapientia pro-
nde meditantis, non calamus velociter ſcribentis, exequi
oteſt, ritu paſtorum ſimpliciter cogitantium fortean li-
bit nobis aliqua repetere. Certe, ſi hoc me ſolatio
teris acquieſcere, DOMINA, audebo ſermonem ingredi de
cra & divina illa Poëſi, cujus ſpecimine, venerandum An-
elorum carmen, inter tot alia cœleſtia monumenta, exi-
ie æſtimari debet. Neque alienum fuerit, opinor, Prin-
pi, ſacris præcipue nunc operanti, omnis cæremoniæ re-
gionisque formulam acclamare. & in ſeceſſu Academico,
ihil contra ſtrepitum aulæ magis decore auditur, quam
lius quietis jucunditas, cui eximias Deoque devotas men-
s cœleſtis muſicæ concentus attemperat. nam de ingenio
uo, DOMINA, ad poëticæ & muſicæ, id eſt, ſecretioris ac
erfectioris virtutis congruentiam adornato, reverentius ta-
uero, quam dixero. niſi quod oratio mea, aliquem ſibi
onſtantis atque conſentientis naturæ habitum, quatenus
nateriæ nequit conſonare, à contemperatiſſima indole Tua
nutuabitur. Solent Poëtarum doctiſſimi originem ſuæ ar-
is operisque ad Deum referre auctorem, neque alio quam
œleſti ſe incaleſcere ſpiritu, vigere motu, rapi affectu,
uotiens numeris illigari ſapientia amat, arbitrantur. neque
n tali mendacio, nihil veri eſt. Quod enim modo A-
ollini & Muſis, modo Deorum Dearumque aliis vana
erſuaſione tribuitur, quin revera divinæ opis ſit, atque il-
um conſenſum concentumque, illam, quæ felicius Græce
licitur, harmoniam, quodam divinitatis ſimulacro in natura
erum, in artium genio expreſſam, conſequatur, ne dubi-
are quidem fas eſt. niſi quod ſanctitatem hujus officii va-
rie corrumpi videmus, ignorantia, errore, depravati libi-
line animi. Quorum nihil uſu poteſt venire in Poëſi, quam
cum perfectionis nota ac excellentiæ, cœpimus vere ac pror-
ſus *ſacram* appellare: ab ipſo ſcilicet ſancto profectam
Spiritu; in mentibus ſanctorum hominum aut Angelorum,
tanquam in temperatis ad cœleſtem harmoniam organis e-
labo-

laboratam; in illustrissimis Sanctarum Scripturarum monumentis, velut in tabulis, omni auro, omni cedro longe pretiosioribus descriptam atque promulgatam. Hæc est illa vis divina, quæ, ubi mentes sibi dicatas, suo lumine illustravit, sua agitatione impulit, sua congruentia composuit, panduntur oracula veritatis, finiuntur moduli sapientiæ, numerantur incrementa salutis. Quamquam, quid describere conor virtutem, supra omnis eloquentiæ vocabula constitutam, quæque una & sola est sui ipsius interpres? Tua, Domina, cœlo cognata mens, divinisque per pietatem proxima instinctionibus, ex illis quæ dicam, satis intelliget, quæ dicere nequeam: veniaque & indulgentia isthæc qualiacunque minime subtilium rudimenta cogitationum, quod sæpius orandum mihi video, dignabitur. Quotiens ergo in tremendum illud æternæ arcanum sapientiæ, cum veneratione summa ac demissione animi intuebar, offerebat se interius quoddam Dei cum sacratis mentibus commercium; quas non tantum ut benignus hospes habitaret, sed ut ignea æternaque vis, efficaci, nec mortalium vel voce, vel sensu, æstimando motu, suæ sanctitatis mysteriis imbueret, sui amoris flamma succenderet, suæ virtutis spiritu agitaret, suæ fœcundaret totas ac impleret bonis gratiæ! Hinc videbam emergere salutares concitati pectoris impetus, emicare pietatis accensæ fulgura, oriri denique carmen majus carmine: in quo syllabæ omnes, ut sic dicam, spirarent, verba procurrerent, oratio non tam diceret quam ageret. Jam Moses aliquis, plenus hoc spiritu, qui Poëtam divinum facit, qui Poëta ipse est, coram cœlo & terra, coram universo rerum, miracula Dei in oculos, in aures, in animos humani generis, summa cum majestate, nec minori cum terrore inculcabat. Vocem Domini, vocem tonitrui repræsentabat carminis indoles: qua orbis concuteretur, sylvæ trepidarent, homines metu obtorpescerent. Jam Jobus aliquis, astra matutina loquebatur, recessus naturæ ac vires excutiebat, terrebat impios, semet ipse cum suis committebat afflictioni-

bus

s veluti prælio: in quo dum militat, dum pugnam ſus-
iet, aut profligat, aut mutat, aut detrectat; ingens præ-
it ſpectaculum vincentis in ſuccumbente Spiritus, quo
:aluerat, ut pugnaret, quo convaluerat, ut reſurgeret. Jam
ıvidis alicujus anima, cum illo animaretur Spiritu, qui
primordio mundi aquis incubabat, qui congeſta rerum
nina in frugiferæ facultatis ſeriem fœcundabat, qui in
edio Sanctorum, animos hominum in harmoniam, har-
oniam in carmen, carmen in cantus temperabat: quid
on aſſequebatur magnitudine cogitationum, quid non imi-
batur affectu, quid non repræſentabat lyra? Evolabat in
blime cum aquilis, æternoque Soli ſuos approbabat fœ-
s: audiebat jubila Angelorum in cœlo ſonantia, atque
terris ea, quadam quaſi vi reciproca, reddebat, reſona-
t, æmulabatur. nunc elementa, tempeſtates, terras, ma-
ı, montes, valles, dies, noctes, totam cum ſua familia na-
ram advocabat; ut Deum laudarent, Deo exultarent; Deo
overentur, Deo quieſcerent; Deo gauderent, Deo trepi-
rent. modo intra ſe collecta vel amore Dei ſui flagrare,
l deſiderio liqueſcere, vel complexu adſtringi voluit.
odo plena Spiritu, à quo exulare interim videbatur, cir-
ımibat per plateas, & plangebat; ſedebat in tecto, ut paſ-
r ſolitarius, & mærebat; voluebatur in lecto, & lacryma-
m imbre madeſiebat. gemebat, cum columbis; minurrie-
bat, inter palumbes; inter noctuas, vagabatur; inter i-
as terribiles belluas, inuſitato ſummæ conſternationis ſo-
tu, cum leonibus rugiebat. Has edoctus voces, Patris
rmen continuavit Filius: cujus canticum, ſumma canti-
rum, decus canticorum, canticum denique canticorum
erito appellatur. Quid hic familiarius Spiritu, quo di-
nus Poëta incaleſcit? Sponſus eſt. quid felicius anima,
iæ commercii tam beati ſecreto gaudet? Sponſa eſt. a-
at Sponſus; liqueſcit Sponſa: loquitur Sponſus; Spon-
recreatur. Quærit ut abſentem, qui ut ſemper præſens
ſet, Sponſus dici voluit. invenit, ut quærat: ut inveniat,
ıærit. currit Sponſus: Sponſa, ut currat, trahitur. Quid

non affectuum, quid non artium, quid non lusuum, ille amor habet, quo nihil sanctius, nihil amicius, nihil flagrantius? Denique panditur cubiculum illud nulla humana ope factum: in quo inter oscula caritatis, sanctitatis, salutis, nuptiæ nullo fine terminandæ celebrantur. Neque adhuc cessat divina Poësis: cujus in æternitate usus consummabitur. hic, inquam, audietur, indefecta Angelorum voce decantandum carmen, quo æterna & ingens Dei Sanctitas, cujus charactere summum quondam sui populi sacerdotem insigniri, cujus majestate templum nomini suo extructum consecrari, cujus spiritu pectora servorum suorum impleri, linguas gubernari, carmina concinnari voluit; per choros, per intervalla, per concentum, trina vi, trina suavitate, sempiternum deprædicabitur. Inter hæc divinæ sacratissima Poëseos mysteria dum versor, fas erat respicere ad humanorum operum carminumque specimina, &, an simile quicquam, vel Græcorum rotunditas, vel Latinorum eruditio haberet, exquirere? Consideranti ergo gravitatem Pindari, metienti numeros Flacci, annotanti quicquid in Homero inimitabile, in Virgilio exactum, in ceteris perfectum vulgo celebratur: plenissima fides facta est, nihil posse reperiri, quod vel incomparabilem labii sancti profunditatem, vel compositionis spiritum, vel apparatus magnificentiam, vel varietatis artificium attingeret, nedum adæquaret. Licet enim in humana quoque Poësi animadverterem aliquid divinioris beneficii & artificii: nullo id tamen modo poterat comparari cum carminibus, quæ à præsentissimo Spiritus divini magisterio suum spiritum & vigorem; ab ipsa sanctissimæ veritatis indole suam quandam majestatem acciperent. Etiam de numeris & metro, quod varie alii texunt, alii retexunt, ita sentiebam: non tam pedum dimensione definiri, quam pietatis sensu, quanta sit in numeris sacris harmonia, quanta vis, percipi oportere. neque enim alium in toto hoc negotio tulerim judicem, quam qui Spiritu ejus Poëseos, quam legit, incalescat; qui carminis non argumento minus, quam structura movea-

oveatur. cum præsertim illud eximium ac singulare hæc
ocsis habeat, ut animos à terris & viliorum cura rerum
bductos intime afficiat, purget, rapiat, incendat, conti-
:at, atque in ipsa, ut sic loquar, carminis metra dulcis-
nis vinculis innectat. Nulla vitæ sors, nullus tempo-
m status est, nullus fortunæ casus, cui non levamentum
de aut adjumentum accedat. omnes animorum affectus
mperat, omnia pietatis momenta dispensat, omnem di-
ni commercii disciplinam instillat, domina mentium, ma-
stra religionis, officina gratiæ. Verumenimvero satis
imadverto, unde mihi recedendum sit, si velim progre-
: atque, ad quid prævertendum sit, si exorsa suum de-
:ant finem indipisci. Properat enim oratio mea ad æ-
rnum, nec minus tamen huic festo solenne Angelicarum
entium carmen: cujus imago Prophetæ per revelatio-
:m, exemplum Pastoribus per communicationem innotuit.
udiamus choros alternantes, resonantes hymnos, odas tri-
rtitas. *Sanctus Dominus.* cujus gloria ante sæcula, omni-
us sæculis argumentum fecit: cujus in formando homine
pientia, in servando bonitas, illustribus operibus, inusita-
s miraculis, venerandis mysteriis continuata, cœlum gau-
o, orbem salute replevit. *Sanctus Dominus Deus exer-
tuum: pleni sunt cœli & terra gloriâ ejus.* & dicat omnis
ilitia cælestis: *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax,
ominibus bona voluntas. Sanctus Dominus.* qui violatam
humano genere sanctitatis suæ imaginem, indictum no-
ini suo bellum, non excidio finivit, sed misericordia re-
onciliavit: qui profanatæ infirmitatem naturæ, sanctis-
næ necessitudinis commercio repurgavit, & in possessio-
:m bonorum, quæ soli videbunt sancti, restituit: qui
ım terra cælum, cum homine divinitatem æterna pace
opulavit: *Sanctus Dominus Deus exercituum: pleni sunt
rli & terra gloriâ ejus.* & dicat omnis militia cælestis:
*loria in excelsis Deo, & in terra pax, hominibus bona
oluntas. Sanctus Dominus.* qui discordes sibi, discordes
niverso rerum mortalium mentes consensione purissima

 colli-

colligavit: qui amores, gratias, virtutes, in decus & honestatem humani generis instauravit: qui cœlestium sensu munerum pignorumque, servatas denuo terras imbuit: *Sanctus Dominus Deus exercituum: pleni sunt cœli & terra gloria ejus.* & dicat omnis militia cælestis: *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax, hominibus bona voluntas. Bona voluntas*, pacis tutela, Dei gloria: *Pax*, gloriæ Dei sacra, bonæ hominum voluntati auspicata: *Gloria*, plena pacis, plena benevolentiæ muneribus. Gloria sancta, Pax sancta, Benevolentia sancta. quia *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum: cujus gloria sunt pleni cœli & terra.* & dicat iterum militia cælestis: *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax, hominibus bona voluntas.* Vix attinguntur, SERENISSIMA DOMINA, quibus immorari deberem, si materiæ, si tempori obsequendum esset. Quis enim dubitet, quin auribus Tuis unice gratum sit carmen, sapientiæ formulam, felicitatis summam, festivitatis sollennis lætitiam, & Tui insuper sæculi fortunam, sanctissima rotunditate complexum? An aliud nuper publicis supplicationibus argumentum, Deus & Tu decrevistis, DOMINA? Ille Pacem Tua opera destinavit orbi, qua nulla post Augustam pacem, nascenti in terris Christo sacram, in memoriis rerum occurrit illustrior, amplior, gloriosior: Tu, ut oblatam tam potentibus auspiciis sæculi Augustei consuetudinem pari animo fatoque impleres; Angelici muneris imitatrix, DEO gloriam cecinisti, terris pacem promulgasti, homines bona voluntate imbuisti. ex quo intelligi potuit, necessitudo Pacificæ Reginæ cum Christo Pacis Principe. cujus anniversario Natali, nuper Natalem Pacis, multa cæremonia celebratum, certantibus quasi cum Angelici carminis argumento, hominum studiis applausibusque, præludere jussisti. Gaudebunt semper Tua consuetudine, Serenissima DOMINA, cœlestes illi Spiritus: sive, cum Tuis itineribus comites ibunt, sive cum operibus adjutores, virtuti fautores, securitati custodes præsto erunt. sed nunquam libentius suos cum Tuis sensus conjungent, quam ubi

longam fatorum Tuorum seriem, quotannis in posterum claudet vel ordietur illud carmen, quo lætius nullum le à primordio sui muneris ac divinæ Poëseos cantarunt cantabunt. Animadvertis, DOMINA, me trahi in gitationes, nullam in præsens explicationem habituras. id od & alias mihi accidere sentio, quotiens de regia matate Tua, de regia virtute, de fatis regiis in piam reventer meditationem me intendo. Equidem statim Poë quiddam simile patior: commovetur animus, incalescit, pitur, & sentit aliquid altioris auspicii, cui se permitre, impense concupiscit. sed in ipso conatu (sive is nonim ematuruit, sive naturæ humilitas attolli vetat altius os motus) retardari soleo atque cohiberi. itaque ad simicitatem illam redeo, cujus exemplum semel orationi eæ subsidio comparatum volui. Et nunc iterum, ne uis putare possit, nefas esse, de sublimibus humilia, de randibus tenuia loqui, ecce Tibi carmen vere excelsum, ere augustum, quod Virgineo ore, Spiritu autem divino ecantatum, omnis incrementi fastigiique summam & lauem, elogio modestiæ ac demissionis animi definit. Nunaverat & fecerat Deus ingentia, & mira, & nova, Virini Deiparæ. quibus magnifice celebrandis intenta, ***humiitatem suam Deo cordi fuisse***, ***neque alios potius***, ***quam huiles divinitus extolli***, suavissimo orationis compendio arumentoque cantillat. ô quam excelsa est humilitas carminis, cum quo nulla comparari Poëtarum grandiloquenia potest! quam illustris est simplicitas verborum, quæ liscenda pueris, meditanda Sapientibus, divinus Scriptor ommendavit! Sumet ex his vocibus paulo post eminenis materiam hymni, in nativitate Prophetæ Filii factus Propheta Pater: atque libertatem, præsidium, fiduciam, ionestatem, partu virgineo quæsita, ac in humanum orbem diffusa, prædicabit: adeoque per hæc, ante Angelos, ed cum Angelis, ***DEO gloriam***, ***terris pacem***, ***hominibus bonam voluntatem***, asseverabit. Nam ad istam incomparabilem poësin nobis semper redeundum est, quam, sicut

quotidiano religionis officio & solennibus precibus, principium dicam an clausulam, sive potius summam, pie Ecclesia ac prudenter accommodavit: ita nos orationis nostræ occasionem simul statuemus atque complementum.

Tempus sane monebat, ut sacræ Poëseos majestas, quia ad Reginam loquor, ex cithara aliqua Regia sese promulgaret: cum præsertim ignorationem regii muneris caussari non possit, qui Tuum, Domina, exemplum intuetur. Eminent in Te undique, sua compositi serie, regalium laudum tituli: quos sola rite explicat, sola rite commendat Divina Poësis. Hæc lucet, hæc coruscat, fulgentissimis istis luminibus: quæ cælo missa, Regias origines, Regias dotes, secreto munere intime persignant, publicoq; spectaculo longe lateque ostentanr. Hæc, vel vaticinatur, vel interpretarur Tibi amores, quibus indolem Tuam; favores, quibus majestatem Tuam; delicias, quibus virtutem Tuam, à prima infantia formare, tueri, complecti, secum denique conjungere, ac æterno fœdere devincire, ille summus, qui Reges facit ac regit, ille Tuus, & Rex & Deus destinavit. Hæc, solio Tuo commercia cœli, munimenta fatorum, ornamenta gloriæ pollicetur. Hæc designabit veritatem sententiis, formulam verbis, compendium disciplinæ, qua illam regii magnitudinem animi, illam sapientiam, illam moderationem atque clementiam, illam humanitatem atque continentiam, non ex artificio adulatorum, sed ex pietatis officio, in Te omnis ætas venerabitur. Sed ab hac argumenti parte, ingenii me tenuitas pridem non dehortatur modo, sed abstrahir: nihilque ad excusandam orationis balbutiem præsidii relinquit, nisi sola brevitas impetrandæ titulus veniæ allegetur. Forte autem fiet, Serenissima Domina, si rudi ac indiserto sermoni ignoveris, ut aliqua in nobis facundiæ scintilla, Tua humanitare suscitetur. Ita Te Deus servet, ô gloria regnorum, ô sidus terrarum, ô admiratio sæculorum, Regina Augusta, Triumphatrix Pacifica!

ORA-

III.

ORATIO
In auspicium anni cIↄ Iↄ cL.
habita die III. Januarij,

Ad SERENISSIMAM

REGINAM SVECIÆ,

Cum altera vice Auditorium Gustavianum præsentiæ suæ splendore illuminaret.

SERENISSIMA AC POTENTISSIMA REGINA, DOMINA MEA CLEMENTISSIMA.

AUspicati sumus annum, si præterita respicimus, insignem complemento; si futura meditamur, salutarem omine, nobilem principio, fortunæ singularis pignoribus gloriosum. Quicquid vel superstitionis ingenio fictum, vel pietatis industria repertum, vel prudentiæ rationibus deliberatum, olim vel hodie, circa sollennia annui temporis auspicia, in argumentum humanæ solicitudinis aut studii invaluit: ea omnia, partem nunc magno animo spernere, partem felici compendio lucrari fas est. Tuus, DOMINA, conspectus, omnem nobis officii fatique & formulam & summam repræsentat. Sive enim rerum initiis aliquid non vani augurii inest; quid non Ubsalia sibi de hoc polliceatur anno: cujus primordia

dia, in utroque, Religionis & Sapientiæ templo excellissimus Regiæ præsentiæ splendor, tanquam tutelaris numinis auspicio consecravit? Sive grates laudesque Deo habere, ac vota nuncupare par est; Tua nobis merita præsto sunt, Domina: quorum & magnitudinem publica pietate veneramur, & perpetuitatem prece sollenni exposcimus. Quæ, ut recte à nobis atque ordine peragantur, non aliunde forsitan procedere orationis debet series, quam unde grandia publicarum momenta rerum in suos nectuntur articulos, & novorum celebritate eventuum disponuntur. Absolvet hic annus partem alteram sæculi, in quod Fortuna contulit mutationes rerum insignes, varios casus imperiorum, discrimina gentium, vicissitudines fatorum, quibus Europa usque ad summum periculi intremuit. Sedes fatalibus motibus, amplissima terrarum Germania placuit, quam ipso corporis late fusi contextu discordiis opportunam, ab initio statim sæculi lacessiverant, inde turbaverant, denique jam fere in ordinem redegerant, vehementis nescio cujus prudentiæ consilia, quæ sibi Europææ nationes ex æquo timenda pridem est quod judicarunt. Adolescebat jam sæculum, inter immodicos armorum præpotentium successus: neque aliud superesse videbatur, quam is casus, quem Germania semper pretio, pactione, sanguine à suis cervicibus redemerat. Dormiebat hoc temporis, neque parietis vicini incendium ad se pertinere credebat Gallia. cognatæ gentes reliquæ, incertis casuum, quæstuosam quietem; fidei & speciosis consiliis, ambitionem suam facile prætulerunt. De Suecia, plerisque nihil in spem, nihil in metum venerat. quam Deus interim domi pacatam, generosis consiliis instructam, Heroë maximo gubernatam, in vertendi cardinis subsidium, & novas fortunæ vices excitavit. Ingressus igitur vicesimo abhinc anno Germaniam Gustavus Magnus momento temporis faciem rerum immutavit, admirandisque virtutis ac felicitatis profectibus, Svecorum gloriam & sociorum libertatem cœpit asserere. donec in medio ætatis flore ac victoriarum cursu interceptus, iterum

rum Fortunæ reliquit ſpatium deliberandi, miſerone in-
itu, an ſervitute partis ſuccumbentis, bellorum Germa-
orum finis decerneretur. Sed jam pueritiæ Tuæ, SE-
NISSIMA DOMINA, mox adoleſcentiæ auſpicio, ar-
orum Svecicorum virtus, fortunam publicam ita ſuſtine-
t ac librabat, ut bello quantumvis magno & ancipiti vel
ſtium judicio ſuffectura crederetur, ni pace conciliaren-
, qui armis profligari non poterant. Traxit ea conſulta-
complures annos: neque Minervæ olea adhuc prove-
ſet, niſi objecta ægide & vibrata fortius haſta, ab inſi-
antium odiis defenſa fuiſſet atque emunita. Quantis
tem per hæc tempora acceſſionibus, in ſollenne ſæculi
gumentum iverit nomen Svedicum, non poteſt ſine ap-
ratu verborum explicari, aut citra comparationem prio-
n temporum intelligi. Eſt equidem jam inde ab an-
uo ſeptentrionis hujus populis familiare, contundere ſu-
bas opes, peragrare orbem victoriis, annos triumphis
merare: ſed aut vehementer fallor, aut imperitus rerum
, qui priora cum præſentibus conferendo non animad-
tit, hoc ſæculum dediſſe, quod majoribus nulla ætas
ntulerat. cujus rei cum in oculis teſtimonia verſentur,
monſtratione verborum abſtinendum judico. interroga-
tamen prudentiores velim, an recte ſentiam de iis, quæ
iter conabor delibare, Gothorum quidem veterum
orem, ſucceſſus armorum in orbem diffudit? ſed ſub ea
imatione & verenda auctoritate, qua hodie inter magna
uli nomina eminet, nunquam in civilem famæ publicæ
mulam ivit Suecia. Gerebantur ſane ingentia bella:
quæ cum Germanicorum bellorum gloria, nec cauſſis
partibus nec conſiliorum gravitate queunt contendi.
n autem, foris victores, domi ſæpius diminuebantur:
ous nunc turbatis, nunc neglectis longinquam felicita-
luentes. Nova eſt, atque hujus ævi propria commen-
tio, quod externis bellis, domeſticaque diſciplina ex æ-
o attolli rempublicam vidimus. Pax denique Germa-
a, quid non ſingulare, quid non admirandum habet?

Hanc ego æternam Svedici nominis adoream, qua hoc sæculum propitii numinis favor coronavit, dum intueor, vix tempero mihi, quin prodigia tanti boni ſtilo ſignem. Ventum erat diuturnitate bellandi ad illud tempus, quo deflagraſſe pridem furoris Martii vehementia, conſilioque & rationi plus, quam antea, reliquiſſe loci videbatur. Sed ſucceſſerat acerbitati, tenax propoſiti ſemel capti voluntas apud eos, qui pacem ſemel bello mutatam cupiverant, ac potentiæ ſtudium: quod citra ultimam neceſſitatem exuere, ignavum, & magnis faſtigiis turpe habetur. Hinc multum temporis operæque inſumtum, donec, ut Pacis conditiones tractarentur, impetrari potuit. hinc in deliberatione inſtituta, miræ ambages, involucra, diverſa, ſæpeque ſibi ipſis adverſa conſilia. Nec in ipſa re parum erat perplexæ difficultatis; inter tot nomina partium & diſcrepantes ſuæ cujuſque utilitatis rationes. Faciebat omnia terribiliora metus & calamitas eorum, quorum ſalus ac libertas jam non propriis nitebatur auſpiciis, ſed ut materia belli inter alienas manus vertebatur. Hos ſuſpicio equidem & timor, ut eventus decernit, ſed, ut tum res erant, prudentia potius in ejuſmodi fere cogitationes egit, ut Pacem Svecis ſerio poſſe cordi eſſe deſperarent. Quid enim? non diffidendum quidem gravitati & candori Svecorum, ſub oculis totius Europæ, in publico quaſi theatro, iſta aſſeverantium: ſed inter recepta publice ſimulationum ambigua, ſimplicitatem, quæ mutuum facientibus debetur, non tuto ſemper loco eſſe. præſertim cum bellum inter quotidianas pæne victorias, & omnes rationes militares etiam in longum ordinatas, Pace utilius videri poſſet. Auxit hanc opinionem plurimum, Bavaricæ Bohemicæque militiæ proventus: qui adverſariorum fortunam non parum concuſſerat; Svecis autem inſtrumenta & vias ad ſummam rerum expediendam demonſtraverat. In promptu erat ſpecioſus titulus ex moribus temporum. in tota quippe de Pace deliberatione, modo hos, modo illos, conſilia & animum ex fortuna ſumere, ac ſubinde commutare, vulgatiſſima

ſima

na querela arguebat. Verum, quod humanis consiliis
npeditum ac inexplicabile videbatur, Tui muneris operis-
ie esse, SERENISSIMA DOMINA, Optimus Maximus
EUS voluit. Tu cum spe metuque Germanorum ita
ansegisti, ut eadem opera Deo Tuam mentem agitanti
sequium, orbi universo magnitudinem animi, sæculo in-
mparabilem fortunam approbares. Dedisti pacem, quo
mpore speciosissima danti esse potuit. Vicisti non minus
ctionis fide ac gravitate, quam debellato quantocunque
licibus armis prælio. vicisti genium ævi: cum jampridem
s pacis privatim utilissimæ illecebras contemsisti, quæ à
trocinii sanctitate simul, & à commodis sociorum Te a-
ocabant. Vicisti, quod difficillimum est, Te ipsam: o-
ni cupiditate ac immoderato ardore, qualem bellorum
ccessus gignit, intacta aut major. Ergo Te Pacatricem
culi, eorum, qui servati sunt, pietas; eorum, qui re-
nciliati sunt, integritas; eorum, qui socia ope adjuti sunt,
les loquetur in populos, celebrabit in ætates, prædica-
t ad posteros. Et quandoquidem eadem contentione
ficis divinum opus, qua cœpisti; magnisque hactenus
boribus, Pacis fiduciam, à novis subinde periculis & in-
rtrimentis emergentibus, munis ac firmas: hic annus in
imis, DOMINA, fundatæ quietis publicæ jam certus ac
curus, sacro capiti Tuo coronam parat, non magis regiæ
nctitatis insignibus conspicuam, quam prudentia tempe-
ve ac gloriose pacandi imperii eminentem atque singula-
m. Sed hoc Septentrionis Palladium, in quo tot popu-
rum fata vel consummare vel custodire Deus destinavit,
editabitur in posterum, quibus elogiis colat, sapientia:
rtabitque augustus annalium labor, quo sit honore in tem-
o Memoriæ dedicandum, pignus æternitati pacis, regno-
m disciplinæ, temporum gloriæ sacrum. nobis, rudiore
o pertexendum est, quod cœpit institui: atque adeo nunc
gurandum, quid in posterum nobis hic annus portendat
t promittat. Sicut enim, qui spacia locorum & inter-
lla oculis metiuntur; aliquem sibi statum componunt,

unde procedere rectius aut amplius diffundi contuentis acies possit: ita, qui divinandi prudentia res futuras speculantur, tale suis cogitationibus principium accommodent oportet, quale vel respiciendi opportunitate, vel prospiciendi facultate momentis utrinque potentibus, rerum temporumque eventus perficiat vel connectat. id quod de anni hujus quodammodo sæculari celebritate omnes agnoscut atque sentiunt. Fulserunt Sveciæ sereni sæpe soles; atque, si præterita revolvere lubet, præscripserunt sibi annales hujus populi & inseruerunt laureata passim elogia ac miniata ornamenta. Veneramur ergo iterum illustres majorum animas: neque gloriam, distinguendis insigniendisque prioribus sæculis fatalem vel obliviscimur, vel dissimulamus. At vero hujus anni incomparabilis profecto sors est: quem, confectis maximis difficillimisque bellis; reddita & constabilita potissimis Europæ gentibus libertate, religione, pace; prolatis finibus, firmatis fœderibus, adjunctis amicitiis; novæ temporum felicitati ordiendæ proprium destinatumque, in fastos patrios, titulo auspicioque heroico, Fortuna Regia inferet, æternitatique Svedici nominis consecrabit. Quousque autem ista felicitas sit processura, temerarium forte fuerit conjectare, nisi partim certa rerum pignora nos de futuris confirmarent, partim exempla omnis memoriæ electissima erudirent. Habemus Principem, omnibus ingenii dotibus animique artibus, quibus Deus maxima imperiorum fastigia unquam condidit ornavitque, instructissimam. Donec hæc rebus Svedicis moderabitur, ut semper in incremento virtus Regia, ita semper in profectu fortuna reipublicæ erit. Destinari porro cœlesti tantæque molis capaci animæ, summam omnis præstantiæ sortem, præter assidua documenta, vel Gustavi, in ejusdem operis auspicia divinitus adornati Herois magnitudo evincit. ultra quam licet ascendi potuisse mirum est, verissime tamen in nostros Principes, si sexus ex parte mutetur, convenit, quod in similis fortunæ exemplo Poëta de Julio Cæsare & Augusto extulit:

-- *Ille*

-- Ille videns Nati bene facta, fatetur
Esse suis majora, & vinci gaudet ab illo.
Hic sua præferri quamquam vetet acta paternis,
Libera fama tamen nullisque obnoxia jussis,
Invitum præfert, unaque in parte repugnat.

Monet nos Augusti mentio, ut intelligamus, non procedere fere ultra id quod summum est, regnorum sortem. Neque enim, collocatam ab Augusto in optimo statu rempublicam Tiberius, pari fortuna continere; neque Alexandri ad summa provecti fatum, quisquam potuit consequi. Et si ad magna itidem, sed minora prioribus, veniendum est; non fuit, qui Constantini Magni, non fuit, qui Caroli Magni, ut regnum, sic merita & fata hæreditate cerneret. Quandoquidem ergo in salute sacrati illius capitis, quod libentius devoti obsequio animi veneramur, quam felicius infacundæ orationis præconio laudamus, fortunæ publicæ majestatem acquiescere novimus; æquum est, ut bonis ipsi nostris faveamus, pietate, scientia parendi, virtute, & prudenti solicitudine. Nulla fuit gens tam aliena à religionis sensu, quin prece sollenni, conceptisque votis Principis sui salutem diis, quos colebat, efficaciter commendari crederet. & Romanis hic ipse mensis, pridie Nonas, qui in diem crastini convenit, in eam rem sacer erat. Nobis præsentior pietatis ratio, fiducia certior, in æterni Numinis mandato promissoque, cottidie dictat vota, & bona verba, quibus Optimæ Principi salutem, vitam, gloriam non precemur modo, sed impetremus. CHRISTINA, Deo dilecta, Vive, Regna, Perenna! CHRISTINA, Deus Te dedit; Deus Te servet! Simplici verbo defungor, in re, quæ animorum potius ardore studioque, quam vocum formulis, à Deo, & nunc sollenni tempore locoque, & deinceps nullo non loco ac tempore, exoranda est. Præcipuum hoc & primum in futuram felicitatem auspicium, omnis bonæ artis, omnis boni moris studium atque diligentia, ultro conse-

quetur. Cum enim nullum ſane Reipublicæ tempus ſit, quod carere poſſit honeſtis & ad publicum decus pertinentibus ſtudiis, plus tamen eſt, quod perducta ad ſummum ævi felicitas expoſtulat. Nam, & Deus in experimentum virtutis ac conſtantiæ, ſua mortalibus munera elargitur; & cum magnitudine imperii creſcunt curæ, ampliantur labores; neque vel ſubſidia rerum vel ornamenta, niſi cum profectu tractari fas eſt. ubique tenerior fortunæ publicæ ſenſus; & prudentior civilis officii interpretatio; & adminiſtratio negotiorum deſideratur ſolicitior. Quicquid denique non eſt plenum convenienti dignitate, ſollerti conſilio, ſtrenuo tractatu, non eſt hujus ſæculi: quod ignavos & vitioſos, nequaquam inter ſua nomina numerat. Quid? quod invidia mille oculis in aliena commoda vigilat: nec quiſquam magnas opes quæſivit, quin eadem opera potentes inimicos inveniret. quorum quo occultiora ſæpe ſunt odia, hoc periculoſius dato tempore erumpunt. Poſſem enumerare præclaros populos, nobiles reſpublicas, in quas nihil juris res adverſæ habuiſſent, ſi ſecundarum rerum copiam, & ſuæ fortunæ faſtigium, labore, vigilantia, proviſu & cautione gubernaſſent. Videntur fata, poſt impletum militaris gloriæ curſum, Sveciæ ſingularem ex Pace gloriam fortunamque meditari. Si enim, quod prudentes exiſtimant, ex ingenio Principum, diſciplina colligitur civitatis; quid Regina noſtra ad Pacem aptius, ornatius? ſi primordia ſtudiorum de incrementis teſtantur profectuum; quæ non Pacis artes, in hoc regno vel patriam vel hoſpitium cœperunt eligere? Valde tamen, ne fallatur, vereor, qui pleriſque viam pedum ſatis viſam autumet, qua oporteat incedere, ſi fortunæ publicæ, ſi fatis ſæculi ingenue & ſerio cupiamus obſequi. Nominabo unum genus, ut intelligantur, quæ hac vice nominari nequeunt. Literarum ſtudia hodie tractamus promiſcue apti ineptique, temere & cum conſilio: atque ſi multis literatorum nominibus opus haberet patria, poſſumus for-

forte in formam exercitus agminatim adſiſtere. Quid autem futurum ſit, ſi res operam & noſtræ artis ſpecimina poſtularet, ignoro. id abunde ſcio, quid in raptis temere ad militiam agreſtibus uſu ſoleat venire: cum ilius gladio, alius telo caret; ille quo minus recte utatur tumultuariis armis, rubigine ferri retinetur; ille quid prorſum, aut retrorſum moveri debeat, non intelligit: plerique, cum pugnare jubentur, in cœcum caſum agitant corpus, de feriendo adverſarium parum cogitant. Sed nolo minus proſpere ominari de militia noſtra literaria, ſi modo Sapientes habeam auctores ejus, quod dicam: literas male negligenterve tractatas adeo non convenire reipublicæ utilitatibus aut felicitati ſæculi, ut potius & iſtas varie pervertant, & hanc turpiter obſcurent. De cetero, omnis ævi experientia confirmabit, plus incommodi in vitam civilem invexiſſe, qui literis infeliciter aut leviter operam dederunt, quam qui eas nunquam attigerunt. Ut taceam, præcipuos ſemper omnis ſapientiæ adverſarios ex eo genere prodiiſſe, qui honeſto ſtudiorum nomine diu ſegne otium convelaverant, doctrinaque vix primoribus labris deguſtata, animum bonis artibus non induerant. Nobis omnia meliora in ſpe ac votis ſunt: & medebitur, ſi quid ſupereſt hujus mali, primum quidem DEUS, deinde Tuum exemplum, DOMINA, quo nullum poteſt eſſe perfectius. Tibi amorem ſapientiæ, cura & ſtudium reipublicæ conciliavit; Tibi ſcientiæ amplitudinem, uſus vitæ ac negotiorum ſuggeſſit: Tibi generoſa agendiſque nata rebus indoles, promptam ſtudiorum utilitatem expedivit. Si Te ducem ſequimur, DOMINA, redibit virtus literis, honos artibus: nec jam inter vocabula ſcholarum, ſed inter illuſtria opera Tui ſæculi eruditio numerabitur. Idem nos, ad cetera ſpei noſtræ pignora, & venturæ proſperitatis omina compendium ducet. Si ad vitam Tuam componimur, ad mores Tuos emendamur, non hujus modo anni auſpicia rite implevimus, ſed inſequentium nobis

nobis fata propitiavimus. Ut alia circumſpiciamus auguria, ut recurramus iterum aut procurramus, nulla neceſſitate compellimur, niſi quod Tua, ſpero, indulgentia patietur, Domina, ſi publicos populi affectus non excludere mea poteſt oratio. De fatis quippe hujus anni auſpicioque agitantibus, ſtatim in mente, ſtatim in ore eſt illud tempus, quo regium capiti decus auſpicaberis, & Ubſaliam honore, privilegio, felicitate incomparabili, ſupra quicquid eſt urbium evehes extollesque. Hujus feſti ſplendorem, magnificentiam, apparatum, ac ituram cœlo lætitiam, avidiſſima mentis commentatione præcipientibus veniam Tu quidem dabis, Serenissima Domina, quod hinc potiſſimum ſæculi fortunam, & ſuas quiſque ſpes denuo auguramur. Faciatque DEUS OPTIMUS MAXIMUS, ut, quicquid ejus ſpectaculi impatienter deſideramus, utile ſit fauſtumque Quieti temporum, ſecuritati populorum; ſive potius, Tuæ Incolumitati; in qua cuncta rerum publice utilium fauſtarumque auſpicia continentur. Sed jam diu ſcilicet eſt, quod in Te fulget illa regiarum virtutum corona, quæ ſupra omnem auri gemmarumque nitorem illuſtris, omnia loca, benignis ſplendoribus in admirationem Tui convertit. hanc ſuſpicere, eſt auguria ſalutis captare: hanc venerari, eſt Bonam Fortunam propitiare. hæc præſenti ubique efficacia, annis nomina, mortalibus auſpicia, imperiis fata, vel portendet, vel diſpenſabit.

ORA-

IV.

ORATIO
IN NATALEM
SERENISSIMÆ
SVECORUM
REGINÆ
Septimum & vicesimum,

Habita

Anno cIↄ Iↄc LII. d. VIII. Decembris, in
Academia Argentoratensi
ab Illustriss. Comite

C. C. Königsmarckio.

A. O.

SEptima & vigesima vice, quod felix faustumque sit, anniversariis humani orbis gaudiis & gratulationibus colitur hæc dies: cui præclare de seculis omnibus mereri contigit, quando augusti conscia partus, CHRISTINAM, sidus populis, Principibus lumen, annalibus miraculum, prima nuntiavit ostenditque. Insignem auspicatissimi festi materiam velocique singulorum annorum profectu in consummatæ laudis fastigium exactam, non parum, hoc utique tempore, commendat Divinum, quod se ultro prodit, pro securitate humani generis consilium. Quoniam enim sancta omnibus sæculis

Regum majestas, hoc demum tempore sperni alicubi terrarum cœpit atque conculcari: itaque tanquam fatale in gigantes telum ipse Deus Ultor voluisse videtur expedire, nomen illius REGINÆ, cujus indolem cœlo caram, virtutem terris salutarem, merita omnibus populis amica, Invidia ipsa revereri, Fama prædicare, Æternitas consecrare decrevit. Desiit, opinor, inter homines numerari, qui ad tantam rerum lucem cæcutire mavult, quam suspicere. Neque argutulus jam, sed flagitiosus censeri debet, qui singulare unius imperium criminari audebit, tanquam otiose à Sapientibus confictum, nulloque exemplo publicæ salutis nobilitatum: postquam intueri licet REGINAM, qua meliorem Principem, ne votis quidem accuratissimis formarent, quicunque perfectam sibi felicitatem proposuere. Sed hæc atque hujus generis alia, jampridem vario doctrinæ atque ingenii certamine earum gentium prædicatio extollit, apud quas bonæ mentis sensus, aut reipublicæ intellectus superest. Planeque certus sum, hoc ipso die, in florentissimis Europæ nationibus, celeberrimisque locis, Reginam Sueciæ, *felicis sæculi specimen, boni imperii normam, rerum humanarum decus*, conspirata animorum contentione, suavi vocum modulatione, exquisito orationis cultu decantari. Sicut autem studiorum elegantia & artificio, nemini non, & juvenis, & literarum expers, in obeundis ejusmodi officiis concessero: ita non parum præsidii, in loci hujus sanctitate, in virtute tam illustris cœtus, amplector: prorsusque statuo, nefas esse silere, ubi & pietas dicentem vel excusat, vel laudat; & argumenti favor, audientes vel conciliat vel permulcet. Quo enim potius modo honorifice vos appellem, auditores optimi, quam si citra dubitationem mihi persuasero, quicquid à me, tenuiter de grandibus, humiliter de sublimibus dicetur, id vestris omne cogitationibus, vestra doctrina & commentatione, augustius reddi ac veluti suppleri, atque interpretando illustrari? Vestrum erit, de Natali Maximæ Reginæ, vestrum de meritis Ejus, decore existima-

timare. Vos ego, cum Nativitatem Regiam auditis, inpicere credo, in cœleſtes fatorum tabulas; non quibus Parcæ ſuum Jovem cum Diis cæteris in ordinem redegeunt; ſed in quibus unus cunctorum regnator Deus incripſit leges, mundo formam, mortalibus diſciplinam, imeriis fortunam decreturas. In his, inquam, ab æterno onſtitutum legitis proviſumque, ut orbi Arctoo tandem lluceſceret ſæculum, quo nobiliſſimorum in terris impeiorum felicitatem majeſtatemque in pleriſque æquaret, in ionnullis ſuperaret. Subit ergo, vobiſcum venerari, ter Maximi benignitatem Numinis quadam quaſi viciſſitudine ia populis & ætatibus munera diſpenſantis: ne, quantum d præcipua rerum momenta attinet, ullum in orbe nonen neglectum, aut inhonoratum relinqui videretur: tum utem, quanta ſit, quæ Suedico nomini decreta eſt, gloia, cuperem mihi à vobis ſub exemplo proponi, ſi quod x omni parte congrueret. Forte autem, ex iis quæ proius accedunt, Romani maxime populi eam ætatem in oulis habere fas eſt, qua Deus admirandam imperii manitudinem, Julii Cæſaris Marte compegit, Octavii Auuſti conſilio ordinavit. Tunc enim, aut nunquam alias pparuit, quo virtus belli aſſurgeret, & quam innumeris rtibus ſapientia pacis, ad componendum ornandumque eculum indigeret. Non licet, nunc adorare illa arcana acis Auguſtæ, qua effectum eſt, ut naſcentem in terris acis Principem quietæ compoſitæque gentes, quodam uaſi turbarum ſilentio venerarentur: ut ſapientiæ auctoem felici proventu, omnes artes, omnes ſcientiæ, velut gnoſcerent, & paulo poſt prædicarent: ut Regem humaæ libertatis auctorem, exciperet civilis ac temperata imerii divino auſpicio fundati majeſtas. Illud unum diam, ut hoc fieret, Auguſti ingenium in talem habitum ormavit, conſilia cœleſti ope inſtruxit, fortunam inuſitao favore provexit, non alius rerum temporumque arbiter, uam qui GUSTAVUM primo MAGNUM, poſtea incomarabilem ſummi Parentis filiam CHRISTINAM, Sveciæ,

imo populorum plurimis, imo seculo & orbi donavit. Non coaluissent in suam magnitudinem Assyriorum opes, nisi Nino successisset Semiramis: neque Alexander facile Græci magnitudinem imperii condidisset, nisi patrem habuisset Philippum. Sed in illa similitudine, sicut unam Heroicæ virtutis fortunæque originem atque consecutionem deprehendimus: ita longe interioris est commercii, quicquid hic cum Regina nostra Deus communicavit, Namq; ut Gustavus & Christina Heroës essent, sic habent divinitus, sicut habent cæteri. Ut autem heroicæ laudis ea extarent documenta, quæ vel gloriose dederunt, vel copiose, ô diu! dabunt: id tanquam Gustavo, tanquam Christinæ, quæ jam non magis personæ, quam singularis meriti nomina sunt, concessum intelligitur. Verum incomparabilem istam, unique ex omnibus Reginæ nostræ destinatam gloriam delibare, neque tumultuarii sermonis, neque adeo opis meæ fuerit. Itaque malo ad cunas ejus redire, & Nativitatis Regiæ momenta, non ex astris & Mathematicorum cœlo repetere, sed ex eo temporis articulo suspicere, quo Europæ fata in novas rerum vices ire, & moderatricem novi illius sæculi Sveciam esse, Deus voluit. Hinc enim quodammodo animadverrere juvabit, qualis indoles tantis moliendis efficiendisque rebus par esset. Quamquam sic quoque fatendum habeo, mihi ab initio statim, tam dulcis cogitationis verba deesse, ut significem illud à divino accensum vultu lumen, quod Regalem infantiam dulciter circumfunderet, teneræque vim mentis illustri cognatione persignaret, foveret ingenii vires, agitaret motus, temperaret impetus, eliceret omina, reconderet miracula, continuaret auspicia, donec adesset tempus, quo adulta cœlique virtutem penitus ostentatura majestas, ad augusti instar solis terrarum orbem illuminaret. Hic est ignis, arbitror, Regium semper insigne, quem Regibus accendit Deus numine, præferunt Angeli honore, gratulantur obsequio mortales. Hujus munera deinceps erunt, illa sapientia, illa magnitudo animi, illa moderatio atque

atque continentia, quas non minus ſupra Principum maximorum exempla, quam ſupra ſexus fortunam, in Regina noſtra omnis venerabitur poſteritas. Nam præſentis ætatis vereor ut alia ſit conditio, quam ſi cui ex propiore loco in oppoſitum ſolem contingeret oculos intendere. Obrui neceſſe eſt multiplicatis fulgoribus, qui ad unius radii, etiam procul emicantis, conſpectum præſtringuntur. Solet humanus animus, ubi aliquo ſpei aut præſagii argumento futura colligit, confidentius in ſe recedere, ſuumque adfectum dulci & ad exemplar perfectum exacta imagine imminentis boni alere. Neque dubium habetur, viros ſapientiſſimos, Proceres Succiæ, jam tum in tenera Regiæ Virginis ætatula, magna omnia præſagientibus animis, fortunam patriæ ample ac magnifice præſumſiſſe. Sed nimirum longe ſuperavit divinationem prudentum, eventus: nemoque in hunc diem compertus eſt, quin Reginæ ſuæ, ex optimis maximisque Parentibus genitæ, pulcre quidem ſed longe infra rem & merita ominatum ſe eſſe profiteatur. Inſcripſerat ſane in ipſo vultu nobilitatem animi, natura procreatrix: notisque corporis illuſtribus inuſitatas cœleſtis mentis dotes deſignaverat. Sed fallor, aut fortunæ is luſus eſt, quoties miracula edere decrevit, ut ad præſagia venturi invitet magis, quam admittat humanam ſapientiam: potiusque gaudeat illa philoſophantium cautione, quæ in ipſo rerum ſucceſſu non dememinit, quantum licuiſſet ante ſuſpicari, niſi reverentia, fatorum legibus debita, juberet ſemper ex ſollertia divinandi modum tenere. Itaque, quid illa vis in oculis, Paternam aciem referens, portenderet; quid gravitate juxta & gratia mixtiſſima vultus majeſtas promitteret; quid vigor ille corporis, acerrimo animo viriliter ſufficientis, repræſentaret; eo demum tempore citra involucrum patuit, ex quo ſine recordatione & obvia imagine ſingularium bonorum, quibus Regina unici exempli humanum orbem beat, nemo in illud Speculum Virtutis intueri poteſt. hoc eſt momentum, unde neſcio quo alterno motu rapitur animus. hinc poſt fortunam divina-

vinare, & à luce ad natales lucis recurrere, lubido est. Quotiens enim, serpentes undique circum incunabula infantis laureas cogitatione repetimus; quotiens trophæa signis armisque hostilibus late exstructa, primos generosi germinis aspectus lusus que imbuisse animadvertimus; quotiens per titulos & elogia summorum operum, tanquam per indices annorum, mensium, dierum, adolescentem à prima origine ætatem describimus numeramusque: totiens videmur nobis cum mathematicis in cœlo esse, aut cum præsciis magnarum rerum mentibus arcanas notas legere, disponere sacras sculpturas, interpretari veneranda symbola, & in fatidicum carmen cogere, de cognitis tanquam in posterum augurantes: quanta sit futura, cui adhuc parvulæ tot muneribus blandiatur Cœlum, tot invitamentis arrideat Fortuna, tot excelsæ indolis hortamentis suffragetur Genius: quam Virtus exceperit nascentem, enutriverit Sapientia, perfecerint Gratiæ. Intelligitis nimirum, Auditores optimi, quo progrediendum sit, si quis hanc de meritis Regiis commentandi rationem velit persequi. sive enim promovere velis pedem, inexhaustum est quod retinet; sive ipsis inhærere primordiis cupias, infinitis plenum illecebris est, quo in ulteriora trahimur. Nunc præfectam auspiciis majoribus, saluti mortalium principem, in aula sua optamus intueri; nunc in administratione imperii venerari concupiscimus: modo in laudes concitatur imbellis lingua; modo votis & faustis recordationibus pietatis officia simplicius fungi, animus ardet. Et quamvis ipso tantarum rerum sensu tractatuque, quicquid in mente humana generosi spiritus, quicquid pulcræ meditationis est, elici amat ac expromi: non putaverim tamen, eloquentiæ hinc subsidium potius, quam reverentiæ impetum conciliari. Quod, sicut in me, cujus qualecunque ingenium nullo idonearum artium instructu sublevatur, non mirum est accidere: ita de aliorum curis & viribus animosius sentientes facile sequar. Illud tantum apud vos, A. O. (quorum prudentia unice erudiri cupio) ingenue profitebor, quod in hac cogi-

cogitatione patior. Audivi sæpè ex præceptoribus meis, hominibus non indoctis, cum ex Cicerone boni Oratoris laudes mihi recitarent, eum demum hujus nominis mensuram implere, qui rerum sublimium magnitudinem dicendo exæquaret, recondita explicatione, inusitata decore, illustria cultu prosequeretur. An, præter ipsum Ciceronem, talis facundiæ exemplum vivat in memoria seculorum, mihi possit forsitan ignosci, si dicam, me nescire. Ingenti tamen teneor desiderio, in hanc artem, captu sane meo majorem, propius introspiciendi, si quis vel Cicero vel Plinius hodie merita Reginæ meæ, oratione non umbratica adæquaret. Judicare enim quam bene alter Trajanum laudaverit, alter omnem Romani nominis majestatem extulerit, non est nostri temporis scilicet, quod exacta rerum veterum cognitione destituitur. Quocirca in commemoratione tantarum artium semper mihi in mente illud vulgi verbum: hic Rhodus, hic saltus. Prodeat enim Sophista aliquis, & declamatorios flores, omne genus, in argumentum tam venerabile profundat: quid aliud existimaverint viri sapientes & cordati, quam injuriam fieri Principum augustissimæ: cujus virtus non cadit in locos communes, nec describitur solennibus sententiis, aut formulis libellorum ac commentariolorum concluditur. Insistat alius poëtarum fabulis, & verba in adulatorum ore nata, undecumque emendicet: quam indignum fuerit imitatione ludicra inanique sono vanissimæ vocis temerare nomen Reginæ, quæ & servum genus dicendi scribendique aversatur, & omnes execratur adulationes? Est subtilior etiam, minusque aperta, sed tamen indignitas, materiam, non amplitudine magis quam contextu nobilem: quando, ingenuo quidem proposito studioque, ita in unum defigimus oculos, ut vel solum hoc admiremur, vel præferamus non postponendis, vel alia quam decebat, forma habituque describamus. Videas id præsertim evenire, quotiens de amore literarum, & singulari doctrina, qua & sexum & fortunam & sæculum suum sapientissima Regina supergressa est, sermo instituitur aut cogitatio suscipitur. Qui ex

ex magistrorum formulis sapiunt, atque eruditionem, libello rum mensura ac solennibus titulis metiuntur, eos nihil sani, nihilque cordati de studiis Regiis animo concipere, aut temeraria lingua pronuntiare, non est mirum. Neque etiam redarguere, sed miserari debemus eos, qui verentur scilicet, ne in tanti animi Principe caritas literarum, curas imperii dedeceat ullatenus aut conturbet. Si enim nesciunt, quod in totas jam nationes innotuit, cur ignorationem suam infamia maledicentiæ cumulant? Sed nec in illis, qui Reginam & accurate, & diffuse, nec minus generose ac utiliter doctam admirantur, laudandum censeo, si in hoc veluti Rhetorum campo ita immorentur, ut videri possint, parum intelligere, quanto majora sint, quæ inter Regales titulos eminent. Quam enim est multo illustrius vivendo exprimere, quicquid ad decus & laudem magnificum vel scitur, vel scribitur, vel ne quidem sciendo scribendoque à literatis attingitur. hoc ego nomine beatam prædico ac felicem Reginam nostram: hoc nomine illam Imperio suo, nec minus Imperium Illi, sed propriis auspiciis amplificatum perornatumque gratulari fas est. Etenim quid cum Platone Aristoteles, quid Xenophon, Synesius, Dio Chrysostomus, de optimo regimine tradere; quid omnis historia, ac utriusque linguæ scriptores cæteri, de civili felicitate suggerere potuerunt perfectissimæ Principi, quin suo Ipsa ingenio, suis moribus exemplisque non repræsentaret modo tantorum doctorum disciplinam, sed suppleret insuper superaretque? Si ab ea dote incipimus, quæ in Regibus vere regia est, tacet utique aut balbutit tota illa paganæ sapientiæ jactatrix vetustas: neque quisquam docet aut explicat, quicquid est divinitatis in Regibus, præterquam ipse Deus. Cujus arcanis sanctisque commerciis imbuta Reginæ Nostræ indoles, sui auctoris motu, viget, agit, valet, splendet; intacta profanis, cognata cœlestibus; ignea, velox, pura, infatigabilis. Hinc sincera omnia & inaffectata, procul à fuco & inanibus, non fallunt homines, sed erudiunt. Pietas in Deum unice intenta, quatenus extra penetralia præci-

præcipui arcanique operis, conſcios admittit, cordata, ſeria, efficax: innocentia morum, non verborum figuris, ſed incorrupto vitæ tenore conſpicua: Caſtitas & continentia, qualem non niſi ſingulari munere divinitus contingere pauciſſimis, Deoque proximis mentibus poſſe, ultro intelligitur. Nec aliis cenſenda eſt natalibus illa magnitudo animi, nihil earum rerum, in quibus vulgo depereunt ſummi loci homines, ſe dignum reputantis. Dicam quod res eſt. Mallet Regina mea carere Regno, quod ſupra cæteros ſcilicet mortales eam extollit; quam Regio animo, quo Reges ipſos quodam modo ſupereminet. Arrogantiſſimi mortalium Stoici veteres, magnum, diiſque, quos colebant, ſuperiorem animum, his legibus definiebant, ſi nihil admiraretur, nihil metueret, nulla re perturbaretur: Et hi tamen ſunt, qui, ut omnia contemnerent, ſe ipſos ſtultiſſima ſapientia unice admirabantur: ut impudenti audacia, ipſi propemodum naturæ moleſti eſſent, inſatiabiliter metuebant, ne orbis reſciret horribile Stoicæ ſectæ arcanum, virtutem non in re, ſed in verbo eſſe: ut odiis, inimicitiis, & furioſæ pertinaciæ ſuæ obſequerentur, Civitatum & Rerumpublicarum quietem ſtrenue perturbabant. Ridet tam importunum hominum genus Regina Noſtra, melioriſque ſapientiæ pleniſſimum fructum capit, quando & admiratione Dei & fiducia bonæ conſcientiæ, & moderatione virtutis, tantum à tumida oſtentatione recedit, quantum ſpeciminibus ſolidæ laudis, invicta pariter ac immobilis acquieſcit. *Optimos mortalium altiſſima cupere*, quam bene apud Tacitum dicatur, neſcio. Id ſcio, Reginam, cujus auctoritas loco rationis eſſe poteſt, primum, nihil magis cupere, quam ut optima ſit; deinde, quia ſui ſe voti compotem ipſa facit, altiſſima abunde mereri: utrum autem, quod meretur, recipiat, de eo parum ſolicitam arbitror. Eodem animo, quo ſumma omnia meretur, nonnunquam ſumma omnia ſpernit. Quid inter humana victoriis triumphiſque auguſtius? at illa, majorem Regiaque magnitudine digniorem triumphum commenta eſt, triumphare nolle. Non ignorat prudentiſſima

 Prin-

Princeps, quo vivat sæculo; quibusque vulgo artibus paces bellaque moderentur, apud quos una consilii operisque lex habendi ac dominandi amor, virtutis curam tantum non extinguit. Non impetrare tamen à se potest, quin humilem sapientiam credat, alienæ calliditatis imitatione securitatem suam pacisci potius, quam fidem simpliciter colere, ac generoso candore æquam mentem, æquam caussam pro inexpugnabili munimento habere. Damnat enim, & pro inertium remediorum consultis despicit, qui fictis simulatisque rebus, tanquam unica arte confisi, fatalem maximis quibusque Imperiis versutiam, inter numina & religiones aularum adornant dedicantque. Quicquid interim sibi ad tempus & in speciem polliceantur arcanorum talium magistri: in summam certè & serios usus, honestis niti, non occultis, sicuti sceptrorum majestati convenientius, ita ad salutem reipublicæ firmius habendum est. Sed rem sanctam & illustrem non capit nisi sublimis animus, Deumque revereri & imitari suetus. quo auctore quæcunque non instruitur prudentia, delirat ac deficit, cum sibi maxime videtur profecisse. Miseros vero Principes, qui etiam in cætera nescio quot minutis artibus & sollertiis indigent, ut se tutos constituant & venerabiles! Omnium vultus observare, expendere verba, interpretari gestus, captare rumores ex omni angulo, multa timere, non pauciora suspicari: hæc scilicet sacra commovent, quibus in secreto aures Dominorum patent. Cum subtilibus istis molestiis semel transegit Regina nostra. quæ, cum uno velut intuitu in cujusque vultu plerasque notas animi legat, & politissima perspicacia, quidquid in minimis maximis rebus ex decoro veroque aut secus trahitur, dijudicet; nusquam hæret, nusquam angitur, sed explicata facilique hilaritate, serenum ac parem cuicunque fortunæ animum, ad negotiorum formas & hominum mores non deprimit, sed demittit; humana, sine blanditiis; gravis, absque fastu; injucunda nemini; venerabilis omnibus. Malos etiam exemplo quam supplicio emendare, magnificentius rata, vere suis debet auspiciis, quod

quod rarior ad ultima remedia neceſſitas adigit ſæculum,nulla re, quam diſciplina Principis felicius. Non ignota loquar, ſi meminiſſe vos jubeam, A. O. quam ferax præcipuarum laudum, Aula Suedica toto orbe concelebretur. Neſcio, an præcipuam hoc ævo dicam, atque unicam, è qua meliores exeunt, quam intraverant, quicunque non ſunt inſanabiles. Quem non paulatim ebrietatis pudeat, cum apparet Reginæ, quæ omnem ebriorum conſpectum gravatur? Quis non deponat ferociam animi & rixandi contendendique libidinem, cum animadvertit, Reginam eos mores nec prudentiæ nec virtutis capaces pronuntiare? Inſolentia autem & ſuperbia, quibus ſe coloribus tuebitur, qua ſpe exultabit, apud modeſtiſſimam Principem? Denique quis in venerandum illud caſtimoniæ ſpecimen rectis oculis audebit intueri, conſcius ſibi turpis voluptatis impuræque Veneris? Tum autem aſſentatores, paraſiti, & cum Thraſonibus Gnathones, omneque morionum genus (quibus dehoneſtamentis vulgo aulæ perſtrepunt) Regia CHRISTINÆ in perpetuum abſiſtere juſſi, ſuo exilio paſſim teſtantur, quibus moribus apud Septentriones vivatur. Non mirum eſt ergo, quod in loca minus delicata, ex amœniſſimis pulcerrimisque terrarum, magna vis hominum confluit, pretiumque sui laboris, variè quidem, ſed potiſſimum contemplatione exempli unici omnisque memoriæ clariſſimi, capit. Qui magnum ex aulis frequentatis vulgo nomen affectant, eos re audio denarrare faſtum palatii, numerum & nationes ſervitiorum, ſcenam apparatus & inſtrumenti Principalis; luxuriam menſæ, delicias Gynæcei, & ſi quæ ſunt ſimillimæ æſtimationis. In aula Suedica, quidquid ad magnificentiam & politiorem cultum abunde conſpicitur, longe infra ſpectaculum, quo ſolo generoſæ mentes & alliciuntur & retinentur, & erudiuntur. Poteſtis, opinor, A. O. quanquam tantis locorum intervallis diſiuncti, partem ejus voluptatis penſentiſcere, ſi vobis proponatis Reginam omnibus & ingenii dotibus & animi artibus inſtructiſſimam: quæ heroico plena ſpiritu, omnem ampliſſimi regiminis ad-

 mini-

ministrationem animo complexa, proximis, remotis, invigiler provisu, affulgeat ope, consulat labore. Talibus curis intentam nec somnus, quo parcissime utitur, divertit, nec absterret difficultas, nec avocant illecebræ. Dedit illi Deus, (quod nemo negat aut nescit) ministros maximos, Senatores gravissimos, actores rerum summarum efficacissimos: estque hæc pars non minima ejus felicitatis, qua Reginarum optima gaudet ac fruitur, quando solium suum quotidie videt circumstare meros Germanicos, Drusos, Agrippas, Mæcenates, & quidquid magnificorum nominum ad numerosam hujus aulæ gloriam describendam ex vetustate comparari potest. Nec ignoro impetitis ita videri posse, quasi omnes imperii curæ amicis Reginæ incumbant, Ipsam parum onerent. Præterquam autem, quod nemo sanus detrectare potest evidentiam Divinæ ordinationis, quæ tales ministros, non nisi tali Reginæ, nasci fierique voluit; etiam illud meminisse debebant, qui de rebus grandibus & sanctis profana aut humilia sapiunt, magnorum ministrorum nomen vix salutare esse reipub. nisi sub magno Principe, cujus prudentiam & virtutem cogantur ultro revereri. In quo genere laudis triumphare posset mea oratio, si liceret in publicum producere secretas maximorum virorum sententias, & familiaria citra omne adulandi studium testimonia. Attingam paucissimis, sed verissimis verbis: nemo est, nemo prorsus, ex istis pace belloque illustribus Proceribus, quorum sapientia Regina suevit uti, quin admiretur & suspiciat Reginæ suæ prudentiam, in omnia expeditam; animumque in arduis magnum, in futuris providum, in dubiis solertem, in eligendo perspicacem, in agendo celerem, in ordinandis rebus compositum. Nemo est (ut iterum hoc dicam) nemo, qui in seriarum curarum conscientiam adhibitus, non recedat admirabundus, sibique & patriæ de Regina incomparabili gratuletur. Beatos vero & reliquos, qui de exteriore spectaculo penitiores fructus didicerunt consectari! Veniat in hanc aulam, qui Reipubl. gerendæ natus est, & judicet, quis principem locum

locum dignius obtineat; illine qui ventri somnoque dediti, aut rebus somno, an somnio dicam, similibus, præter ludicras voluptates & superbiam, nihil Principis usurpant; sic ministrorum suorum ex necessitate servi, ut cæterorum ex lubidine Domini: an vero, qui ad exemplum Reginæ Nostræ invadunt tempora occupationibus, distringuntur laboribus, exhauriuntur molestiis, pro omnium otio negotiosi, pro quiete civium irrequieti, pro salute reipublicæ infatigabiles. Veniant, qui ex longa peregrinatione vultum potius, quam animum compositum retulerunt, & discant, se hospites esse in omni ratione civili & aulica, quæ inania sic admittit, ut non nisi solidis innitatur. Veniant, sicut venerunt hactenus, variæ nationes, varii homines, & hoc in minimis ponant, si Reginam audient sua Italis, sua Gallis Belgisque verba reddere, eruditorum vero linguas ipsis eruditis melius callere. Nam si magna possunt capere, non alio potius exemplo, virtutem verumque laborem, nec minus fortunam utrique amicam, condiscere optabunt. Fallor, aut ad hunc lydium lapidem impacti, sic demittent cristas, ut pavo, cum pedes suos respexit, speciosam caudæ pompam contrahit, quicunque hactenus vanis coloribus & ineptiis sæculi animum oblectarunt. Veniant denique, qui ope, auxilio, solatio, beneficio egent: Veniant, inquam, nec per centum obstacula & ambages aditum moliantur: admissio facilis, audientia comis, subsidium paratum. Ecce, si te pudor tuus, aut graviora aulæ negotia, mollius expectare tempus jubent, non longa est mora: singulas hebdomades, unum diem desideriis supplicum consecratum habere jussit Regina indulgentissima; quo tanquam beneficum sidus humilibus locis exoritur. Ipsa, inquam, prodit per agmina libellos porrigentium, sua manu accipit, legit, aut lecta audit desideria singulorum, examinat, respondet: sumptuque, & tædio, & expectatione, veluti per compendium, omnes liberat. Invitat & pæne trahit in ulteriora materies: quam si daretur stilo persequi, quot extarent nunc

in conſpectu veſtro, A. O. juſtitiæ exquiſitis æqui bonique rationibus temperatæ documenta? Quot liberalitatis ac munificentiæ in omne hominum genus, ſæpe ſupra fidem, nunquam citra prudentiam diffuſæ monumenta? Verumenimvero, jam ab initio veſtram mihi ſapientiam tanquam ſubſidio comparavi, ut, quæ ex auſcultatione hac colligi, quæ ex meditatione ſuppleri, ex fama publica & humani orbis ſuffragatione confirmari poſſunt, eorum à me nihil indictum putari queat, ſi, quibus auditoribus, quo ſermonis propoſito, ſuſceperim dicendi partes, juſta æſtimatione penſetur. Laudationibus & factis Orationibus celebrari nomen ſuum non deſiderat Regina: Famamque ex omni orbe canoris buccinis acroamata hujus generis accinentem, non adulatur ut amicam, ſed ut famulam ſuæ virtutis moderatur. Civium autem ſuorum pietatem nunquam verbis ſed officii ſinceritate metitur. Quæ res me nonnihil cunctantem impulit, ut hoc die, hoc loco, in veſtrum prodirem conſpectum, Auditores, impelletque porro, ut Ipſi Dominæ, eadem ſimplicitate, qua hic verba feci, mea obſequia in poſterum nuntiem; imo jam nunc veluti præſentem (quando enim abeſſe credenda eſt diffuſa ubique tanti nominis majeſtas?) alloquar. *Natalem Tuum*, Reginarum Maxima, *celebrare aggreſſo, veniam largiaris, oro quaſoque, ſi nihil vel à Muſis, vel à Gratiis, feſti hujus ſanctitate dignum potui mutuari. Ex quo enim Tua cœperunt palatia habitare illæ Divæ, Tuo contubernio auguſtiores factæ, non vulgari cultu amant propitiari. Sola igitur auſpicium meo inſtituto Fides dedit: illa Tibi familiariter dilecta, illa admiſſionibus apud Te præeſſe ſolita, illa quovis habitu ſemper in oculis Tuis honeſta & grata. Memineram, quo plauſu, quibus ſtudiis, anniverſaria Tuorum pietas veneraretur diem, qui maxima ſæculo gaudia dedit, cum TE primum dedit. Non poteram ergo, inter Tuos feliciter locum nactus, non agitari iiſdem affectibus, non inſtigari iiſdem ſtimulis. Neque locus alienior videbatur, quo me nunc, flagrans ſtudium ex nutu Tuo*

Tuo pendendi, & haud mollis Parentum voluntas, constituêre. Licet enim omni scholastico conatu sublimius sit nomen Tuum, credere tamen debui, non minus spectari ex Academia devotum animum, quam ex palæstra; non minus ex subselliis doctorum, quam è tabernaculis militum, pias voces & fausta omina exaudiri. Ascivi ergo socios, quos bonarum rerum, & civilium officiorum, præsertim autem majestatis Tuæ studiosissimos arbitratus sum. inter hos & cum his, salvere jussi faustam diem, quæ Tibi nascenti lucem, & eadem opera rebus humanis splendorem alluxit: quæ hactenus quotannis candidior prosperiorque, & tuis muneribus cumulatior exorta est: quæ sic tamen plura promittit deinceps, & faxit DEUS! Te sospite diu repræsentabit. Ingeminavi vota & preces, quibus Te vivere, Te valere, Te regnare omnes exoptavimus. Vivas, (inclamo iterum) REGINA OPTIMA, *Vivas! Quæ Tuis moribus emendas sæculum, beneficiis imples orbem, Vivas! Quæ potentes regis imperio; humiles sublevas indulgentia, Vivas! Quæ faves ingeniis, suffragaris artibus, Vivas! Quæ fortunam æquas animo, sexum superas virtute, Vivas! Quæ amorem Tuæ Domus, cùm amore reipublicæ primâ copulasti, Vivas! Quæ in aula Tua sollennem tesseram,* OPTIMÆ MATRIS, *audiri cupis, Filia amantissima, Vivas! Quæ illustres Familias & servas & facis, Vivas! Quæ nobilitatis apicem virtutis sublimitate metiris, Vivas! Quæ de omni ordine, ætate, sexu, pulcre mereris, Vivas! Quæ delatores odisti, adulatores fugis, Vivas! Vivas, O salutare sidus gentibus, O gloria omnis ævi, O Regina Reginarum! Vivas, & devotissimam Tibi servi è minimis pietatem propitia lubensque accipias!* Cujus voti compos factus, satis bene, quamvis infacundus, ex hac cathedra, satis feliciter dixi.

PANE-



V.

PANEGYRICUS

Sereniſſimo ac Celſiſſimo Principi

AVGVSTO

Duci Brunſvicenſi & Lüneburgenſi,

ſcriptus

Anno cIↄ Iↄ c XLIV.

ILluſtres virtutum titulos, ac dignas æternitate laudes, vel hiſtoria poſteritati conſervat, vel prædicatio viventibus interpretatur. Quorum ut illud communis mortalium favor ultro extollit: ita hujus non ſimplex æſtimatio, quaſi inter eruditos coorta, imperitis haud raro pro argumento rumorum fuit. Nec ſane abnuerim multos laudandi officio ita uſos, ut neque facundiæ rationes, neque propoſiti, abunde viderentur ſubduxiſſe. Quo fit, ut minora rerum, & , ſi recte autumaveris, in levi habenda, ſuperbis aliquando præfulgeant honoribus; atque ex diverſo, eximii magnitudo meriti cultu inani detrita obſoleſcat. Quin etiam, ubi ſatis in argumento tum conſilii tum artis fuerit, majore adhuc auſpicio opus eſt, ut relicta omni declamantium conſuetudine, ſeria & prudens & in uſum vitæ nata, ex ipſis rerum penetralibus altiſſimoque ſapientiæ receſſu, emergat oratio: in qua tu nec

iec historici gravitatem, nec facultatem oratoris, nec Phi-
osophi disciplinam jure queas desiderare. In quo ge-
ere, sicut paucis ab omni ævo datum est præcellere, ita
ui annalibus tale studium ausit postferre, neminem forte
nter eos, quibus altior liberalis Musæ intellectus est, li-
uerit reperire. Virtutis quippe indolem, moresque &
ctum vitæ, quotusquisque penitius introspicere, aut,
ım introspexit, aliis explicare potuit? cum tamen utrum-
ue ex eorum censu sit, quæ ut fiant, generis humani in-
rest. præsertim circa vitas Principum, curasque Regum,
er quos Divina sese bonitas mortalium cœtibus dispensat,
aque terris munera dilargitur. Ut nec grati videatur,
ec pii civis esse, ad tot beneficiorum nomina connivere;
it, ubi occasio celebrandi data est, negligenti silentio
ımmarum momenta rerum transmittere. At enim sicut
ommuni omnium officio Principalis meriti veneratio con-
ıetur: ita laudatio accuratior ad prudentes pertinet: qui
ınquam temere aut per adulationem; semper autem cum
tione ac reverentia id muneris norunt usurpare. Hæc
que talia dum repeto mecum in exordio hujus scripturæ,
ıæ illustrissimo Summi Principis nomini consecrata est,
ıgna me invadere trepidatio poterat, si meopte auspicio
nsilioque rem tantam aggredi, aut fiduciæ quicquam in
eis ausus essem viribus collocare. Quamvis enim argu-
entum studio boni viri ac meditatione dignius, ne pru-
ntum quidem vota potuissent excogitare; non pauca ta-
en erant, quæ me, auspicatissimum nomen Tuum rudi
lamo signare, aut in conspectum tam divini Herois mea-
m quicquam literarum prostituere, ô splendor rerum
incipumque, AUGUSTE, prohiberent. Nunc majori
ctoritate in hoc propositum traducto, omnis reponenda
s est in Tua bonitate, Princeps Serenissime: quæ si
opitia admiserit pietatem hominis, nulla nisi simplicis
erentiæ obsequia edocti, non est quod aliorum homi-
m judicia vel timere cupiam, vel placare. Quid enim
oquentiæ nunc magistros aut præcepta dicendi verear,

cum tantum sit auspicii, favoris, magnificentiæ in argumenti titulo, ut non minus disertissimorum confidentiam infringere, quam infacundis conatibus vim & robur & spiritum mutuari possit, vel solum nomen Illius AUGUSTI Lunæburgici? cui quidquid adjunxerimus vocabulorum, minus erit uno vocabulo; quod & tot retro seculorum decora, & venturi, quaqua patet, ævi amplitudinem mirabili compendio in se conclusit.

Magna est, & in omne virtutis, potestatis, majestatis, fortunæ ac auspicii Principalis decus pertinet titulorum series; quibus antiquitas sua humani generis rectoribus studia & obsequia approbavit. Sed quid in illis tam splendidum, tam laude dignum, tam sublime denique & augustum dari potest, quod in illustrissima Ducum Brunsvicensium & Lunæburgensium prosapia, aut, si mavis, in solo AUGUSTO non occurrat? Origo generis ab ultima heroici sanguinis stirpe demissa: majores præcipuam terrarum partem gloria aut imperio amplexi: Proavi Principes, Electores, Reges, Imperatores: affinitate ac matrimoniis nexa Europæ regna: meritorum gestarumque publice rerum memoria cœlo æquata: hæc eo magis propria Tibi sunt, AUGUSTE, quo majore fato familiæ tot annalibus memoratæ successio in Te recubuit: ut æternæ Domus claritudo & haberet exemplum singulare, & daret, unde vetusta gloriarum insignia collectim repeti, ac nova in posteros cumulate fas esset dimitti. Non enim obscura esse potest ista Divini circa generosas stirpes Numinis provisio: qua non certis modo laudum intervallis perennitatem earum viresque distinguit, sed solennes quasi circuitus orbesque inusitatis fulgoribus illustrat. Gloriæ militaris, ut ab hac ordiar, tum alii, tum Welphones vestri grandia sæpe documenta dederant. at vero, cum *Henricus Leo*, tanquam alter Mavors, se in arma effudisset, cum ritu fulminis obvia prosterneret, remota terreret: tum demum potuit intelligi, quantum generosa nec magis ferro quam indole sua animata virtus polleat. Dignitatum infu-

fulas, fceptra, tiaras abunde in domum veftram & fæpe
ortuna intulerat: quæ ut muneris fui fidem ac modum
onfummaret, honoris omnis complementum, & augu-
iffimi faftigii apicem in OTHONE *Quarto* fplendere vo-
it. nec fegni tamen auctoramento. Quippe, ne quid
nperatorii oneris parum graviter experiretur, cum invi-
a & æmulatione, tanquam novus cum monftris Hercules,
ctandum habuit. Eft hoc etiam in fatis magnorum
incipum fingulare, quod neque concuti publica, neque
ncuffa reftitui poffunt, nifi partem fortunæ ac difcrimi-
ım ipfi fuftineant. Igitur à multis feculis, nunquam
omitas rebelliones, contufos imperiorum turbatores, fra-
os foris barbaros legimus: quin Veftros, AUGUSTE,
fus titulofque recognofcamus. Modo incitati ac fer-
ntis feculi genio pares commodaftis fpiritus; modo
nquilliorem paci vultum indulfiftis: nunc confiliis Ve-
is acquievit Patria; nunc opem Veftram requifivit Gal-
, Hifpania, terrarum cæteræ. Lucet Veftris diftincta
ritis faftorum feries: atque inter tot virtutum prodigia,
rmanus ubique candor, & popularis gravitas, cum pri-
fide, meros nobis *Arminios* ac *Marobodnos*, probata
ftili quoque judicio nomina, longe lateque oftentant.
l nobis ad folemnia quædam virtutis veftræ tempora re-
ındum eft. Commoverant fe iterum fata Germaniæ,
ruebat imperium fuper Imperatorem; cum è Magni Tor-
ati fobole FRIDERICUS ille, cunctis ingenii dotibus
mique artibus eminentiffimus Princeps, unus maxime
is eft idoneus, qui pollutam Wenceslai probris rem-
licam priftino nitori vindicaret. Sed expectationis
dem publicæ vota infame mox parricidium intercepit:
oreffoque inter ipfa auguftiffimi operis exordia Rege Ro-
norum (jam enim hunc titulum loco rituque follenni
epetar) longis patriam tumultibus atque cladibus invol-
Interim fortuna feriem beneficiorum, quæ in res
rmanicas ex hac domo deftinaverat, abunde refectura,
ribus Friderici BERNHARDO & HENRICO longiffi-

 mam

mam heroicæ posteritatis successionem decrevit. Nam ex altero horum, *Duces Lunaburgenses*; ex altero *Brunsvicenses*, seorsum deinceps numerati, nulla non fati publici, aut splendoris Principalis celebritate inclaruerunt. Tantorum nominum sanctitatem, quæ cumulatis undique meritis, ex ævo in ævum, ex serie in seriem exsplendescit, veneror potius, AUGUSTE, quam capio: neque quicquam magis necessarium aut minus concessum judico, quam subsistere ad singula, modo porrigere gradum, modo referre; nunc in latus excurrere, nunc in orbem circumagi, & cum numerosis laudibus non quidem paria facere, sed eodem tamen spatio incedere. Fuit erutque hæc majoribus ingeniis ac operibus cura: nunc illa vix licet fastigia signare, quæ in æternis gloriarum vestrarum templis, tanquam pignora novi ac singularis muneris, benignum Numen voluit eminere. Ibat fortuna superioris seculi in novas rerum vices: & religionis Christianæ sidera, ut sic dicam, variis passim maculis infuscata magnam piis mentibus tempestatem præsagire videbantur: nisi mature serenitas illi antiqua cum fulgore incorrupto restitueretur. Sed, tentato primum negotio, præumbrabat graviter illa caligo, quam multorum oculis, nescio quæ nitoris adoptivi opinio, ac speciosorum claritas nominum obduxerat. Igitur inter plena periculis omnia, multum trepidabat recte sentientium pietas; donec excitati divino instinctu Heroës summi ac Principes, in publicis, quæ Augustæ agitabantur, comitiis, gloriosissimo Imperatori CAROLO cum reverentia simul & fiducia diserte testati sunt: Inter manifestas religionis corruptelas, quæ subinde hominum temporumque vitio invectæ propagatæque erant, non posse se alia de divinis sentiendi loquendique norma uti, quam certissima divinorum oraculorum formula; à quibus quicquid discreparet, nemini cum injuria obtrudi fas esse: itaque se suosque, quo minus Dei gloriæ & animarum saluti rectius consulerent, adeoque non quidem ab Ecclesia, sed ab Ecclesiæ deliquiis recederent, impediri non debere.

Inter

Inter hos, inquam, tam generosos & magnanimos sacrosanctæ religionis vindicos, qui pressæ veritati primum sunt ausi signum extollere ad bene sperandum, ERNESTUS & FRANCISCUS Lunæburgici, avus alter Tuus, AUGUSTE, alter patruus magnus, publicis perpetuisque monumentis prædicantur. Ab eo tempore, provehendo, quod exorsa erat, operi illustres passim officinas moliri divina cœpit Providentia: ut, quas bonarum ignorantia literarum religioni offuderat tenebras, nova ubique doctrinarum lux dispelleret. Hac origine censeri amant præclarissimæ per Germaniam Scholæ & Academiæ. inter quas illustri nitore *Julium* illud *sidus* emicat. Quo enim potius nomine & similitudine dicam æternum illud sapientiæ domicilium, cui JULIUS ille Vester, auspicium, decus, opes, & cumprimis faustum de suo nomine omen dedit? Ea certe Academiæ Juliæ celebrantur merita, quæ Illustrissimi conditoris famam, consilium, & divinam quandam felicitatem, vivo perennique encomio, per litterati orbis ac seculorum, quantacunque erit, amplitudinem circumferent. Cujus tamen celebritatis non ultra nunc quærenda fuit mentio, quam ut maxima quæque operum laudumque, intra domum Vestram, tam munifica Musarum admissione & commercio, veluti consummata ostenderem. Scilicet ad Tua properanti, AUGUSTE, obiter præmonendum erat, quam perfectum omnis virtutis, omnis meriti, omnis gloriæ exemplar æmulandum Tibi amplificandumque, domestica disciplina & augusti sanguinis feliciter in Te transfusa indoles commendaverit. Multum sibi aliquando videntur sapere, qui illustres familias, & proavorum laureas, & generosi decus sanguinis, Stoica verborum arrogantia extenuare audent ac pæne contemnere. Quo fit, ut, dum placere imperitis cupiunt, prudentibus imperiti merito videantur. Est enim profecto, est divina quædam omnique vulgari captu fastuque sublimior dignitas in illo sanguine, ex quo Deus Heroas format, publicarumque moderatores utilitatum producit,

 deni-

denique, impressa sui similitudine, veluti quosdam in terris Deos creat. A qua Supremi Numinis destinatione cum in hoc argumento recesseris, quid nisi profana & ab Augustarum sanctitate domuum arcenda poteris animo concipere? Frustra cogitat Principem, qui Deum in Principe non cogitat, non videt, non veneratur. Frustra nobilitatem prosapiæ in ore habet, qui Dei de illa nobilitate consilium in animo non reponit. Magnum est ac æternis dignum gratibus beneficium, quando unum aliquem cœlesti virtute ac subsidio instruit, tuendæque gentium saluti aut attollendæ gloriæ accommodat Divina bonitas: neque certior dignitatis pariter & admirationis heroicæ fides cogitari potest, quam natus publicæ felicitati consecratusque Princeps. At verò, cum ex una stirpe, non dicam civitatis alicujus rectores, sed magnarum nationum, populorum, regnorum arbitri, sospitatores, vindices, omni majestatis instrumento elogioque adornati, non interrupta seculorum serie, prodeunt: quis non videt, quam propinquis cognatisque nominibus Deus ejusmodi prosapiam cœli commercio ac terrarum venerationi admoverit? cum prætertim in Te, AUGUSTE, ac illustrissima sobole Tua, tam copiosa gloriæ ac spei pignora congruant, ut perpetuitatem incomparabilis fortunæ quavis ostensione fortius queant affirmare. Etenim, dum ex Celsissimis progenitoribus Tuis, HENRICO & URSULA, FRANCISCI Saxoniæ Ducis filia (quorum memoriam omni verborum honore majorem, nominando tantum liceat venerari) non Paternæ tantum Maternæque virtutis indolem, in Te traduxit summus Principalis genii architectus, sed cumulata utriusque toto orbe laudatissimæ Familiæ decora, veluti in unam consummati exempli formam congregavit: nonne suum de Te ac Tua posteritate consilium abunde putandus est declarasse? Itaque si qua sollertior pietas signandis illustribus memoriis prudentum animos attemperat, non alio nomine debet ac elogio annalibus inferri natalis Augusteus, quam

sub

ſub commemoratione perfectiſſimi muneris, quod Deus ex ſollemniore & auguſta ſuorum operum officina, neceſſitatibus Germaniæ, ornamento ſeculi, diſciplinæ poſteritatis, æternoque Principum exemplo gratificatus, longiſſimæ felicitatis fata juſſit implere. Apud quæ primordia, AUGUSTE, Tua conſtitutos tam arcana vis voluptatis pertentat, ut nec promovere gradum ſuſtineamus, quem vix ex argumento retinente molimur; & pervenire tamen ad ea cupide geſtiamus, quorum tot pignora, quatenus fas eſt, prætractamus. Juvat in cunis auſpicia captare de ſolio, atque ex habitu infantis, illam vultus majeſtatem interpretari, quam in Principe nemo ſine ſenſu ac nota excelſæ mentis intuetur. Non ſum ex iis, qui ſideribus nimium ac geniture in formanda hominum indole ac ſpecie tribuunt; neque ignoro pulcerrimas ſæpe animas minus exquiſito habitare domicilio: ſed cœleſtis cujusdam gratiæ lineas ac dignam imperio formam, quæ in Te reſplendet ac elucet, valde erraverit, qui non inter ea reputet myſteria, quibus ad ſceptrorum ſanctimoniam Divinitus ſolent Principes initiari. Sive naturæ, favorem cœli præſagientis ea eſt ſedulitas, ſive imago regnatoris omnium Dei, honori Principatus officioque deſtinata, ſuos quosdam in Principis perſonam radios ſpargit. Hinc vigor in vultu, vis in oculis, gravitas in conſpectu, decor in geſtu actuque; &, expreſſioribus indiciis, virtutum ſingularum imagines, ſupra privatæ dignitatis menſuram cumulatæ, demiſſas ſuperna origine Gratias repræſentant. Cujus rei fidem nulla ætatis pars eſt, quæ non uberiori ſubinde documento aſſeveraverit. Eminebat in prima pueritiæ face, generoſus ille & graviorum curarum ſive nuntius, ſive ſponſor, impetus: quo annorum moras ac Tuam ipſe ætatem prætergreſſus, quidquid pulcrum, ſublime, honeſtum eſſet, animo concipere, ſermone extollere, conatu aſpirare, nunquam, AUGUSTE, deſtitiſti. cumque maturo Tui fati inſtinctu veræ magnitudinis ſubſidia præſentiſceres, univerſam liberalium diſciplinarum amplitudinem ſtudio complexus, celerrimis

ac pene inauditis profectibus in id fastigium eruditionis evasisti, quod rarissimus quisque eorum, qui omnem litteris vitam dicarunt, potuit attingere. Cujus commendationis amplius diffusa est materies, quam ut in unum debeat locum contrahi. Igitur nunc, Auguste, si in officio Tuo aliqua nostri ratio haberi potest, ad Musarum Te palatia omnisque elegantiæ ac prudentiæ sedes gradu non segni prosequemur, labores admirabimur, palmas numerabimus: indeque ad tot gloriarum fructus, inter secreta Palatii Tui explicandos revertemur. Prima Tibi, post domesticam disciplinam, placuit publicorum studiorum magistra Rostochiensis Academia. cui cum anno ætatis quintodecimo, Tuam præsentiam & mox auctoritatem in gerendo supremo magistratu Academico commodasses; altero progressu Tubingam delatus, ejusdem honoris exemplique magnificentia, verum *Juventutis Principem*, omnisque virtutis ac industriæ auspicem Te ac ducem præbuisti. Mirantur, ac inter suæ felicitatis memorias studiose consecrant hodieque illustres Academiæ, quas Tuo ingenio formatas, Tuo ore pronuntiatas, ternas utraque orationes audivere: quæ & argumenti delectu, & stili elegantia, satis jam tum demonstrarunt, antiqua Tibi Julii & Augusti Cæsarum exempla proposita esse, qui & ipsi ab adolescentia præclare instituti, adeo nunquam aliena eguere facundia, ut inter præcipua regnandi instrumenta facilem in omnia eloquentiam expedirent. A quorum more cum primus Nero, ac deinceps reliqui certatim discessissent, imminuto non parum imperatorio decore, tyrannis ministrorum invaluit, ac in tot sæculorum damna inveteravit. At Tibi, Auguste, sanctior & interior patriæ, dignitatis, civium cura, non aliam studiorum rationem permisit, nisi quæ Principalis muneris actusque gravitatem olim deceret, imo consummaret. Venit in partem testimonii Argentina nostra: in quam, solutis pietate sollemni Optimi Parentis memoriæ justis parentalibus, illustrem doctrinarum famam non intulisti modo, sed plus etiam confirmasti, Professores huma-

unitate, Cathedras splendore Tuo tam eximie amplexus, novi prodito honore exempli, ab ore Illustrissimi Juvenis, ium Academicum in certamine litterario, non magis diatione generis, quam doctrinæ merito, citra præsidium enum, obtinentis, tum gratulabunda Studiosorum con-, tum doctissimi cujusque affectus æstimio juxta & adratione defixus pependerit. Cujus officio recordationis promptiore cultu ac lubentia defungimur, quo præstanr Tua in hanc Urbem voluntas, repetito postea aliquos hospitio, varioque exhibita comitate, apparuit. Certè, qua Musis Argentoratensibus fato destinata est perenni-, nunquam illæ suum posteris desinent AUGUSTUM entare. Atque adeo, quam cuperem, AUGUSTE, vel parte talis obsequii, vel in ordine susceptæ scriptionis, quam saltem studiorum Tuorum formam stilo designa-! [illegible] privatæ mentis industriam facile obruit altioris fati gnitudo: quæ profectuum singularium momenta, increnta, fastigia per inaccessas reliquis vias, ad fati sui ternos rapiendo potius quam promovendo extollit. Quod ex intervallo vest- [illegible] quædam sublegere fas est, Augum cognominem Tuum, Romani conditorem imperii, ncipum, sicut gentiles credidere, normam & exemplar, rum ante oculos constituerem, atque ex ejus disciplina, nium quendam, meis cogitationibus ac spiritum concirem. Hic acerrimæ indolis præstantia Cæsari Julio æstitus, post adoptionem, Apolloniam mittitur in studia: ut capessendam Parentis fortunam, id est, ad summi imrii regiarumque curarum molem sustinendam omni santiæ instrumento firmatus olim accederet. In hæc vorendentem, magistrorum gravitas, occasio, publica extatio, & supra omnia Divini cujusdam vigoris arcana ligatio magnis subinde auctibus provehebat. atque ne ulata tot hortamentis virtus evagaretur flagrantius, usus æ pro formula, disciplina Reipublicæ pro consilio, amtudo Principalis fortunæ pro mensura placuere. Itum in eloquentiæ penetralia, quæ cum reclusisset felicissi-

h mo

mo adolescenti, ipsa omnis facundiæ domina ac dispensatrix sapientia; relictis statim seculi ineptiis, & circulantium flosculis, promtam ac profluentem, & quæ Principem deceret, orationem sectatus, nihil antiquius habuit, quam ut emendatissimo nitore verborum, splendorem Palatii; & facillima venustate exponendi, publici actus genium ubique propitiaret. Ea Latine, ea Græce oranti cura; non puerili illa concepta studio, sed plus quam virili maturitate, ad augendam majestatem imperii & prodendam successoribus formulam quasi prædisposita. estque prodigii simile, quod sine omine deterioris status immutari postea ea civilis eloquentiæ ratio non potuit. Sed pergit, imò festinat Octavius noster in civilis scientiæ abdita, in gubernandi artes, & immensam illam artium amplitudinem, cui paucissimi mortalium ab omni ævo pares sunt reperti, animo peragrat, complectitur ingenio, destinatione pr[illegible]et, ac in terrarum orbis fata quodammodo librat. Confluunt ad miraculum juvenis, quicquid liberalium elegantiarum, invento aut usu celebrari consuevit: atque ex his pleraque sui notitiam, omnia vero amorem capaci animo ac æstimationem insinuant. Nec à militaribus interim meditamentis, & si quæ alia strenuitatem corporis ac vigorem excitant, cessatum: donec is fieret Octavius, cujus studia Augustum, quod postea nactus est, cognomentum non dedecerent, Tuisque, AUGUSTE, mererentur comparari. nisi quod Pietatis disciplina, id est, nobilissima Principalium studiorum pars, à Theodosii potius alicujus exemplo arcessenda est: quem hoc præcipue nomine, ut veram optimi Principatus effigiem ac spirantem felicis imperii formam, historia miratur. quanquam quid in hoc genere imitatio maximorum, quibus mentem semper attendisti, Principum profecerit, rectius forte dicetur, cum ad ipsum virtutum Tuarum augustale reverenter accedet nostra oratio: Cui nunc satis est, attigisse studiorum Tuorum memoriam, quibus, supra quam credi aut dici potest, generose ac strenue ad præcipuæ decus doctrinæ, & dignarum summa fortuna

:una artium gloriam evectus, ſummi Principis fidem prius
nerito quam munere implevisti. Jamque universi totius
ambitum, conditionem, ingenium, cum regionum popu-
orumque moribus, induſtria, prudentia, ſtudio emenſus
ras; cum altiori Tuæ fortunæ inſtinctu denuo excitatus,
ultiſſimis terrarum gentiumque diligenter obitis, in re præ-
enti, quod ajunt, æſtimaſti, quibus nexibus, vinculis, ro-
is, ingens iſte fati Europæi orbis volveretur: quæ ſidera,
uibus regnis, quid promittant: quæ in Germaniam no-
tram & res Germanicas, voluntates, ſtudia, conſilia ver-
entur in animis hominum, in aulis Principum, in ore na-
ionum. qualia qui non advertit, vix eſt, ut ſuæ Reipub-
icæ tempora perite ac proſpere adminiſtret. His inten-
um cogitationibus animum, multa obſervandi ſollertia, in
ajores curas temperat, quam quæ intra linguarum noti-
iam, morum politiem, rerum pulcrarum ſpectacula, deco-
am aulicarum exercitationum agilitatem, & ſimilia fru-
tum peregrinationis ac propoſitum concludi patiantur. Il-
s enim omnibus licet eximie vel intervalla temporum di-
inxeris, vel graviorum gloriam artium ornaveris, longe tamen
:æclariora erant, quæ ingenii ad imperandum nati curas po-
ſſimum occupabant. Cum præſertim magnos ubique viros, &
:condita doctos aut tractantes, Tibi non dignatio magis Tua
uam virtus conciliaverit. Id in Italia Tibi curæ, cum Pa-
vii ſtudia coleres, cum tot urbium ac Principatuum ple-
ique noſceres, cum Romam auguſtiſſimi quondam impe-
i larem, ad Clementis VIII. aulam, ſtatusque ac moris
odierni comparationem exigeres. Nec in Sicilia & Me-
e quidquam eorum prætermiſſum eſt, quæ pie pruden-
rque cogitanti de fatis rerum temporumque vel recorda-
o prioris ævi, vel præſentium æſtimatio, vel divinatio fu-
rorum poteſt ſuggerere. In Britanniam vero, quam ſole-
ni tempore atque adeo omine Tua Te fortuna traduxit,
UGUSTE? ut oſtenderet Tibi incomparabilem Semirami-
s Anglicæ ſucceſſorem JACOBUM, auſpicatiſſimi regi-
inis primordia inter publicas cærimonias capeſſentem;

Teque sanctitate festi, & conspectu tanti Regis, Tuæ indolis, Tuæ gloriæ admoneret: quæ alterum à Jacobo heroicæ doctrinæ virtutisque exemplum jam tum minabatur. Atque si, quod Prudentibus placet, occulto quodam vigoris ac necessitudinis commercio præstantes naturas mutui affectus invicem conciliant; quantos hausisti spiritus ex Christianissimi Galliarum Regis Henrici affatu ac humanitate? qui non per se modo benigne & comiter gratissimum hospitem excepit, sed ad Ludovici quoque sui venerationem admisso, luculentam occasionem patefecit, demerendi ejus auspicii ac majestatis, quæ tantum ex amplificata Galliarum gloria nomen, illi Heroum incremento meditabatur. Longum fuerit, Belgica quoque cum ceteris itinera persequi; ac seorsum describere, quantum experientiæ ac laudis undiquaque collegeris retulerisque: loquuntur pro nobis abunde consentientis testimonia famæ, judicia summorum ubique Principum & aularum, communis Germaniæ gratulatio, quæ de tanto decore suo nunquam dubitavit magnifice sentire ac sperare. Fulgebat in reduce sincera ac incorrupta patrii moris gravitas: quam ne diuturna quidem peregrinatio in pravam exteri ritus imitationem deflexerat, aut in vanitatis amorem ac versutiæ distorserat. quæ pro virtutibus vitia cum multi avide arripiant, merosque interim Ulysses somnient, hoc assequuntur denique, ut nec externæ gloriam elegantiæ exprimant, & in fastidia disciplinæ mentisque Germanæ corrupti, nescio quid monstrose peregrinum per oculos stupide mirantis vulgi circumferant. Quæ domesticæ labes gloriæ, quantum publico noceat, cum præsertim magnorum exemplis nominum se tueri cœpit, vel propterea nolumus declarare, ne argumento in faustiora omnia fœcundo convitium fecisse videamur. Et jam pridem nos ipsa Tui Principatus specimina vocant: quem tanto instructu aggressus, quadraginta per annos, aucto subinde administrationis curarumque onere, ita hactenus gessisti, ut Optimi, & pro captu temporum Felicissimi Principis exemplum sine exemplo

plo impleveris. Sequitur enim ut in universa vita, ita præsertim in imperio, fortuna virtutem: fidumque ac familiarem Deo Principem omnis natura, omnia rerum elementa suo quodam obsequio ministerioque demerentur. Equidem cum omnis Principatus inter ea sit, quæ eximio Divinitatis favore atque commercio gaudent: ineffabilis tamen ac longe interior est conjunctio, quæ mentem Pietatis remigio instructam, ad superna evehit, apud superna retinet, supernaque fœtam sanctitate in terrarum regimen dispensat. Hæc est origo generosi magnique consilii, quo sceptra præpollent: hinc vis auspicii Principalis, hinc majestatis veneratio, hinc omnia summæ fortunæ decora & pignora augustiorem in humana vultum expediunt. Itaque non officio tantum Christiani hominis, sed inter proprias sanctissimi muneris Tui curas, pietatis studium eminere voluisti, AUGUSTE. In quo se nemo Tibi, vel instructu subsidiorum, vel spiritu & ardore, vel emendati moris rectitudine, merito anteponat. Mirabitur posteritas, nec injuria, cum Sacrum Codicem, vice vel assiduissimis usitata sæpius, perlectum pridem relectumque, noto jam in vulgus elogio cognoscet: sed quanto plus est miraculi, in ipsa tanti operis tractatione? Primarum majestatem originum toto admittere animo, conferre interpretes, adhibere Doctores; quid operæ, studii, cognitionis, quovis seculo vel Sapientum doctrina contulerit, vel ardor Sanctorum penetraverit, sub unam quasi lucem conspectumque statuere: hæc, inquam, summi Theologi, sed in Principe documenta, non salutari minus, quam novo exemplo suspicimus. Accedit & reliqua sacræ eruditionis supellex, & quidquid religionis sinceritatem ordinat, formam tuetur, dignitatem amplificat, disciplinam gubernat. Ex quo Tu instrumento, AUGUSTE, Ecclesiarum tutelam, patrocinium, moderamen, quantum vel hominis ingenio vel Principis officio fas est, non in præsens modo depromis, sed in futurum disponis: transmissis etiam ad posteros monumentis, quæ Tuum in rem Eccle-

siasticam studium meritumque voce perenni eloquantur. Mos est gentilibus, cum intra animi adyta formant Principem, quem nusquam in aularum Palatiis inveniunt, ad fabulas denique decurrere, ac ingeniosis ambagibus mysteria boni Principatus involvere verius quam explicare. Inter quæ commenta non parum præcellit Minois educatio: quem novem annis in contubernio ac disciplina Jovis enutritum, ex illo divini secreto commercii ad solium & regnum producunt. Nec Osiridem suum, facundissimus audet Synesius pro publico boni imperii specimine prostituere, nisi arcanis prius Deorum sacris assuetum, & convictu quasi quodam cœlesti, in decus regni formatum. Quæ figmenta, sive disciplinam imperandi è cœlo Deoque deducunt, sive munus imperatorium Divinis alligant auspiciis, alludunt potius, quam exhauriunt, nec repræsentant sed significant veritatem. Nobis sapientiæ melioris stilus præmonstrat exemplum Principis, quem non fictitius aliquis Jupiter, sed Deus Deorum, Deus solus, Deus Rex & Regum auctor, sua imbuit sapientia, suis satiat colloquiis, suis firmat præceptis, suo implet numine, suo agitat vigore, sua ornat imagine. Solium quæris? cum Divino cohæret. sceptrum? à Divina manu porrigitur. consilia? è divina mente promanant. fortunam? divino favore secundatur. Et quid dicam amplius, aut quibus omnino verbis dicam, de Pietatis tuæ exemplo fructuque singulari, Auguste, quam peritissimus quisque sub Davidis illius aut Salomonis imagine cogitandam facilius animi affectu, quam orationis conatu declarandam susceperit? Igitur ex ipsa uberrimi argumenti copia, non inepti rationem compendii in cetera mutuabor: ut semel omnes intelligant, non minus supra facundiam, quam supra mensuram sollemnem esse, virtutes Principis à tam propitio, tam familiari, tam conciliato Numine profectas. Sedeant age peritissimi, rerumque actu & fortunæ casibus gnaviter exerciti, & expendant, divinum illud Tuum, Expende, quo tanquam signo aut tessera Prudentiæ recon-
ditæ

ditæ penetralia præſcribis: invenient haud dubie, quæ expendendo nunquam ſatis ſive expendant, ſive expediant. Non eſt mihi fas exiſtimare de præcipuis conſiliorum momentis, quibus ſecuritatem ſui ſtatus ac ſalutem tantus Princeps pace belloque providit ac redemit: poſſunt tamen pro argumento eſſe temporum diſcrimina, negotiorum ancipitia, animorum perplexitates, fata Principatuum, in quæ communem patriam pertinax fortunæ publicæ indignatio implicavit. Navem inter certamina tempeſtatum ſervare, non niſi periti, ſed & generoſi gubernatoris eſt: neque Rempublicam ex circumſtantibus undique periculis alius, quam profundæ ac præſentaneæ artis mentiſque Princeps eripuerit. Jacet ſepulta pæne ſuis ruderibus Germania: trepidant inter cineres fatalis incendii miſeræ civitatum ac populorum reliquiæ: omnia ſquallore, lamentis, deſperatione opplentur; ubique caligo mœſtitiæ, tenebræ calamitatum, pavores exitiorum demerſis incubant terris. E qua tam deformis ſpectaculi circumſtantia, Tua ditio nitidius tollit caput, & tanquam ex alta nocte lætioris radius luminis promicat. Beneficium ingens, & hodie pauciſſimis commune, divinum ante omnia favorem, ſed & Tuam, AUGUSTE, prudentiam nimis, quam evidenter commendant: neque quiſquam Imperii noſtri tam eſt ignarus, quin Auguſtæ pacis, adhuc inter ultima rerum pereuntium ſolatia veluti delecta ſede reſiſtentis, auctorem miretur, obvioque ſtatim prædicationis argumento, defæcatam affectibus mentem, temperata cautione conſilia, porrectas in abdita curas extollat. Vertitur periculoſe jam complures per annos, ac pene evertitur Reipublicæ orbis: atque in tanta ſtatus publici concuſſione, tam ambiguis omnia nexibus intricantur, cauſſis impelluntur, artibus variantur, ut, quam heri faciem negotia prætulerant, hodie amiſerint, neque in craſtinum proviſa ex hodierno habitu conjectura ſubſiſtat. Quo fit, ut nec in cavendo metus, nec in diſcernendo judicium, nec in providendo ſollertia, nec in obſervando attentio, quid-

quam.

quam expeditæ rationis inire possit. nisi quod omnia expendendo, Auguste, novum ad sapientiam iter reperisti, quo per ardua quævis enisus Tuæ pariter ac posteræ ætatis curam ex dignitate muneris sustineres. Jam primum, ut recte de instantibus judices, recte de imminentibus cogites, non contentus Augusti alicujus ingenio aut Aristotelis magisterio, ignoratam gentilitati viam ingrederis, ac pleraque perite de publico sentiendi momenta ex ipsis fatorum tabulis condiscenda autumas: satis gnarus, oculum Prudentiæ humanæ valde hebetem esse, nisi Providentiæ gubernatricis consideratione assidua illuminetur. Multum potest in moderandis hominum consiliis replicata veteris ævi memoria, & in exemplum accita annalium series; quæ non gesta modo eventusque, sed causas insuper ac rationes plerumque promulgat. Id est, quod de se pollicentur gravissimi quique veterum ex Græcia Latioque Historicorum: id est, quod lectores peritissimi quærere videntur ac sectari. Tibi omnis rerum hominumque memoria in promptu est; Tibi juxta patent gentium consilia & scriptorum artes. sed in hoc diversus es ab exemplo summorum Principum, quos imitaris, quod illi tantum ex libris hausere, quantum calamus auctoris consignaverat; Tua autem sollertia, in historiis non pauca attendit, quæ Historicus ultro reliquerat aut ignoraverat. Atque ita, cum Severus Alexander ex peritis historiarum discit, quid ex rebus gestis ad gerendas subsidii aut similitudinis suppetat; cum multi illi & magni imitatores Augusti (quem vel nominis caussa sæpius adhibere debemus) in evolvendis scriptoribus nihil æque quam præcepta & exempla publice vel privatim salubria consectantur: aliquid altioris studii Tibi relinquunt, Auguste, quo contextus rerum fatales, & dispensata divinitus in omnes actionum species partesque momenta, id est, ipsam prudentiæ totius vim ac spiritum, in quantum homini fas est, complecteris. Quam curam dum plerique hodie suo ac seculi vitio negligunt, infirmari Prudentiæ genium necesse est,

eſt, quem ſola Deo cœloque nixa generoſitas decet ac tuetur. Quid mirum eſt, eos falli, qui tam callide & animoſe ſpes metuſque ſuos in ſecula mittunt, immenſiſque molitionibus futuras ætates occupant? qui humani ſubtilitate ingenii mirandarum ſtructuras rerum inædificant? qui conſilia ſucceſſu & exemplo, nec ultra metiuntur? prorſus quaſi excluſum terris Numen, aut otioſe incluſum, nihil juris vel curæ vel potentiæ denique in humana obtineret. Tibi meliorem ſapiendi formulam miſſa cœlo dictant auſpicia: Tibi excelſæ mentis magnitudo, certum in arduis auxilium, in dubiis conſilium, in adverſis remedium ſpondet: atque, ut verbo dicam, Tibi Natura ſuas vires, Prudentia ſuas artes, Fortuna ſuas opes ultro indulget. Principales ſuſtinere curas, atque populorum præeſſe utilitatibus, quantæ ſit molis onus, ſi non aliunde conſtaret, ipſa nos eorum doceret raritas, qui per ſe tuendæ rerum ſummæ ſufficiunt. Itaque miniſtrorum per manus, regnorum arbitria plerumque ac fata jactantur: neque quiſquam navigio minus moderatur, quam qui gubernatoris nomine præfulget. At vero AUGUSTI noſtri Principatus, quo agitetur ſpiritu, quo convaleſcat vigore, quibus ſe attollat humeris, non prolixa quæſtio eſt. Supra primam ingenii animique ſortem, primo dignam & natam loco, nihil eſt, quo aſcendas: hæc nullis impar negotiis, adjutoribus ſuis adeſt auſpicio, præeſt exemplo; agenda præſcribit, acta judicat; momenta rerum apud ſe congregat, ex ſe diſpenſat, ad ſe revocat. Quod ſi ad oratorum hic imagines veniendum eſſet, primarii ſideris emiſſum in omnia fulgorem, aut præſentis ubique Numinis majeſtatem, ad interpretanda, quæ diximus, mutuaremur. Sed vocetur nunc ſimplicius *indoles Regia*, quæ nominis regii muneriſque menſuram ſola capit, ſola implet, ac in Principe omnia Principatus decora ſupereminet. Itaque, cum Te talem Natura genuit, AUGUSTE, talem Sapientia educavit; Heroem utraque quidem, ſed qui jure & nomine Principis eſſet, moliebatur. Atque hinc

perfectio illa Prudentiæ Principalis æstimanda est, quam nunc commendamus. nec alio spectat apparatus iste insolitus, quem circa solium Tuum omnes doctrinæ, artesque, velut in sacrario donaria suspenderunt: ut in Principe primum splenderet, quidquid in Principatus felicis spectaculo unquam splendere potuit ac debuit. Armaria rebus vetustate, raritate, artificio notabilibus referta non mediocri sumtu ac labore multi adornavere: sed affectus quam peritia major, & famæ potius studium, quam operum æstimatio id consilium moderabatur. Tibi pictura, plastice, & cum suo comitatu soboleque mathesis, exquisitæ monumenta industriæ artisque, non ut amatori modo, sed ut artifici ac judici, adeoque crebrius solito ac liberalius se dicata cupiunt. Ne de illustrissima nunc Bibliotheca dicam: quæ numero librorum ac præstantia, dispositionis cura, supellectilis apparatu, ornamentorum dignitate, subsidiorum commoditate, inter miracula Germaniæ emineret; nisi majus esset ipse Princeps miraculum, cujus munificentia Bibliothecam instituit, sollertia ordinavit, scientia comprehendit. Sciunt nihil in majus augeri, qui propiorem Tuæ aulæ usum adepti, plus ornamenti in animo Tuo, quam in fortuna; plus sapientiæ in ingenio Tuo, id est, in viva illa Bibliotheca, quam in tot codicum millibus, quos omnes notitia, cura, digestione Tua dignaris, agnoscunt. Quanquam, cui jam ignota esse potest infinitæ lectionis copia, & omnigenæ eruditionis varietas, quam non Virtutum modo actu vitæque consuetudine approbasti, sed victuris per omne ævum literis consecrasti? Nunquam defuerunt, qui specioso in vulgus colore Principem potius scribenda facere, quam legenda scribere oportere, contenderent. qui si hoc volunt, ne imperii negotia omittantur, aut destinata publico intercipiantur tempora, non debent nomine Principis promiscue uti. An tu Julium & Augustum Cæsares, M. Antoninum, ac minus vetusta nomina *Leones*, *Basilios*, *Cantacuzenos*, non satis industrie publica sustinuisse commoda autumabis, quod va-

rii

rii generis ſcripta, nunc ſoluto ſermone, nunc metris illigato, partim gravioribus apta conſiliis, partim temperando idonea otio ediderunt? Atqui tantorum ſpiritus heroum in omnia egregia & decora promtus validuſque, non erat vulgari modulo metiendus. Quod alii laborem, hi naturam vocant: quæ aliis diſtractio eſt, his vix occupatio cenſetur: unde alii fatigantur, hi reficiuntur. quid, quod eodem tempore intentam pluribus mentem nec memoria confundit, nec judicium fruſtratur? Qualia cœleſtis cujuſdam vigoris prodigia non capiunt, qui tam operoſe & moleſte de magnis viris ſatagunt judicare. De Tuis certe ſcriptis, AUGUSTE, quæ amœnitas ingenii, copia doctrinæ, & regii gravitas ſpiritus ex æquo decorant, nunquam ſerio cogitabit, niſi quem fata noſtri temporis de cœleſti deſtinatione admonuerint. Ecce litterarum domicilia ac inſtrumenta, atque cum his amorem & curam eruditionis, bellicæ hactenus clades per Germaniam corrumpunt, diſſipant, extinguunt: conſternatas tot damnis mentes in deſidiam fatalis torpor agit: periclitatur ſpes ac decus poſteritatis; quam non niſi magno molimine in gratiam cum avito & meliori more reduxeris. Igitur Hercule aliquo Muſageta opus erat: qui nominis majeſtate, omnique elegantiæ cultu ingruentem audacter barbariem propulſaret, ipſaque exempli magnitudine in ſtrenua poſteros conſilia provocaret. His inſtincta tam fatalibus ſtimulis optimi Principis voluntas, quo ſponte ibat, fertur alacrius, Muſas admittit ſecretius, ſcientias diſpenſat largius, eruditos fovet amatque impenſius. Quidni fulgeres præcipuis in omni genere litterarum luminibus Academia Julia, quæ eodem gloriarum tuarum auſpice & ſocio gaudes, eodem operis duce frueris & teſte, ejuſdem Patroni munificentiam experiris & arbitri judicium admiraris? Multas ſcholarum, contemptus depreſſit: & abſumit quotidie aliquas inopia. Tuæ perennitati ſatis proviſum eſt exemplo Auguſteo & Juliano: cujus imitatio domui Luneburgicæ, tanquam fato demonſtratum felicis imperii pignus,

vel ominis caussa in perpetuum curæ erit. Neque enim quidquam efficacius est & auspicatius ad commendandam posteris virtutem, quam exempla majorum: quæ non tantum familiarius movent, ut cognata; sed validiorem insuper venerationem habent, quia sine præsagio inclinaturæ in diversa fortunæ deseri nequeunt. Itaque nihil est præclari, quod non ab illa expectari Aula debeat, cujus status tot disciplinæ munimentis ordinatur. Observes inter artes regnatricis domus, consecratam Romæ religiosa cærimonia Palatii sedem: ut imperantis domicilium non magnifico magis ornatu præcelleret, quam sanctitate majestatis præpolleret. Ad Tuam, Auguste, aulam venientes, nulla quidem superstitio arcet, sed objecta in limine veneratio sanctiore scilicet affectu imbuit: ne ad sedem Deo divinoque dicatam Principi, cœlestibus plenam pignoribus, sacra Principatus & penetrales virtutum genios, ut sic loquar, complexam temere aut profane accedant. Ante omnia ipse Dominus aulæ, & mens, & anima, ex illa suæ potentiæ officina, in omnia remota, propinqua, per se, per alios, virtute exemploque securitatem in populos ac salutem, cum utriusque instrumento, dispertit. Ipse semper agit, semper viget, providet, sospitat, splendet, moderatur: nunc arridentem fortunam obsequio devincit, nunc minanti plenos generosi spiritus animos offert: nunc præsentia in formam & vultum ordinat, nunc futuris facit aut claudit viam. Jam, ubi inter Justitiam & Clementiam medius assedit, alteramque alteri, & utramque sibi conciliavit, mox videas audaciam malis decedere, fiduciam redire bonis, infelicibus patere asylum. fugiunt totisque exulant finibus calumniæ litium, nequitiæ sycophantarum, injuriæ præfectorum; neque hic contemnere & contemni, opprimere & opprimi, seculum vocatur: quippe sub tanto æquitatis jurisque auctore & magistro, facile sua se fortuna metiri discant, qui aliena mallent abuti. Solet non raro evenire, ut benefici ex aula sideris lumen ad multos nequeat penetrare, obductis passim per aulicorum artes nubibus,

bibus, aut qua transire debeant radii, caligine offusa. AUGUSTUM nec adulatoris criminatio, nec obtrectatio invidi, nec æmulatio adversarii fefellerit: omnia pariter absistunt, omnia metuunt, neque inimicum vitiis animum vitiorum artifices audent tentare. Hinc liquida & serena lux in omnes Principatus angulos se permittit; non casas prætererit ac tuguria, non agros minus quam urbes exhilarat, summosque cum infimis pari benignitate permulcet. Modo Liberalitas sub illo lumine in egenorum solatia, aut benemerentium præmia præsto est : modo Humanitas ad inspicienda infelicium damna, levandos mærentium dolores, laudandam civium fidem ablegatur : modo ipsius Principis aspectu, tanquam Sole, adversus seculi tempestates, omnia refoventur. Quod si denuo ad ipsa tot bonorum penetralia remeare libet, ne ab interiori quidem ac familiari vitæ consuetudine nos excludet innocentia Principis ac sanctitas: quæ exemplo melioris seculi consecrata, nihil minus quam latebras amare potest. Digna sunt, quæ in omnium oculis versentur, ac sermonibus, dicta & facta Principis ad laudem ac decus nata; assidui pro Republica labores, remissionum tempora parce, nec otiose interposita: decora & prudens in conjugem comitas, in sobolem pietas: benignitati propior apud amicos gravitas; dignitatis ac disciplinæ memor in familiares auctoritas: cultus corporis, mensæ, totius aulæ, inter magnificentiæ, elegantiæ, moderationis specimina & confinia, rationi fortunæque attemperatus: ministeria ad usum Palatii & operas disposita: luxuriæ instrumenta & artificia, locum melioribus laxamentis cedere jussa: exclusi scurræ, circulatores, harioli, aliaque consortii Principalis dehonestamenta. Nihil in vultu, in gestu, in incessu Principis, quod exemplo aulæ in omne decus formatæ disconveniret. Neque minus egregie secundas partes AUGUSTA tuetur: cui hoc, illustrissimum inter feminarum elogia nomen, non Mariti tantum merita & regii consors sanguinis nativitas, sed augustæ mentis celsitudo, longeque sexum supergressæ virtu-

tes suo jure vindicant. Loquetur Te, generosissima Heroidum SOPHIA ELISABETHA, omnis posteritas; & cum AUGUSTO Tuo inter præcipua matrimonii fatorum industria congruentiaque conciliati exempla prædicabit: quæ tanti conjugis judicium mereri, implere, superare potuisti. Per Te repensantur omnes illæ Charites, & quidquid Amorum decorumque, primum in CLARA MARIA POMERANA, deinde in DOROTHEA ANHALTINA, Serenissimis Viraginibus, Optimus Princeps amiserat: quasi prorsus id agere voluerit fortuna, ut sua non parcius continuasse quam collocasse beneficia videretur. Pulcrum ac venerabile spectaculum! fulgorem tot radiis è cœlo derivatis accensum, non nisi ad aram Phœbi Tui dedicatum, ejusque lumine auctum illustratumque in gaudia publica & solatia dispensas. mater populi, affectu; matronarum specimen, exemplo; aulæ salus domestica, beneficio: cujus potentiam nemo doluit, modestiam nemo desideravit. Nam quid ceteras in omnem elegantiarum cultum congruentes dotes artesque memorem, de quibus nec pauca debent, nec multa nunc dici possunt? Igitur haud paulo rectius seorsum & accurate, inter illustrium miracula fœminarum, tantum nomen ad posteros Scriptorum pietas celebrabit. Nobis enim tam multiplicatus aulæ AUGUSTÆ splendor, ne omnia semel & liquide contemplemur, oculos præstringit, summasque tantum collucentium undiquaque siderum imagines ostentat. è quibus dulcissima flamma est, quam, veluti ex repercussu, Celsissimorum Parentum solio, augusta utriusque sexus pignora copiose refundunt. Quid non speres magnum ex illa sobole, cui Deus magnarum originum indolem, fortunam, exempla vel ingeneravit liberaliter, vel luculente repræsentavit. Atqui non sperandi jam sed confidendi argumenta quotidie suppeditatis, ætatisque vestræ mensuram mirandis laudum profectibus præeminetis Illustrissimi Juventutis Principes, RUDOLPHE AUGUSTE, ANTONI ULRICE, FERDINANDE. nam ad Vos eo majori fiducia accedo, quo testatior

est

est indolis Vestræ benignitas, neminis hominis qualecunque etiam in Augustam domum Vestram studium aspernari docta aut sueta. Vos inter delicias & amores sæculi veneror: Vobis ista exsplendescentis abunde virtutis omina ac specimina gratulor: Vos, ut munimenta felicis aulæ ac subsidia, Providentiæ rerum publicarum Sospitatrici, publica pietate commendo. Vobis sera Parentum immortalitas, prospera Sororum matrimonia, digna denique Vestris moribus fata contingant ac tempora. Paucis ista verbis comprehensa, quam prolixo mentis affectu dicantur, ita poteritis æstimare, si me inter eos numerare dignabimini, qui divinæ in res Germanicas curæ monumenta, pignora, auspicia, indeque natas expectationes, non irreverenti diligentia speculantur. De cetero, credite, me omnia ista vovere atque augurari, quæ nuper, feliciore magni Viri calamo ad Vos sunt exarata: cujus *speculum Augustæum* tanta concinnitate adornatum est, ut præripuisse potius in hoc argumento, quam præbuisse aliis scriptoribus facultatem videatur. Nunc ad Te, SERENISSIME DOMINE, redeundum est: ad quem omnia, quæ in aula & Republica Tua hactenus veneratus sum, suos cultores remittunt. Tuo debetur auspicio, curæ, dispositioni, exemplo, quidquid Augusta domus splendoris ac disciplinæ; Respublica vigoris habet ac salutis. Tua, AUGUSTE, Censura omnia emendat; Tua vigilantia omnia defendit; Tibi caritatem suam publica populorum allegat pietas: Tibi obsequia sua civium consecrant curiæ, conventus, ordines: Tibi elogia Augustea & & eximias laudes, & fausta omina, omnis sexus, omnis ætas, & aperta undique gratulantis turbæ ora vocesque modulantur: *per* AUGUSTUM *se vivere, per illum arare, ædificare, negotiari; libertate atque fortunis per illum frui.* Tibi, si quid ex antiquitate magis exquisitum, Prudentum studia recordantur, statim & merito accommodant. Ponebant olim plurimum in votis Principum aut imprecationibus: quibus vel certa terris prosperitas, vel haud dubia pernicies acciretur. Hinc cœli ac siderum clementiam, terrarum

rum proventus, agrorum fruges, fœturam pecorum, hominum fœcunditatem, Reges ſuo Regno à Regiis diis precatos adeptosque, ſpecioſe videas memorari. Neque ulla in Principe ſplendidior celebritas excogitata eſt, quam ut miſſa cœlo in publicum munera, imperantis nomine ac auſpicio prædicarentur. Quæ res multum utique ex vero trahit: quamvis partim adulatio ſuas, ut fere ſolet, partes non raro interpoſuerit. Quæ enim certior ſancti Deoque cariſſimi Principis æſtimatio dari poteſt, quam effuſa per populos, in Principis gratiam, divina beneficia? quæ ita jubentur cives excipere, ut Deum ſimul in munere, ſimul in Principe, qui muneri conciliando diſpenſandoq; præeſt, revereantur. Itaque vere AUGUSTUS es, Princeps Sereniſſime; vere ſanctus, vere venerabilis; ſanctimonia augurii, eminentia auſpicii, incremento felicitatis. Neque quisquam Tuorum de illa dubitat majeſtate, quam quotidie omnes ſentiunt, omnes vident, ipſisque pene manibus contingunt. Vive & Vige & Splende, ô Vita civium, ô Vigor imperii, ô ſeculi Splendor! Deus Te amet, AUGUSTE, quem Tu ſemper amaſti, qui Te ſemper amavit! Deus Te ſervet, qui Te ſemper ſervavit! DEUS Te amet ſervetque, AUGUSTE, ut Tuos diu amare, diu ſervare poſſis! Quidni enim à laudibus, quas non capit ingenii tenuitas, ad Vota tranſgrediar; quæ, ſi cetera deſint, ſola abſolvit pietas? Conquirere elogiorum titulos, diſponere virtutum claſſes, meritorum numerare adoreas, prædicare fortunæ munera, ejus forte fuerit, qui Tuam magnitudinem anguſtius, quam par eſt, metiatur, aut certe juſtam moliatur hiſtoriam. Quid quod nec civilis modeſtiæ eſt, de vita actuque Principis, ſine nutu Principis, adeoq; ſine numine & nomine, ut ſic dicam, ullam expoſitionis plenæ ſeriem ordiri? cumque laudatio communis pietatis præcepto contineatur, quidquid ad hiſtoriam accedit propius, ſingulari indultu juberi amat. Ea propter nemo hic deſcribenda putabit divina AUGUSTI in imperium Romanum, in Illuſtriſſimas neceſſitudines, in omnem Germaniam merita: Virtutum ac officio-

officiorum cumulata in perfectæ beatitudinis exemplar decora: elaborata pro egregio publico consilia: vindicata è Martis sinu, Patriæ spolia: tolerata constanter & superata feliciter discrimina; è quibus modo vita Principis, non sine nota fati heroici, modo civium salus sub præsidio Principalis fortunæ convaluit. Quidquid horum est, AUGUSTE, institutum meum supergreditur: qui sub auspicio ductuque Musarum, plurimum in aula Tua pollentium, inter eos volui comparere, quibus testandi occasiones devoti animi accipere potius, quam deligere fas est. Si propitio pacatoque vultu, prima & adhuc circa Augustum limen verecundantia obsequia admiseris, ex Tuis haud dubiè auspiciis, DOMINE SERENISSIME, quæ nunc desideratur unice ac deficit, ingenii sermonisque facultas reficiet se ac instaurabit.



VI.
ELOGIUM,
Illustrissimi Comitis & Fortissimi Imperatoris,
LINNARTI TORSTENSONII,
tumulo dicatum.

TORSTENSONIAM Gentem, antiquis apud Suecos titulis Equestrem, primus in altiorem nobilitatis gradum extulit LINNARTUS: Comitis dignationem, ob rempublicam sæpe fortiter fideliterque admini-

niſtratam, judicio & indulgentia CHRISTINÆ Reginæ adeptus. Huic, ut in ſummis non modo ſuæ ætatis, ſed omnis ævi imperatoribus numeraretur, præter naturalem ingenii ad ardua facti dexteritatem, diſciplina Maximi Regis, GUSTAVI ADOLPHI, auſpicium fortunamque contulerat. Sub ipſa enim adoleſcentiæ initia in tanti Principis familia, mox & in commilitio eſſe cœpit: bellique, quod tum in Livonia acerrimum gerebatur, rudimentis induratus, ab infimo ordine ad Tribunatum proceſſit. neque mutavit nomen, cum poſtea bello Germanico, vi muneris ampliore, rei tormentariæ curam geſſit: Regi ſuo in dies carior & jam inter eos æſtimatus, quos in omnia promptos, & ingentis fati, quo tum res agitabantur, capaces miniſtros, Fortuna Sueciæ, adornaſſe videbatur. Audita non ſemel vox eſt Regis, familiari ſermone, TORSTENSONIUM inter paucos imperatoriis curis parem deſtinantis. Quod ille ſive judicium ſive præſagium, quanto virtutis gloriæque ſucceſſu impleverit, ab eo potiſſimum tempore repetendum eſt, quo poſt cetera militarium officiorum operumque decora, ſummæ rei imperio præfectus, concuſſam morte illuſtriſſimi Ducis BANERII & labantem fortunam belli, ſuo adventu immane quantum recreavit. Habuit ille annus (à quo hunc decimum numeramus) miras incerti Martis, ac pæne inauditas tam longo bello vices. Paulo enim ante, BANERIUM ſua felicitas videbatur vocaſſe ad occaſionem patrandi operis, quale nullius ævi hiſtoriæ memorant: ut Cæſarem cum univerſa aula, Imperiique Proceribus, comitia Ratisbonæ habentes, ex urbe ad vim ſubitam & ſtrenuam nondum ſatis inſtructa, vel in fugam exigeret, vel in triumphum educeret. Mox ad alia inde non ſine incommodo digreſſum, tacitis paſſibus mors pone conſecuta, hoſtibus non modica gaudiorum & ſucceſſuum materia fuit. Ejecta paſſim locis opportunis, præſertim per Saxoniam, Suecorum præſidia: amiſſa ſimili fato Sileſia: neque Görlicium, caput rerum noſtrarum in Luſatia, ſingularis Wanckii, ſumma

na ope propugnantis, virtus tenuit: Guelferbyti vero obsidionem, tanto temporis, sumtuum, laborum, hominum impendio hactenus tractam, coortum inter obsessores ex æmulatione certamen, ac dissociatæ subinde fœderatorum vires dissolverunt. Instabat hostis impetu, consilio, virtute: atque in dissidia ducum, & querelas militum intentus, suam occasionem ex adversis nostris strenue ac feliciter consectabatur. Inter quæ TORSTENSONII è Suecia adventantis, primo nomen, mox præsentia illum rerum cursum sufflaminavit; Fortunamque, nescio quid transfugii simulantem, in partibus, nec invitam, retinuit. Compositis enim & instauratis, quæ turbata erant in exercitu & apud socios, quaqua progressus est, terrorem, fugam, vulnera in hostem tulit: receptis, & in ditionem vi metuque subactis plurimis oppidis locisque opportunis. in quibus Glogovia, situ, opere, præsidio munitissima urbs, intra unam & alteram horam expugnata, ingenti armorum annonæque abundantia, merces & instrumentum festinantis ad novas subinde victorias belli fuit. Idem impetus Schvveinicium domuit: nequicquam prævertere tantam celeritatem auso Principe Lauemburgico. Qui cum egregia militum tuendæ Silesiæ impositorum manu, victoribus illatus, fœdissimæ cladis & captivitatis suæ (in quam sequebantur ducem, præter legatos plerosque & tribunos, duo amplius armatorum millia magnusque signorum numerus) unicum solatium habuit, maturatam intra paucos dies ex vulneribus mortem. Vix tertius agebatur mensis, & Silesiam ferme omnem armis metuque tenebat TORSTENSONIUS. Unde in Moraviam improvisus divertit, atque caput regionis Olomucium oppugnare adortus, impetu fortunaque sua tantopere præfectum loci exterruit, ut obsidentium vim ultra paucos dies sibi sustinendam non putaret, dederetque, irreparabili in posterum jactura, urbem omni copia militaris apparatus, commeatuum, divitiarum abundantissimam, bellique, ut sic dicam, integri comparandi gerendique officinam. Tum vero, irritata tot adversis hostium virtus, reficiendis rebus ma-

majore auſpicio ac intentioribus curis incubuit: novamque belli apparatiſſimi molem Archiduci Leopoldo Guilielmo, auctoritatem aulæ & dignationem Cæſaris ad exercitum laturo, commiſit. Exacta igitur non inſtrenuis laboribus æſtas; nec alio tamen eventu, quam ut Sueci parta per Sileſiam & Moraviam pleraque retinerent, & mox ſupplementis novato exercitu, inſigni acceſſione augerent, hoſtemque, poſt crebras velitationes & levia certamina ſolutasque velut in vicem, hinc & inde, obſidiones, in Miſniam ad fatales Lipſiæ campos pertraherent. Inter cruentiſſimos belli Germanici dies, altera illa Lipſienſis acies fuit. Utrimque ſummis viribus pugnatum, utrimque ſiniſtrum cornu inclinatum; ducum quoque ab utraque parte nihil non conantium, æquata pericula: Torstensonius ictu tormenti proſtrato equo, tanquam è mortuis ad conſummandam victoriam ſurrexit: Archiducem contra fortunam ſpei inſiſtentem, jamque ab exercitu deſertum, exigua fidiſſimorum manus è circumſtantibus hoſtium gladiis ægre eripuit. Venerunt in manus Torstensonii, præter impedimenta & omne inſtrumentum caſtrenſe ac imperatorium, ducenta circiter ſigna: nec multo poſt, acceſſio victoriæ, Lipſia fuit, repetita à prælio obſidione ad deditionem compulſa, operibusque & apparatu Suedicæ his locis militiæ caput eſſe juſſa. Inſequente anno, commutata belli ratione, Gallaſſius Torstensonio oppoſitus, à probata ſibi unice militandi conſuetudine non diſceſſit: ſuper inſitam cunctationem, ingentis conſilii ratus, fatigare & detinere hoſtem, cujus invicta prælio virtus, & penetrabilis urgendo bello impetus eſſet. Verum Torstensonius, in conſpectu hoſtis, ſemper è propinquo quatenus tuto licuit, aſſectantis, circumferre arma & terrorem per Bohemiam, Sileſiam, Moraviam: exſcindere caſtella, occupare præſidiis urbes & connectere; ſubvenire obſeſſis, nihil apud hoſtes quietum pati; excurſionibus interiora Auſtriæ territare. Huc enim animum fortunæ publicæ ſenſu penitus imbutum, perpetuus, & naturalis, ut ſic dicam, ſtimulus inci-

incitabat: hoc belli caput, & regimen rerum; hinc finem armis, hinc paci auspicia petendum: &, munito jam aditu, provisisque in proximo subsidiis, ut primum se præberet occasio, redordiendam, qua fata monstrarent, viam. Equidem, quantum faveret votis, pro pace publica rite conceptis, Fortuna aliquantisper in occulto tenuit: donec distractum bello Danis inferendo TORSTENSONIUM, confectis prospere celeriterque rebus, post octavum mensem, in priorem arenam restitueret. Gallassius enim, serus Daniæ auxiliator submissus, cum ad propiora revocaretur pericula à TORSTENSONIO, neque in agmine, neque collatis postea apud Bernburgum castris se expedivit, quo minus in illa conclusione & tentata ad extremum fuga, nobilissimus exercitus propemodum internecione deleretur. Rarum absque decretorio conflictu decus, & opportunum augendis TORSTENSONII adoreis, ex eo hoste, cui tantum hactenus sua calliditas placuerat. Hac accepta clade, Cæsarei in Bohemia reparando bello, quanta unquam contentione, incubuerunt. contractæ undique cum eximiis ducibus, copiæ: quas delecta Bavarici militis manu Werdanus auxit. Hatzfeldio, cujus insignis ea tempestate militaris fama, supremum in omnia regimen datum: præclare destinatis, quæ in rem erant, si cum alio hoste negotium fuisset. At vero generosum TORSTENSONII animum, tam bene constitutæ Cæsarei exercitus opes, ad fortia consilia, potentibus ultro irritamentis accenderunt. uno eodemque tempore Danica, quibus strenuæ efficaciæ virum Helmoldum Wrangelium discedens ipse præfecerat, moderatur consiliis, instruit viribus, munit subsidiis: & Bremense bellum Kônigsmarckio, expeditæ in omnia virtutis fortunæque Duci, conficiendum tradit: & in Bohemiam ad Cæsarianarum robur partium festinat; certus, prælio decertare cum resistentibus, aut, si certamen detrectetur, promotis signis bello sedem apud intacta Danubii firmare. Provenere, quæ prudentibus destinata votis erant, omnia: Fortuna, magno quidem pretio, sed ingentes victoriarum

fructus Suecis vendente. Jancoviensi quippe prælio, quidquid laborum, conatuum, discriminum, virtus humana capit, tota die sustinendum fuit, antequam debita TORSTENSONIO victoria obtineri potuit. Hæc ultima, de septem majoribus pugnis, ab initio Suecicorum in Germania armorum, usque ad constitutam publice pacem, pugnatis, exercitus hostium magnificentissimi vires vel absumsit, vel in ditionem victoris redegit. Hatzfeldius, cum quinque summis militiæ præfectis, captus; Gœtzius, occisus, haud obscura ceteræ cladis argumenta sunt. Quanquam longe nobiliora victoriæ præmia putari debent, patefactus in Austriam aditus: pressius servitute Danubius, qua parte hactenus munimenta & claustra imperii ostentaverat: terror ad portas Viennæ prolatus; & in oculis urbis dominæ omnia prædæ ac direptui habita. Quantum ille annus ad summam belli profecerit, ne hostes quidem diffiteri poterant. Et quis fuisset procurrentis fortunæ impetus, nisi TORSTENSONIUM, occupatis jam passim locis opportunis, ad majora paratum, pertinacior apud castellum Brunnense morbus attinuisset? Quo factum, ut obsidio difficillima, Ducem omnia inspicere, omnia exigere & urgere solitum nimis quam desideraret. Neque tamen interea minus militiæ tam felicis strenuitas, expetitis pridem destinato consilio locis pervagata est. Cumque nova belli ratio in Bohemiam revocaret TORSTENSONIUM, & subinde, ingravescens valetudo, vacationem ei militiæ, & reditionem in Patriam, tandem impetraret: non discessit tamen ab exercitu, donec, petarmatis denuo instructisque copiis, designatis locis, dispositis consiliis, formidabilem hosti & nulli non magno operi parem apparatum, cum fortuna partium, successori Carolo Gustavo Wrangelio, vices imperatoris pridem strenue functo, tradidisset. Tanti civis reditum, nunc quoque celebrat Suecia, faustisque ominibus & bonis recordationibus duraturæ cum æternitate rerum pietatis studium explere gestiens, captas urbes, superata pericula, conserta prælia, modo in cumulum, modo

do in ſeriem, colligit, explicatque: hæc ſibi gaudia, hæc liberis poſteriſque ſuis exempla, dulciſſimo annalium genere, in animis & conſcientia victoris populi conſecranda judicat. Una omnium communis vox auditur: Hic eſt ille, qui Magni Regis contubernio æſtimatus, inter Herois magiſtri victorias ad tutelam patriæ ſuccrevit: hic ſuboli noſtræ in agmine dux, in caſtris doctor, in acie commilito; ubiq; civis, ubique pater fuit: in hujus oculis generoſa vulnera meruiſſe, ſanguinem & ſpiritum profudiſſe, optimum pro republica augurium duximus: hujus merita, in fatis noſtris; manubiæ, in tropæis, inextincta claritudine effulgebunt. Perſonabant ejusmodi acroamate viventis etiam TORSTENSONII aures, famaque ſui cogebatur vel eo nomine frui, quod civibus ſuis illam panegyrici concentus voluptatem invidere non audebat. Sed poſtquam vivendi finem fecit, neſcio quo pacto & ſtudioſius inclamantur, & jucundius audiuntur, profectura deinceps cum ſæculis orbe toto præconia, quibus interim per ſolenne officium, gloria funeris, & monumenti perennitas exſtructa eſt. Quorum induſtria, domi & circum finitima quamvis magnis operibus, eniteſcit, ſcriptorum ingenio, favore amicorum, beneficio exquiſitorum varie monumentorum opus habent, ut famam nominis ſui immortalem faciant. Suecorum arma, nobilior pars orbis, diverſo nomine ad ſe pertinere putavit: atque in ſuas memorias retulit. Plenæ Gothicis nominibus tabulæ Rerumpublicarum; plenæ imaginibus Arctoæ virtutis ac ſimulacris, provinciæ: plenæ miraculis ſummorum Principum GUSTAVI MAGNI & CHRISTINÆ, literæ omnes hiſtoriæque, & ſunt jamiam, & magis erunt deinde; cum debita tantis rebus commentatio, interioris graviorisque prudentiæ genium, novo huic & pæne adhuc ſtupenti ad ſua fata ſæculo familiarius conciliaverit. Extabit ergo ſemper in illis titulis laus ac fama TORSTENSONII, & hæc laudis famæque ſumma: quod duorum Principum, quibus nihil majus univerſitas rerum vidit, graſſanti ad ſublimia virtuti fortunæque, per omnia ampliſſimi obſequii

ſequii atq; miniſterii munia ſuffecerit. Qui hoc dixerit, omnes ingenii dotes, omnes animi artes dixiſſe intelligitur: quibus primæ ſortis viros, Deus, à ſe adornatos, Principibus inſtrumenta imperii, nationibus ornamenta ſæculi comodare ſolet. Hic comendationis humanæ apex, hæc genuina Heroum dignitas: ultra quam non aſcendunt, qui ex hominibus Deos facere conati, ſi hiſtoriam profitentur, mendaces; ſi rhetorum & poëtarum conſuetudinem obtendunt, otioſi ac ludicri deprehenduntur. In Torstensonii certe laudibus, ſi quis has inſtituat ſtilo ſignare, parum decore, opinor, extaret, quidquid in umbra natum, Martii hujus campi lucem reformidat, & à gravitate ac modeſtia caſtrenſis diſciplinæ in diverſum abit. Etenim, ut parem tantis rebus moliendis efficiendisque indolem; ut felicitatem, & felicitatis comites an duces, prudentiam, induſtriam, fortitudinem, juſtitiam; ut adminiſtras harum virtutum reliquas, nobilitate præcipuas, numero plurimas, intelligat ſæculum, admiretur poſteritas, nullis opus eſt artificum inventis: non magis utique, quam ad demonſtrandum ſolem lucerna indigemus: ſola eſt, unde quidquid hoc eſt muneris, expectari debet, ſimplex & ingenua commemoratio vitæ, ſic omnigena laude tanquam proprio lumine collucentis. Sive enim ſumma nobiſcum faſtigia rerum ſequaris, nihil deerit ad æſtimandam non fallaci menſura invicti Herois magnitudinem: ſive in ſingula juvet potius inſpicere, operum rationes & cauſſas perſequi, nullo certius documento, quam pateat ample nativa virtutis majeſtas, quamque aſcitum refugiat decus, judicabitur. Sunt equidem magni ſæpe homines, quorum facta, pro eventu veluti confertim offuſo fulgore, in oculis populorum mirifice coruſcant: præſertim in bello, ubi virtutum nomina potius, quam ingenia, æſtimantur. Rariſſimi decoris illa laus eſt, quæ animum bonis artibus ſerio compoſitum, ad incorruptam præclare agendi conſuetudinem, interiore quodam motu ciet temperatque. In Torstensonio, cum immenſum præfulgeat clariſſimorum magnificentia operum, plus admirationis

tionis

tionis habet indoles & ratio auctoris: qui fortunam conciliare ſemper quam tentare maluit. Quo factum eſt, ut diſſociabiles laudum tituli, fiducia & conſilium, pari ſemper paſſu profectuque, vel incederent ad proviſa, vel procurrerent. Negotiorum naturas nemo inſpexit penitius; tractandi vias, nemo expedivit celerius: cumque aliorum ſententias nunquam non exploraret, propria ipſe difficillimis quibusque rebus ſollertia ſuperfuit. Quantam curarum molem unus ſuſtinuerit, nemo ſuſpicari poteſt, niſi qui Germanici belli magnitudinem, acerrima domus Auſtriacæ conſilia, nec minores quam pro ingentibus propoſitis opes: tum Suecicarum eo tempore partium, diſtributas regionibus, diffuſas fœderibus, connexas utilitatibus vires, in numerato habet. Provinciarum regimen, præſidiorum neceſſitates, ſociorum commoda, copiarum ſupplementa, annonæ ſubſidia, modo in has, modo in illas partes, varie diſtrahebant animum, nihil ſibi negligere, nihil hoſti concedere ſuetum: cumque tantis ab aula intervallis, pleraque pro re & tempore tractanda eſſent, non minus interea domum reſpicere: mentem ac rationes publici ſummique conſilii, divinandi ſollertia aſſequi, regiasque utilitates congruentibus accurate obſequiis propitiare, primum in omnia auſpicium erat. Atque ſi vera rebus vocabula ponimus, non unius belli, ſed multorum inſtar habuit, in tot duces, exercitus, provincias ab uno emanans capite proviſio. In qua tantum fuit cœleſtis cujusdam induſtriæ, ut neque ab arcanis Fortunæ propoſitis, neque à commiſſa ſibi reipublicæ ſalute gloriaque, neque ab optimis perficiendi rationibus, providentiſſimus imperator usquam deverteret aut aberraret. Prodigii ſimile fuit, tot laboribus ſufficere virum creberrima valetudine debilem, defectumque pæne artuum robur, ſola firmitudine animi ſuſtinentem. quem propterea, ante experimentum imperatoriæ virtutis non defuerunt, qui vulgaribus dicteriis contemnendum putarent. Sed conſtabat ratio conſilii, Sueciæ nunquam felicius ſuis incrementis obſecutæ, quam cum TORSTENSONIUM, incommoda valetudinis nequic-

quicquam cauſſantem, è patria, non multo ante repetita, in expeditionem tantæ mittentibus & miſſo gloriæ futuram perurgeret, atque in ea, usque ad demonſtratum divinitus articulum temporis dilato vacationis deſiderio, retineret. Evolvantur annales, replicentur militares ſæculorum memoriæ: quis unquam dux, proſpera valetudine & viribus corporis, in bello non minimum pollentis, præcellens, majora vigoris, efficaciæ, celeritatis documenta dedit? Dixeris, lectum ejus, plura aliquando diligentiæ ſpecimina, quam aliorum caſtra & campos, habuiſſe. Itaque, non jam deminuit ea res, ſed auxit viri admirationem: magnusque apud hoſtes, venerandus inter ſuos Torstensonius, incorrupta ubique auctoritate famaque perviguit. Efficaciora ſunt omni commendatione teſtimonia hoſtium, in literis, in ſermonibus, in conſiliis, hunc vigilem, hunc acrem, hunc vi aſtuque juxta impenetrabilem metuentium ſimul & laudantium. Et quam parum abfuit, quin accederet ille affectus, cui nullus inter arma locus vulgo relinquitur? Certe, quin generoſiſſimus quisque hoſtium, aut aliquo virtutis ſenſu præditus, manſuetudinem Torstensonii victis ſemper paratam, nec in medio armorum curſu incompertam, amaverint, dubitatio pridem argumentis etiam in vulgus notis, exemta eſt. Id ego præclariſſimum laudis militaris genus reor, iram certaminis, libidinem gladii, licentiam temporum vincere: hoc eſt, immodicis modum, infinitis, limites dare; bellorumque inhumanam feritatem, æquitatis & juris temperamento coërcere. Hæc certiſſima animi ad præclara nati fides, hæc virtutis non ſimulatæ teſſera, hoc prudentiæ generoſioris rarum ſed verum pignus eſt. A quibus titulis longe abſunt, qui jus ſceleribus datum inter ornamenta belli numerant; neque rationem armorum in hoſtico reddi, præferociter arbitrantur. Torstensonius nullum parcendi prætextum neglexit: præter debitum imbelli ætati & ſexui favorem, nunc virtutem, nunc miſeriam hoſtis, in occaſionem, nec clementiæ tantum, ſed beneficii trahens:

hens:

hens: relictis post se subinde iis moderationis vestigiis, quæ nec socios sociis, amicos amicis, inter bella hodie æquo videas animo debere. Quis miretur, exemplo ducis tam notabili & perpetuo, insinuatum animis militum amorem veteris disciplinæ? quam nostra ætas, postquam arte bellandi omnia sæcula vicerat, primum per fiduciam neglexit, mox per incuriam perdidit. Accessit amor imperatoris, longe efficacior recti moris magister quam metus & terror, cujus aciem præfracta peccandi consuetudo pridem hebetavit. Et supererat sane TORSTENSONIO, quidquid ad promerendam militum voluntatem vel ingenii, vel artis, vel fortunæ, conferri potest. Alloquio comis, aditu facilis, aspectu jucundus, desideriis miltum ope, solatio, beneficio consulebat: incolumitatem eorum à periculo, corpus ab injuria & inopia, incredibili solicitudine vindicabat: restis præclare factorum incorruptus, laudator virtutis ingenuus, instigator meritorum munificus: pater castrorum, commilito exercituum. Cui, dum vicem reddere, commune militi cum legatis præfectisque studium est, nullus ignaviæ, nullus proterviæ locus relinquitur. Longe ducibus æmulatio & simultas: cujus semina, nunquam fere militaribus animis ac temporibus desunt. Caritas imperatoris, gratias, amicitias, necessitudines inter præstantes viros serentis conciliantisque, omnem discrepandi occasionem impetumque absumserat. Æquum se omnibus præbendo, quia partibus nunquam accessit, partes sustulit. Hinc tam æqualis militiæ tenor, tam conspirans pro gloria nominis Suedici studium, tam ordinatus congruensque operum ac victoriarum contextus. Vincebat hoc tempore Suecia numero & præstantia ducum, quidquid est in orbe toto bellicosarum nationum. Sed, si defuisset, qui tam excellentes naturas ad se invicem & ad rempublicam temperaret accommodaretque, fortasse impedimentum inde verius, quam auxilium gerendis rebus existere poterat. Quid in minore numero, aliis hodie usu venerit, domestico ipsorum judicio arbitrioque vel decla-

rari vel premi ſatius eſt, quam noſtra oratione præcipi. Apud veteres, Græcia certe, quo tempore ſummi bello viri numerabantur, ſibi plus negotii, quam hoſtibus creavit: non facile repertis, qui inter ſe concederent. In regno firmioribus quidem vinculis virorum armorumque robur videas colligari: ſed, agente procul rege, non diſpar fere periculum imminet. niſi quod ſingularis exempli auſpicio fortunaque, REGINA Suecorum paternæ militiæ majeſtatem, vim, diſciplinam, concordi fortium miniſtrorum opera, eo usque potenti auctu provexit, donec non invictum modo ſed tremendum hoſtibus robur, ad emerendam, quæ deſperata propemodum erat, tot populorum pacem, ematuriſſet. Digniſſimi conſiliis fatisque Regiis obſequii gloriam, in tanto opere, TORSTENSONIUS tum aliis nominibus, tum vel maxime, quo dixi, retulit: quod tot tantorumque bellatorum excelſos & magnis animis innaſci ſolitos ſpiritus, in militiæ uſum ac ordinem, ſua auctoritate, humanitate, ſapientia, quaſi optabilibus vinculis, ſic adſtrinxit continuitque, ut nullum niſi ex æmulanda virtute certamen, inter ipſos emicaret; nulla ſociandis curis & laboribus mora intercederet; nulla feſtinandis & copulandis armorum ſucceſſibus triſtitia obtrectaret. Præterquam enim, quod naturali quodam bono, in omnia famæ gratiæque ornamenta valebat: nemo repertus eſt, qui eum peritia belli, aut diſpoſitione conſiliorum anteiret. Comitabatur ergo imperium ratio: neque moleſta videbantur juſſa, quibus prudenter contradici non poterat. Licet venerari tabulas mandatorum circum abſentes dimiſſas, aut præfuturis magnæ rei datas; tanta comprehenſione rerum, tanta momentorum explicatione, ut non tam agenda præſcribi, quam agendi ſapientiam communicari diceres. Tam accuratos viri mores, non poterat non amare Fortuna, ſive potius, auctor & fortunæ & morum Deus: quem in omnibus auſpicem, ducem, fautorem non modo habebat cum multis, ſed propitiabat colebatque cum paucis TORSTENSONIUS: parum ille quidem à profano abfuturus nomine

mine inter imagines Suedicas, nisi Regis ejusdem magistri sui exemplum, ad signa & principia castrorum revocasset. Quod si enim, primam imperatoris laudem pietate definienti, præsidio argumentoque opus sit, quæ potior esse ac præsentior auctoritas potest, quam GUSTAVI illius Magni: qui in tanto dignitatis, virtutis, artis apparatu instructuq; , nihil absq; divina ope vel patratum sibi vel patrandum, serio & graviter prædicare, nunquam dubitavit? Ex hujus instituti disciplina, Deus in consilio, Deus in acie, Deus in obsidio, præsentissimum semper nomen, rebus suscipiendis formam, perficiendis copiam, obtinendis eventum non patiebatur abesse. Injuriam enim Suedicæ gloriæ putabat TORSTENSONIUS, si bellum conspirante per omnia cœlo inceptum gestumque, imminuto divinitatis commercio, in mores sæculi degeneraret. Neque tamen ariolis & vatibus, quorum fecunda fuere, per licentiam publicæ perturbationis, tempora, auscultavit: infidum bellantibus genus, Deoque, cujus arcana citra fidem cœlestis disciplinæ jactabat, adversum, ratus: quin & firmiora pie sperantibus, quam curiose divinantibus præsidia divinitus destinari, perpetuato consiliorum proventu, citra omnes belli offensiones, expertus. Id in animo, id in ore habuit: eo nomine grates, laudes, vota, Deo servatori, vindici, victori exsolvit. Sibi non alios de tantis rebus fructus vindicavit, quam ut patriæ, amorem; Principi, obsequium; Deo, reverentiam intelligeretur approbasse. Jactationem prosperæ militiæ, aut insolens omnino verbum nemo ex eo audivit. Incorrupta adversus ambitionem & adulationes, civilitas animi, magnitudinem famæ modestia tuebatur. In cetera quoque morum vitæque consuetudine, ea comitas, temperantia, lenitas, elegantia virum honestabant, ut nihil posset exactius ab eo expectari, qui in sapientiæ doctrinis ætatem contrivit, vivendique modum ad perfectam officiorum regulam conformavit. Literarum etiam studia, quibus vacare homini inter arma educto, non contigerat, & amabat plurimum, & filiis, auctoritate; clientibus, stipendio

comendabat. Erat admirationi miniſtris Principum,& magnarum rerum adminiſtratoribus ac transactoribus, quotiens facilem in omnia prudentiam, reſponſis, literis, ſermonibus expediret; ſicque bonitate naturæ, tanquam præſidio doctrinarum niteretur: accuratus judicio, cautus proviſu, compoſitus colloquio, actu gravis. Aularum conſilia, Principum propoſita, Europæ fata, non ipſo tantum ardui muneris tractatu, experientia; ſed inter præmia belli, cum inſtrumento victoriæ, fortuna tradiderat, atque cum eo communicarat. Igitur non deprehendebatur ſubitis, non implicabatur perplexis, non decipiebatur abſtruſis. Gratia in vultu, lepor in verbis, ſuavitas in convictu, raro prorſus ſpectaculo, huic Marti perſonam Mercurii induerant. Adeo autem non corrupit tranquillam hanc morum temperiem, valetudinis genus, quod maximis quibusque viris omnem pæne humanitatem excutit; ut ne miniſtrorum quidem cuiquam, Heri dolores, jurgio, convitio, denique aſperiore verbo, luendi fuerint. Tale ingenium, quin inter prima orbis humani ornamenta eminere debeat, ſoli poſſunt dubitare, qui in maxima publicæ felicitatis ignoratione verſantur: neque exempla laudis civicæ comparare didicerunt atque ratiocinari. Re militari præſtitiſſe alios, alios civitatis regendæ peritia claruiſſe, magnæ quidem, ſed uſitatæ laudis eſt. Qui vero unus idemque fortiſſimus imperator & optimus civis comperiatur, fere non niſi fatali bono profecturis ad magna ætatibus & gentibus indulgetur. Quo nomine TORSTENSONIUM Sueciæ, & Sueciam TORSTENSONIO gratulari debemus; congruentibus in præclaros viros annosque fatis, belli pacisque gloriam luculento faſtigio conſummaturis. Ornarunt mutuæ felicitatis neceſſitudinem, divina humanaque præmia, quibus TORSTENSONIUS undique circumfluebat. Quantum enim eſt, quod de ingentibus virtutis imperatoriæ meritis, nihil fortuna delibavit, aut ſubtraxit? quod finis principio, ſucceſſus conſilio, celeritas fato, præcipitis inſtar rotæ feſtinanti, reſpondit? Quantum eſt, quod inter fulmina Martis, inter fer-

ferrum & ignes, & infinitas mortes, incolumis ſemper evaſit, qui moriendi exemplum animumque aliis ſubjecerat? quod ne captivitatem quidem in vita, niſi ſemeſtrem pertulit? Jam Regum, ſine controverſia, incomparabilium indulgentia, quo plus judicii, eo plus ornamenti habet. à GUSTAVO, genium veræ laudis virtutisque hauſerat. huic auſpicia famæ dignitatisque, imo & incrementa, ſi de uſitatis gloriæ titulis ageretur, debebat. CHRISTINA, paternorum amplificatrix operum, auſpiciis imperiisque ſuis glorioſe functum, ditavit opibus, evexit honoribus, cumulavit gratiis. Hujus munere, auguſti Senatus Regii conſeſſor, ante expeditionem: in expeditione, ſumma cum poteſtate imperator: inde opimarum poſſeſſionum dominus, denique Comes factus eſt. Hujus invicem manum non niſi laureatis literis adiiſſe, tempora gratulationibus occupaſſe, annos ſupplicationibus impetratis illuſtraſſe, omni præconio magnificentius eſt. Hujus, regium capiti decus auſpicantis, triumphos uſurpaſſe oculis, ornaſſe officiis, inſtruxiſſe trophæis: huic liberos educaſſe; hujus alloquio, ſuprema valetudine, reſpiraſſe; hanc reliquiſſe ſuperſtitem, primæ felicitatis modum & votorum humanorum ſummam explet. Neque à tanta claritudine publica, privatæ tenor vitæ diſſedit. Conjunx nobilitate, ingenio, virtute ſingulari; utriusque Filii indoles, vel adoleſcentiæ rudimentis, vel ſpe pueritiæ, illuſtris; Filiæ tenera itidem, ſed origini cognationique ſuæ fidem abunde faciens ætas; haud levia in ſolatium & decus nomina erant. Quid affinium & amicorum neceſſitudines? quanta concordia, quanta familiaritate, quanta mutui amoris ſuavitate pervigebant? Sola eſt, quæ intercedere proſperis videbatur, valetudo: cui medendæ nulla, leniendæ ſegnia vulgo remedia proponuntur. Verum, hæc quoque adverſitas in gloriam ceſſit. Qui enim, inter morbi tam tenaciter urgentis perpetuas inſidias moleſtiasque, tantas res geſſerit; & præſertim fulmineam illam celeritatem, quam præcipuum Heroi-

Heroibus ad magna nitentibus telum divinitus attribui videmus, capere potuerit, primum in historiis exemplum Torstensonius erit. Cui nec brevitas vitæ, ante initia senii abruptæ, fraudi esse potest. Præterquam enim, quod hoc compendio ad meliorem vivendi conditionem translatus est: etiam immortalium, quæ edidit, operum, nec patriæ fructus; nec civibus exemplum; nec familiæ gloria peribit. Ipsius autem memoriæ ac nomini, quantus esse maximus potest, ingenio famæ, & victuris in ævum monumentis honor habebitur.

INterea Vos, generosa tanti Parentis proles, Comites GUSTAVE ADOLPHE & ANDREA, Elogium hoc ad paternum tumulum, inter suprema omnium ordinum studia officiaque, dicari sinite. Titulus pollicetur ingentium meritorum, non laudationes: nec annalium munus invadit, sed justis inservit funebribus: quæ nulla re decentius, quam simplici virtutum memoria, & inaffectatis civium vocibus instruuntur. Vos quoque, ô eximia pectora, post exequias, omni pietate obsequioque concelebratas, post sepulcrum præcipuo cultu & magnificentia adornatum, longe antiquius, vestroque sanguine dignius, memoriæ paternæ, officium debetis. Regenerare parentes virtutibus, æmulari meritis, hoc est demum, justa solvere. Tradita est vobis ingens nobilitas, procreatione, exemplo, disciplina. ad hoc onus sustinendum, omni studio & contentione decet conniti. Generosi proprium est animi, reverentia sanguinis ad virtutis indolem excitari: neque ullos ad laudem duces sequetur, qui bene de republica meritis majoribus ac parentibus suis, non utitur doctoribus. Quod ut rectius faciatis, attendite animum literis, invadite memorias temporum, noscite virorum domi militiæque illustrium studia & opera: ut quanti Parentem vestrum facere debeatis, ipsa vos paulatim magnarum rerum meditatio atque comparatio doceat. Mementote præterea, quid de virtute militari, cujus præsidio patria carere nequit; quid

quid de laude imperatoria, maximus ipse imperator, Parens vester senserit: quanta asseveratione verborum eos reprehenderit, qui omnem belli profectum honoremque à fortuito eventu suspendentes, huc neque adferri neque accommodari bonas artes oportere statuunt. Quam accuratis autem numerosisque officiis, boni civis munia contineantur sæpe vobis prædictum, sæpe monstratum, paterna dicta factaque revolventes, cognoscetis. Jam, cum de LINNARTI TORSTENSONII, fortitudine, prudentia, liberalitate, modestia, æquitate ceterisque laudibus, pleræque in terris gentes, plerique magni viri, documenta sibi & adjumenta petant: quam indecorum & turpe esset, ad eos minimum inde utilitatis pervenire, quibus tantæ imitatio gloriæ, non disciplina tantum, ut ceteris, sed propiori jure, hæreditas est? quam si adire cunctemini, periculum est, ne non generis modo famam, sed patriæ in summo fastigio eminentis fortunam, parum habere propitiam videamini. Id quod à vobis quidem, procul aberit: quibus jamiam fixum sedet animo immotumque, paterni decoris præceptique vestigia premere; id est, per omnem vitam adorare Deum, venerari Principem, amare patriam; corpus ad laborem, animum ad virtutem exercere. Ita non in monumentis literarum magis, quam in vestris meritis, grande TORSTENSONII nomen perennabit.



VII.

Laudatio Funebris,

Magnifici ac de patria præclarissime meriti VIRI,

FRANCISCI RUDOLPHI INGOLDI

in inclyta Argentoratensi Republica Tredecimviri & Scholarchæ:

Habita nomine publico in Academia tot meritis ab ipso ornata,

Kal. Aprilis ann. cIↃ IↃ CXLII.

Illustres meritis & dignitate publica Viri, Patriæ patres, & Scholarchæ: Magnifice Rector, Spectabiles Decani, Excellentissimi Professores: Nobilitate, Auctoritate, Prudentia, Experientia, Doctrina, Artibus ac Dotibus variis Ornatissimi Auditores.

CUm ante quatuor & quod excurrit annos, JOHANNEM FRIDERICUM SCHMIDIUM decreta publice funebri laudatione ornaremus, diffusæque per omnem civilem gloriam virtutis exemplum, memoriæ temporum sollenni ritu consecraremus: non postremum hunc officii sui fructum tulit Academia, quod illud studium tum aliis præclarissimis in hac urbe viris, tum vel maxime illi vehementer probatum est, qui præcipui Schmidiani actus plerumque dux & comes, adeoque laudum pars & auctor, paria olim suo merito expectare potuit, & omnino ab Academia, cujus perpetuus non dicam Patro-

Patronus, sed Pater erat, debuit. Intelligitis, Auditores, INGOLDUM illum à me signari: virum non sui nominis magis, quam meriti honore notum. Cui cum Respublica Argentoratensis & Academia (prævertar enim ad proximas necessitudines) plurima maximaque semper debuerit, plura tamen subinde optavit debere, si diutius, debendi nomina multiplicare licuisset. Sed enim ad ultima gratæ voluntatis officia & suprema munera perventum est, si communem humani moris judiciique sensum sequimur, Auditores. Exemto namque inter ipsam præclare de nobis merendi industriam, quid aliud tanto viro potuimus reddere, quam cærimoniam funebrem, & exequiales ritus (qualia cum multis communia habet vir nequaquam cum multis comparandus) & nunc Academicam hanc celebritatem, qua inter paucos sane, neque sic fortasse satis, illum veneramur? Namque id omnino mihi & verendum & fatendum est: sive respiciam civilis actus varietatem, qua ipsam Reip. amplitudinem amplexus est; vel gestorum magnificentiam, quæ non ad Urbis modo nostræ, sed ad sæculi splendorem pertinent; vel productioris ævi perfectionem, exemplique prolixitatem; qua sicut Patriam abunde cumulavit, ita affectus civium suorum, & præsertim nostram orationem facile obruit. Equidem cum antehac aliquoties ex hoc loco verbo facerem, non parum adversus argumenti magnitudinem recreabar ejus præsentia, de quo mihi nunc ita loquendum est, ut non possim non vel inter dicendum meminisse, vel ad dicendum desiderare, conspectum venerandi illius vultus, qui quantum fiduciæ & roboris solebat olim dicenti aspirare; tantum jam animi & artis intelligitur mœrenti detrahere. Verum hæc & talia, voto sane nostro & expectationi concionis obstare possunt: argumento & æternitati laudum, quas delibabimus, non possunt. Consuetudini enim & vulgo potius, quam rationi accuratius subductæ obediverit, qui inter ultima Academicæ erga Ingoldum pietatis monumenta hunc congressum posuerit. Du-

catur hinc exordium ejus officii, quod omnium nomine, quos alma hæc studiorum sedes & magistra sui corporis partes agnoscit, susceptum, omnium cura diligentiaque, per omnem vitam, ad omnem posteritatem, ex omni occasione propagabitur. Nulla illucescet tempori nostro festivitas, nulla posteris Musis celebritas instaurabitur, quam non insigniat fausta recordatio & venerabilis memoria ejus viri, qui maximis Academiæ festivitatibus, vel quia præsedit, auctoritatem; vel quia celsiore fastigio & ipsas & Academiam extulit; auspicium quodammodo commodavit. Nulla erit tam ingrata fama, nulla tam incuriosa virtutum ætas, nulla tam negligenter occupata eruditio, quæ tanti nominis celebrationem ad se non pertinere arbitretur. Est enim, Auditores, omnino quædam in animis hominum magnæ virtutis admiratio impressa: quæ & negligentiam splendori summarum rerum advertit; & hebetudinem, radiis gloriæ illustrat; & pietatem, meriti religione pignerat ac obstringit. Neque is vel temporis affectus, vel præsentis spectaculi stupor, sed solidum & cum ipsis reipublicæ, imo cum orbis hujus annis victurum & in majus profecturum credi monumentum debet. Quicunque in quocunque reip. negotio, magistratu, dignitate deinceps versabuntur: Ingoldiana vestigia primum invenient, mox intelligere discent, denique studebunt æstimare. Ipse Reip. genius, ut sic dicam, & fortuna animis civium inspirabit singulare publici egregii tuendi arcanum, imitationem, inquam, Ingoldiani exempli, per omnia spectati, probati, felicis. Volentibus enim fortasse vobis erit, Auditores, me statim à magna & omnino tali cogitatione ordiri, quæ nec officio, quod obimus, inferior; & pietati, quam omnes profitemur, opportuna videri potest. Igitur repetenti fata Argentoratensis status, & cœlestis in hanc Urbem curæ seriem, qua licet, animadvertenti mihi vix dubium relinquebatur, post elaborata à magnis viris superioris ævi incrementa, post sustentatum suppari arte præcedentis sæculi florem, INGOLDUM nostrum in hujus sæculi præsidium, circa cujus initia remp. capes-

capeſſere cœpit, divinitus fuiſſe deſtinatum. Tumeſcebant pridem, quæ temporaria curatio & indulgentia inſtauratæ pacis antea texerat, Germanicæ rei vulnera: & jam fatis admovebatur is terminus, qui imperium ſecundiſſimo potentiæ curſu ad Europæi orbis decus apicemque provectum, non concuteret modo ingenti motu, ſed converſione rerum maxima pæne affligeret. Communis patriæ ſorti, in extremis ferme finibus ſita, ſed intimis prorſus nexibus illigata erat Argentina. in hanc curas non uniusmodi populares, exteri, amici, inimici, alii denique varietate temporum varie animati intenderant. hinc exorta negotiorum moles, & oſtenſa undique periculorum ancipitia, & immenſum aucta reip. bene gerendæ difficultas. Ad quam ſuſtinendam pariter atque profligandam, opus erat, Atlantes quosdam & Hercules non è fabulis optare, ſed è cœlo in ſalutem civitatis expectare. datus eſt inter primos INGOLDUS: vir & natura & divina benignitate, ad animos hominum vel gratia demerendos vel auctoritate permovendos quodammodo factus, omnique impetrabilis efficaciæ inſtrumento exquiſitiſſime adornatus. Illo auctore atque agente cœpit in poſterum Reſpublica in triſtibus confidere, in arduis eniti; ſibi conſulere, aliis non deeſſe, fidem tueri, magnanimitatem non dimittere, omnia cœpta ſingulari prudentiæ arte non moderari magis quam honeſtare. Cum enim futuram viri magnitudinem mature civium animi præſagirent, per rudimenta quidem minorum & incrementa majorum dignitatum omnia, ex inſtituto patrio ac diſciplina ſui ſtatus, traductum, citius tamen, quam ferme ſolet accidere, in ſanctiorem utilitatum publicarum officinam, in venerandum iſtud graviſſimorum conſiliorum penetrale, quod auguſto Tredecimviralis collegii nomine colimus, communi & velut una totius urbis ſententia, aſcivere. Atque hoc eſt illud ſtadium, in quo, rariſſimo exemplo, triginta amplius annis, illuſtria Ingoldi merita, magnis occaſionibus inſtincta, magnis acceſſionibus cumulata, perpetuis ſucceſſibus promota, in oculis Germani an humani

orbis dicam, inter bonorum applausus & prudentum admirationem, decurrêre. Nihil domi, nihil foris absque consilio ejus & ope suscipi. quicquid deliberatu arduum, actu impeditum, in hujus humeros rejici. quicquid inventi novitate emendandum, reparationis industria instaurandum, dirigentis auctoritate muniendum, consuetudo aut temporum casus impeditaverant; Ingoldianam videbatur dexteritatem expostulare. Quo factum est, ut nullum præfecturæ, inspectionis, curationis nomen civitas nostra cognitum habeat, qui inter præfectos, inspectores, curatores Ingoldum suum ubique numeret, ubique commendet. Dixeris, nemini patrifamilias, tam accurate tam expedite rei familiaris suæ partes perspectas esse judicio & notitia comprehensas, sicut is Remp. suam animo pervidit, ingenio complexus, dispositione moderatus est. Quæ ad Senatum & judicia, ad statum regiminis & munia, ad jura civium, mores civitatis, arcana civilitatis; ad sociorum fœdera, amicorum usum, Principum Urbiumque pacta, vicinorum consilia, exterorum proposita pertinerent: quid opis aut subsidii aut spei in viris, vectigalibus, armis, vel ad reip. facultatem extaret, vel ad ultimos casus lateret: quæ copiæ, quibus temporibus sufficerent aut servarentur; quid & unde importari posset utiliter, quid exportari: & illa longe graviora, quomodo perturbationi temporum intercedendum; quomodo cum magnis necessitatibus & sumtibus, ærarii tenuitas, civium paupertas concilianda, id est, quomodo inter ipsam tempestatem & procellas sæculi, velis remisque moderandum, clavus obtinendus, cursus non deserendus, navis denique esset servanda: hæc & talia non intime modo perspecta, sed ad præsentissimos usus promta habebat Ingoldus. Neque vero est, ut quisquam ejus peritiæ limites Argentoratensis curiæ cancellis, aut urbis munimentis concludat. in tam celebri Germaniæ loco ita gerenda est respublica, ut totius conditio imperii, quod Romanum vocare non immerito prudentes perseverant; oculis & animo comprehensa, subinde civilem actum ad maturas

curas idoneasque rationes convertat. Sciendum quid cohæreat cum universis & singulis, quomodo cohæreat, quæ nexuum firmitas, quæ in firmitate religio; quæ ex comitatis officio & observantiæ; quæ ex juris aut potestatis titulo vincula emergant: quid è talibus conveniat allegare in præsidium caussæ, quid ipsa occultatione validius eam juvet. Esse sua Principibus, domibus, civitatibus ad invicem pignora, consilia, cautiones, spes metusque. qualia tetigisse aut verbo tentasse, aliquando periculosum fuit, quia arcana sunt: ignorasse, semper perniciosum; quia præcipua publici actus momenta sunt. Non decuerit altius penetrare in re profunda pariter & inexhausta: nisi quod cogitatio cuivis prudenti facilius suggeret, quam oratio persuadebit auditori, majoribus solertiæ adminiculis nostra tempora & statum indigere, quam cum terrarum orbi amplissime quidem diffusis provisionibus, sed simpliciore consilio & animosius jura daret Romana Majestas. quæ mihi utique tantum in consulendo difficultatis acquisivisse, quantum in possidendo spatii amiserat, videtur. Certe illud extra dubium fortassean ponant, qui accuratiore studio conditionem imperiorum scrutantur, Germanicæ rei tractationem, à sæculo & amplius, plus aluisse reconditioris prudentiæ & laboris, quam in maximis quibusque regnis suspicari unquam fas fuerit. cumque ipsa membrorum in toto corpore competentia, non parum habuerit semper subtilitatis, & incurrerit postea obscuritatis: factum est, ut nemo in partibus feliciter versaretur, nisi qui universi genium percalleret; nemo cujusquam ex Ordinibus, quos vocant, commoda promoveret, nisi qui communem & intimam ordinum, ut sic dicam, coordinationem probe intelligeret. quæ sapientia in dies, nec sine omine secuturi nescio cujus fati, impeditior, Ingoldi tempora sane, non item consilia conturbavit. Excitabatur in capaces sæculi & discriminum curas animus ad hoc ipsum servatus, ut ostenderet publice: Argentoratensium civitati nunquam defuisse recta cupiendi constantiam, superfuisse ardua tractandi indu-

industriam, crevisse etiam inter adversa, sperandi meliora fiduciam. Nam huc recidunt ferme, quæ vir magnus, innumeris artibus, maximaque contentione, pro patria aggressus, sic perfecit, ut virtutem ejus nemo ausit diffiteri, laudes nemo possit explicare. Multum hic fortunæ debetur, multum Numinis secundantis favori: verum quod omnino majus præconium excogitari potest, quam occupatus divinis operibus homo, & in terris cælorum majestate fultus maximarum rerum administrator? Hinc emergunt scilicet tot ac tanta illa præsidia, tot agendi instrumenta, quæ non minus agentem, quam successus actionem, exornant. hinc est, quod ex uno pectore, inusitata consilii copia dimanat; quod uno sæpe momento, amplissimi provisio temporis concipitur; quod in abditissima, observatio; in diversissima, cognitio; in subitanea ratio sufficit. hinc est, quod Ingoldus aliquis per gentes suæ reip. auctoritatem, sine ambitione ostentat; pericula sine temeritate sustinet; emolumenta sine calliditate amplificat. Quis & quantus est ille qui acerrimas optimasque mentes in sui cultum excitat; inimicas, ab odio sui divertit; obliquas, sibi devincit? qui delicatorum fastidia, morosorum censuras, captiosorum tendiculas devitat ac declinat? qui judicio negotia, provisione eventa, ut arbiter dispensat, ut vates anticipat? Conducas in unum infinita talia, quæ humani actus vel significant subtilitatem, vel gloriam illustrant, & deinde rursum quæras licet, quis & quantus est ille, quem summorum in rep. omnique civili vita operum effectorem & magistrum admirari fas est? Hic, postquam nobis Romani, invicto Livii & aliorum calamo, suos Camillos, Fabios, Nasicas, Catones, Æmilios, descriptos & in clarissima historiæ luce monstratos dederint; postquam Athenæ, suos Themistocles, Aristides, Pericles, Thrasybulos, Phociones, ex antiquiore notitia produxerint; postquam Spartani suo Lycurgo, Corinthii Timoleonte, Thebani Epaminonda, Sicyonii Arato felicitatem suam probaverint: nihil à suo jure alienum fecerit Argentina, si contra vetustatem se ac sua miran-

mirantem, nominet virum, Livii historia, Plutarchi commentationibus dignissimum; atque INGOLDI vocabulo exemplum tantarum rerum proponat; quas cum pro suæ copia facundiæ extulerit studiosa memoriæ & posterorum ætas, nostra tempora, condendis annalibus iniqua, interim vix attingere dicendo, aut cogitando intelligere solent. Nam nec æstimantur facile, cum difficulter & raro gignuntur virtutes: nec propagandis laudum documentis serio student, qui de suo statu periclitantes, ferme posteros desperavere. Si tamen omnino serio annalium honore Deus vel Germaniam vel Argentinam aliquando dignabitur, &, post nescio quarum ineptiarum conatus, prudentis viri manu, virtutes nuperæ elogium, vitia infamiam, memorabilia cetera ætatem ferent: eximium profecto decus erit ejus nominis, cujus in aulis Principum & Regum frequens & prospera occupatio, in nationum & civitatum animis illustris operæ veneratio, in fama & ore hominum testatissima summarum artium prædicatio, fœcundam præcipui operis vel varietate vel nobilitate materiem suppeditare potest. Nobis enim, angusto tempore constrictis, vix tribus verbis licet indicare: Ingoldum obivisse legationes numero plurimas, tempore diuturnas, tractatione & laboribus maximas. aliquoties solus, sæpius cum magistratibus collegis, nec raro cum Schmidio illo Nostro, semper autem cum auctoritate & successu ivit, egit, pertendit. octuagies circiter reip. caussa peregre abfuit, adeoque per complures annos patriæ conspectu ac necessitudinibus caruit, ut iis cives sui inter carissima pignorum tranquille fruerentur. quorum interim somnos illius vigilia; securitatem, illius pericula custodiverunt. quibus neque paucis neque modicis, sed fultus tamen ubique sua virtute ac fortuna, adeoque non citra honorem magni exempli, defunctus est. Deprehenderat eum aliquando cum sociis & comitibus inopinata vis aquarum, torrentiorque quam pro more & specie amnis, fatum Alexandri Epirotæ non minabatur jam, sed intentabat. nisi quod destinatum tantis rebus absolvendis virum, nulla

vis extinguere, nullus casus intercipere poterat. Scilicet amat divina Providentia, non exercere magis incertis subitisque casuum virtutem Heroum, quam præstantiam, salute inter ancipitia rerum conservata, velut illustri documento mortalibus declarare. Certe præsentissimæ morti tum ereptus, non tam periculi magnitudine multatus, quam miraculo liberationis & amatus à Deo plurimum & honoratus videbatur. Audivistis quendam quasi sævientis naturæ conatum: cujus maximi quique impetus vix sunt vehementiores, consternatæ in arma & furorem multitudinis impotentia, cum qua plerumque comparantur. Hoc quoque discriminis genere Ingoldiana virtus enituit: cum nobilissima mercatibus & auspicandi decore imperii civitas, triennali dissidio conflictata, vix tandem post Cæsaream opem, amicis etiam adnitentibus, ad compositiorem statum convaluit. Fallor an verissime in Nostrum quadrabat, quod Poëtarum princeps, non sine singulari sapientiæ & artis exemplo, viro gravi & magno, in tumultu civili, tribuit officium:

Ille regit dictis animos & pectora mulcet.

Auditus est, ut alter Menenius Agrippa, cum admiratione eloquentiæ, quam prudentia moderatione tempestiva gubernabat; adeoque cum favore, quem plena cælestis cujusdam gratiæ facies convictis & inclinatis ad meliora animis insinuabat. Cujus tam ardui negotii successum, inter periculi totius reputationem, sæpe Deo postea seriis laudibus in solidum vindicabat. sicut & alia multa quibus in Comitiis imperii, in congressibus Principum, in commercio civitatum, non difficultates modo rerum, sed spem suorum ac expectationem vicit. Itaque passim felices tali viro Argentoratenses prædicari, passim suspici Reip. dignitas: quam nemo unquam gravius expressit, nemo validius sustinuit, nemo majori splendore illuminavit. Nec fuisset sanè stabilis illa civitatis fortuna, illud decus, nisi ceteras Ingoldi virtutes immobilis patriæ caritas & invicta pietatis constantia æquavisset. Non una aularum, nec modica,

per-

pertinere ad ornatum augusti Consilii ac Senatus sui existimarunt, si inter principes viros & summa nomina, etiam Ingoldus ille niteret. Crediderim magnis Principibus arcano suæ fortunæ instinctu & notitiam & favorem præstantium virorum conciliari: sicut vicissim maximas quasque artes naturali sceptrorum reverentia imbutas licet animadvertere. Sed quid faceret Noster, quem cultus invitantis majestatis, & necessitudo retinentis patriæ, divorse trahebant? Videbat sane, ubique Patriam esse ubi Deo & egregio publico servimus: videbat, foris sæpe magis patriam quam domi juvari posse; videbat magna consilio, prospera eventu translatæ virtutis exempla: sed & illud, quod arduæ deliberationis caput est, videbat; Remp. Argentoratensem, adversus incerta temporum, vel maxime talibus viris indigere, quorum apud extraneos æstimata pariter & expetita virtus esset. Hæc & talia non perfunctoria æstimatione pensabat & videbat vir Prudentissimus: quanquam fortasse nulla prudentiæ ratio est, qua in tam ancipiti mentis humanæ consultatione, videri satis & pensari potest, id quod est optimum factu ac prosperrimum. Acerrimas quasque mentes fatigat ista dubitatio: cui sola exitum dare divina moderatio solet, cum ad sensum cælestis constitutionis, interna quadam vi, dilectas sibi animas propius admovet. Id quod sæpe agnovit Noster: cujus pietati & nos merito accommodamus prædicationem ejus constantiæ, qua tot opulentiæ, tot honoris fastigia, civili dignitatis modo posthabuit. Verum quid illa consectamur, quibus abstractum à nobis tanti meriti Legatum, quisquis intelligere cœperat, cupiebat? cum tot in oculis, tot in animis omnium sint, quibus redux è præcipuis legationibus plerumque suam rempublicam sine exemplo beavit, munera dicam an beneficia? Inter quæ non differo illud nominare, quod Academiam nostram, imo Academiæ nomine Rempublicam, & utriusque caussa solennem hunc cœtum interius afficit, & obstringit fortius. Quod enim in ornata summis juribus studiorum Universitate discimus & do-

cemus; quod amplissimos honores literarios petimus & impetramus; quod celeberrimis Principum quorumque in Scholas beneficiis gaudemus, fruimur, eminemus: INGOLDO debemus potissimum, Auditores. aliquoties audivi memorantem, quæ difficultates intricaverint id negotium, quæ interpellaverint moræ. & quid amplius dicam? si recte singula putamus, Unum hunc tantæ rei auctorem idoneum, unum confectorem felicissimum judicabimus. Non dubito, quin apud omnes, qui literas amant aut sequuntur, instinctionem reverentiæ habeat hæc auscultatio: forte & prudentiæ commonitionem apud reipublicæ studiosos. Nonne enim hoc complementum est Argentoratensis gloriæ: quæ postquam maximis quibusque laudum variarum profectibus hoc fastigium imposuit, nil videtur habere optandum, quo ascendat? Sed nos, reposito fidelibus providisque animis isto metu, orationem ad Ingoldum Nostrum reducentes, hoc rudimentum Scholarchæ serio admiramur: imo vero auspicii tanti mentione ad principia nostri status velut revocati, quanta sit futura præclarissimi muneris provisio, vel inde intelligimus, quia tam illustris fuit inceptio. Ita accessit ad tuendam auctoritate & cura scholam, ut ampliorem in ipso accessu sui studii palæstram, & tanquam singularis operis capacem sibi constitueret. Scholarcha idem & Scholastici fastigii auctor; curator idem & instaurator, uno tempore, una opera, quantum dedisset, & quantum daturus esset, inusitato & plusquam pignore admirationi pariter ac spei omnium ostentavit. Itaque ergo à viginti amplius annis, quidquid juvare Academiam aut ornare potuit, Ingoldianis non curis modo sed meritis contineri satis constat. Ille, ut comparatæ dignitati sua vis constaret, Imperatoriæ munificentiæ sua auctoritas, id est, ut esset Academia, quod diceretur, ex summo studio, nec sine objectis crebro molestiis, contendit: Ille, ut cathedræ doctoribus, auditoria studiis, convictio moribus, sceptra imperio, leges disciplina florerent ac præcellerent, assidua & efficaci solertia advigilavit: Ille, ne honor sapientiæ,

præ-

præmia induſtriæ usquam deeſſent, favore prolixo & animoſa benignitate proſpexit. Neminis illum præſtantia latuit, quin æſtimio eam ſuo ornaret; neminis modeſtia, quin comitate quadam attolleret. Alia amabat in alio: neque unquam cuiquam fraudi fuit, alicubi defeciſſe, ſi in proprio, ut ita dicam, ſui muneris opere valuiſſet. Videtur hoc vel ideo tangendum eſſe, quia eam diſcretionis, ut hodie loquuntur, laudem pauci intelligunt dicam an merentur. ut quisque ingenio & cenſuræ præfecti cujusdam, in minimis diſplicuit; faſtidio, contemtu, etiam odio, univerſe transmittitur (utinam ſufficeret id dixiſſe) imo revera affli&ctatur. Quanquam longe dignius eſt tam celebri loco audiri, quo affectu, quo conſilio totam, ut cum ſapientibus appellitem, harmoniam Academici corporis ſuſtentaverit vir tantus atque concinnaverit. Habebo, ni fallor, optimum quemque meæ aſſeverationis teſtes & querelæ ſocios, ſi dixero: inceſſiſſe alicubi pravum morem, quo unum tantummodo aut alterum ſtudiorum ac ſcientiarum genus in Academiis fovetur, & in quendam quaſi florem adornatur, ceteris obiter curatis, ac pæne interdum neglectis. Noſter, cum ſciret ad ludibrium Cæſarei beneficii & ad manifeſta Reipublicæ detrimenta eam rem pertinere, mirifico induſtriæ & bonitatis temperamento perfecit, ne qua eruditionis, celebritatisque literariæ commendatione Argentoratenſis Academia, ſuo nomine minor eſſet. Sua divinarum rerum tractationi ſervata majeſtas: ſua Jurisprudentiam decorabat gloria: non Medicinæ vel Galeni ſcientia vel Hippocratis peritia deerat: Philoſophiam quoque nec ſapiendi nec diſſerendi facultate inferiorem optabat. ejusque voti, ut ſe faceret compotem, æquilibrio quodam ſagaces in omnia curas diſpenſans, tum firmioris fundamenta ſtatus jecit, tum unicum famæ rarioris iter ſuæ Filiæ (quo enim nomine potius hodie memoretur Academia?) opere publico præclare emunivit. idque ea moderatioris inſtituri arte, quam modo occœpi dicere. Namque licet tanta eſſet facilitate, ut in Academia non videretur oſurus æmulos;

los; æmulationis tamen professo odio, pestem Academicæ perfectionis maximam avertit. cumque nimiæ conatus sapientiæ à profuturis publice laboribus accurate, si quisquam alius, didicisset distinguere, ipsa viri peritia pro munimento erat, ne à generosa sapiendi ratione uspiam deerraretur. Animadvertitis, Auditores, me ex plurimis paucula quædam seligere, quibus consummatum magni Scholarchæ exemplar, non oratione mea expressum intueri, sed indicio facto declaratum, meditari intra animos vestros ipsi ac formare possitis. quod facilius nimirum erit, si nullas voluntati laudatissimæ dotes; nullas dotibus occasiones defuisse; adeoque ad prolixam virtutem temporis insuper prolixitatem accessisse cogitaveritis. Vocetur ergo & sit periodus hæc Ingoldiana: &, cum bona venia vestra, Scholarchæ, qui vixistis, quique vivitis, designetur Academicæ celebritatis epocha unius elogio, quem supremum Numen non auspicandi modo felicitate, sed diuturnitate administrandi ceterorum fato supervexit. Quamvis haud dubie futurum est, ut communi omnium judicio, quicunque cum Ingoldo præfuerunt, Zornii, Kageneccii, Sturmii, Prechteri, Draxdorffii; itemque Storckii, pater & filius, cum Hellero, Meieroque, splendidiori nomine posteris narrandi habeantur, quia ipsum Scholasticæ dignitatis apicem, ipsum consummatæ eruditionis florem curarunt, adeoque præteriti temporis vota impleverunt, & venturæ ætatis industriam pigneravunt. Verisimile est, cum illustres illæ animæ, magni illi & primi rei Scholasticæ Argentoratensis triumviri, Jacobus Sturmius, Nicolaus Cnibsius, Jacobus Meierus, nascentes in hac Urbe Musas piis manibus susciperent, patrioque sinu educarent, nihil ardentius eos in optatis, nihil certius in spe, nihil divinius in præsagio habuisse, quam quod successores eorum veluti hereditaria & fatali cura, augmento tanti pignoris provehendo, & postea præsertim aureis, quæ dixi, temporibus, imponendo florentissimi status culmine, præstiterunt. Fuerit ergo absolutus, quod jam alibi cogitationibus publicis suggessi, fati Scholastici

ille

ille cursus, qui plerumque, ubi ad summum pervenit, contrario neque auspicato itinere, humanis rebus suam fragilitatem inopina volubilitate exprobrat. nisi quod perennitate Reip. nostræ, quam Deus testatiori subinde cura fovet ac (ita auguror) fovebit, melioris spei ac fiduciæ robur merito sustentamus.

Ceterum sicut jucundissimum esset & magnificum auditu, si qua dicendi facultas posset illam magnitudinem Ingoldi, qua pacis artes, bellorum curas, decus Patriæ, suis venerabilis, exteris mirandus sustinuit, exponere: ita utilioris forte magisque necessariæ res operæ fuerit, Tibi generosa & studiosa Juventus, cui spes ornandi sæculi, juvandæque patriæ incumbit, magnitudinis tantæ rudimenta, & quædam quasi imbuendæ ad summas laudes mentis mysteria, fideli amicoque monitu commendare. Si enim statuæ veterum memoriales, si cippi gestorum interpretes, si imagines nominis & familiæ indices, non tam ut illustrium virorum vultus nosset & famam sciret flos patriæ, quam ut artes meditaretur, virtutem investigaret, passim visebantur: consentaneum erit, nostram quoque pietatem, qua nata in exemplum publicæ præstantiæ nomina celebramus, admonendis succrescentibus in usus civiles ingeniis, erudiendæque posteritati, consecrari. Equidem vultus Nostri Herois adhuc firmius animis vestris hæret, & animorum repræsentatione oculis obversatur, quam ut orationis nostræ pictura, aut penicillo Apellis cujusdam indigeatis. Atque si omnino vos penitior spectaculi gravissimi voluptas raperet, non dubito, qua estis judicii ac studiorum rectitudine, ea vos inprimis visenda credituros, quæ nullam oculorum aciem, nullum videntis conatum admittunt: ad quæ nimirum æstimanda, divinior illa, quæ conspectui patet, forma vos instigaret. Illam oculorum vim atque vigorem, quem nemo sine sensu venerationis aspexit, vividissimi indolem animi referre, acerrimæque mentis pignus habere, ex Augusto Suetonii vestri, ex Arminio Velleji intelligeretis: illam vultus comitatem, sed cum gravitate; illum florem pulcri-

critudinis, ſed cum dignitate regia, Plutarchi Pompeio, virtutum maximarum fidem amplitudine ſpeciei merito, compararetis: totius corporis venuſtatem, & modice quidem, ſed cum condecentia ſucci pleniſſimorum artuum erectam ſtaturam ſub exemplo validæ in ſanitatem & labores naturæ vobis commendaret, Curtianus Alexander, Nepotis Eumenes, Agricola Taciti. Repereretis è ſtudiis veſtris, unde per ſingulos ætatis gradus, è corporis habitu quædam ſapientiæ inſtrumenta concinnari poſſent, quibus denique planum fieret, tam ſingulares vultus, divinis quibusdam gratiis habitari, heroicæque notam majeſtatis per oculos humani generis circumferre. Non enim conceſſerim, quod nonnullis placet, ſolius genituræ id beneficium eſſe, ſiderumq; clementia, & parentum conditione debere æſtimari. Eſt in cælis Deus, eſt in terris, qui terrena generatione quidem, ſed ad cæleſtes naturas, maximorumque operum capaces formandas utitur: atque ſub ſpectabili ſchemate eas in theatrum humani orbis actusque introducit. Secundas, poſt hanc vim, familiæ parentumque nobilitas agit: de qua ipſa interim altius, quam ferme uſitatum eſt vulgo, præſertim in honorem exempli, quod tractamus, ſentiendum, ac loquendum eſt. Floruit Ingoldiana familia in hac Urbe, vetere & eximio patriciatu à tribus amplius ſæculis: perpetuis & mutuis nobilitati Alſaticæ connubiis innexa: beneficiis in eccleſiam, in pauperes, & quæcunque piarum cauſſarum nomine donari dicuntur, copioſe & inſigniter in hunc diem celebris. Tulit ingentia meriti ac famæ ſpecimina: quæ jampridem inter monumenta egregiorum civium, clariſſimorum magiſtratuum, noſtra cuſtodit Reſpublica. ſed hoc parum generoſe in laudibus Noſtri cælitis ſonaret, niſi ipſe generis luculenti fatum, ingenio impleviſſet, virtute amplificaſſet, meritis conſummaſſet. Nihil pertinuiſſet ad hujus diei celebrationem Henrici Ingoldi prudentia, qua ante centum amplius annos, ſuam Rempublicam illuſtravit: nihil amor & ſtudium in litteras literatosque, quod Eraſmos, quod Melanchthones laudatores meruit:

ruit:

ruit: nisi Franciscus Rudolphus, lucentem avitis vestigiis semitam ingressus, etiam ultra profecisset. Huc vobis contendendum est, Commilitones; huc vobis ductu exemploque Ingoldiana juventa præibit. quæ nunquam suæ fortunæ defuit, nunquam invitantibus ad majora fatis negligenter paruit. Et ante quidem, quam sui obsequii rationem ipse puellus subducere posset, egregia Vitrici Didymi Obrechti cura (nam parentem necdum trimulus amiserat) tum fide ac indulgentia piissimæ matris diligentissime educatus & liberalissime institutus est. Certavit cum annis profectus studiorum: quæ non rudimentis tenus attingenda, non eminus & voto affectanda, sed interiore ambienda commercio videbat iis esse: qui communibus reipublicæ utilitatibus suam ætatem suam cuperent operam rite consecratam. Est omnino major secretiorq;, quam verbis explicari potest, Doctrinæ sive liberali Musæ cum Republica necessitudo: non in Unius solum imperio, quod facilius creditur & frequentius animadvertitur; nec in Optimatum modo potentatu, quod unum instar omnium & supra omnia exemplum ejus civitatis probat, quæ & duratione & firmitate prorsum hactenus est incomparabilis: sed & popularem statum, nisi hæc anima vegetet, nisi hic nervus roboret, periculum est ne illa consequantur, quæ omnium censura sæculorum, omnium prudentum querela in eo regiminis genere castigavit. Discite, quicunque patriæ discitis, patriæ studetis; discite, pro nescio quibus arcanis imperii, arcanum patrium & fatale: Popularem reipublicæ formam literarum beneficio, exuere quicquid habet invalidum; induere, quidquid ceteris statibus validum tribuitur. Exempla domi quærite, aut quandoquidem obvio monumento prostant, considerate saltem ac perpendite. Utinam enim, quod oratio nostra persuadere nequit, potentiore nota animis inscriberet vestris Ingoldi Nostri memoria. tot illa quidem tantorumque fertilis operum, quot & quanta non ad æternitatem Reipublicæ magis, quam ad testationem efficacis doctrinæ intelliguntur pertinere. Date mihi virum, qui ad gravissimorum tractationem negotiorum

peregre miſſus, inter præcipua prudentiæ ac doctrinæ nomina, jura diſceptet, conſilia arbitretur, reſponſa pronunciet? qui domi occupationum cumulos ordinet, difficultates expediat, exitus inveniat? an expectabimus talia, niſi ab iis, qui admiſſione ſapientiæ familiarius imbuti, ex ipſius adytis ſapiunt, ex ipſius ore verba mutuantur? Defeciſſet haud dubie ſub ingenti, & qualem fortaſſe nemo unus in hac Republica ſuſtinuit, mole, Noſter Atlas, niſi humeros adverſum onera temporum muniviſſet valentiſſimæ genius eruditionis. qua illorum quoque gloriam æquavit, qui ſummos ſtudiorum titulos & cathedras æmulantur. Tantum potuit, conceptus inter initia diſcendi ardor, auctumque cum adoleſcentibus ſtudiis ignaviæ odium, & favens perficiendis artibus fortuna: cui pueri jam induſtria in deliciis, juvenis ſcientia in amoribus eſſe cœperat. Nec levia tanti affectus ſive irritamenta ſive fomenta tum Argentoratenſes Scholæ, tum celeberrimæ per Germaniam Academiæ, quas eximiis virtutibus complures ornaverat, paſſim loquebantur. Jam Jurisprudentia ſui faſtigii inſignibus merito decorandum judicaverat, jam Acamia ſuis Profeſſoribus jungendum deſtinatione ac voto diſpexerat: cum Divina voluntas, veluti manu arreptum, ea locavit ſede, ubi non juris modo ſed ſalutis publicæ conſultus, Academiæ caput potius, quam pars, quidquid boni de eo in ſpe vel illa vel iſta expectatio habuiſſet, optato eventu impleret, imo vero majori eventus auſpicio longe longeque ſuperaret. Scilicet aut hoc exemplo aut nullo alias liquet, quam ſint ad omnem honeſtatem duces, ad dignitatem auſpices, ad moris rectitudinem magiſtræ, liberales diſciplinæ. hæ, quidquid natura inſevit, excitant; quidquid uſus comparavit, componunt: quidquid elegantia ſuadet, virtus imperat, actus molitur, interiore quodam conſilio moderantur. Juſtitiam in judiciis, commercio, ſermone, quivis amare poteſt: ſed penetrare ejus artes, diſponere articulos & momenta, obſervare pericula, Ingoldi alicujus munus eſt: ille curam tuendi ſanctitatem fori maturis proviſionibus diſpenſabit; ille auctoritati ſuæ tempus leget,

leget, auxiliis locum constituet. Non severitas deerit reipublicæ, non clementia erroribus: non facilitate aditus, non alloquia majestate carebunt. hic inveniet miser, quod soletur: hic quod terreat, improbus offendet. Splendebit in viro dignitas, non superbiet: agnoscet, quod veneretur, aula: nec desiderabit, quod amet, libertas. Civis inter cives, princeps inter principes, & sic tamen civis, quo similior ceteris jure, hoc virtute eminentior erat. Nihil in gestu humile aut arrogans: nihil in nutu molle aut fastidiosum; nihil in habitu ostendebat cultuque, quod vanitate displicere antiquis, luxuria novis placere moribus posset. publice verendus, sed quasi usurus, non quasi utens auctoritate: privatim jucundus, affabilis, urbanus, officia comiter, amicitiam fideliter, patrocinia benigne, cum omnibus exercebat. Domus quoque inter magnifici & elegantis institutum medio cultu instructa, mores domini & dispositionem invisentibus loqui videbatur. Et si potiores te deliciæ tangerent, habitabat ibi conjugalis concordia & humanitas, satagebat familiæ industria, fulgebat liberorum indoles: quanquam magna sui parte amabile lumen violatum est & subductum, erepta inter teneram ætatem subole mascula trigemina. Quem casum, ut & ceteras suorum mortes, alto quidem doloris sensu in animum admisit (qui enim singularis illa bonitas aliter potuisset?) sed ne oblitus tamen videretur illius constantiæ, qua adversus tot ex publico molestias tot discrimina, invictus semper steterat, semper staturus erat. Nam, cum de cetero, nepotum numero ingeniisque jacturam filiorum fortuna solaretur, hic sine missione pugnandum erat: constituta semel & mansura lege, quæ magnos viros non magnis modo laboribus; sed invidia, æmulatione, obtrectationibus exercet. Rursum vestris cogitationibus id subjicio, qui in actu rerum, & civili negotio olim victuri estis, florentissimi Juvenes: pro splendore, qui multorum perstringit oculos; pro lucro, quod non pauci affectant, polliceor vobis aspera curarum, iniqua molestiarum. quas maximis quibusque

virtutibus in rep. mereri licet. Justitia Aristides, severitate Cato; Phocio bonitate, Valerius humanitate: Demosthenes eloquentia, Tullius prudentia: Scipio majestate gestarum rerum, Epaminondas felicitate, inimicos invenerunt: quosdam religio, quosdam eruditio, præcipua animi humani bona, odiis & periculis objecere: multo autem plurimosque maximosque viros, fides & studium servandæ patriæ iis exposuit calamitatibus, quæ in proditorum & impiorum civium capita tantummodo videbantur competere. Hæc reputata altius, interpretabuntur vobis pariter & commendabunt exemplum *Helvidii* illius, quem *unicum sui temporis ornamentum* gravissimus Historicorum laudat, & propterea Ingoldo comparandum memoriæ nostræ nunc suppeditat. Is *ingenium illustre altioribus studiis juvenis admodum dedit, non ut plerique, ut nomine magnifico segne otium velaret, sed quo firmior adversus fortuita remp. capesseret.* Existimate, ô mei hæc cum omine (quamquam abominor) difficiliorum in dies temporum dici posse: obfirmatoque adversum metus atque casus animo ad remp. accedentibus vobis, ea tantum præmia cogitanda esse, quæ propitium denique Numen, & æquior nobilibus meritis posteritas decernet. Ipsa enim tandem, quæ viventes incursavit, invidia, mortuorum famæ favebit: suamque vel imperitiam, vel livorem, vel si antiquæ generositatis exempla reviviscent, errorem ac pœnitentiam profitebitur. Legistis graves testatasque Macedonici Metelli cum Scipione Africano inimicitias: quorum jurgiis, altercationibus, ac pæne togatis præliis (ut Romanus auctor loquitur) sæpe curia, sæpe forum fervebat. At vero, Scipione indigna morte Reipublicæ necessitatibus erepto, Metellus non jam suæ simultatis sed periculi patriæ memor, in publicum procurrens, magnaque in vultu, in voce luctus indicia præferens; *concurrite*, inquit, *concurrite cives; mœnia urbis nostra eversa sunt.* Atque ita non alia quam virtutis æmulatione dignissimus vir, suo adversario, simpliciter & ingenue, ideoque vere parentavit: quamvis, si cui ultra fatum porrigere odia liberet,

is vel invidendo augebit laudes, quas obtrectabit. Admonuit me ista commemoratio rei, quam nec tangere promtum, nec fas est præterire. Quantum enim est, heu quantum, quod in Scipione Argentoratensi nuper amisimus, Auditores! Equidem *Urbis nostræ mœnia eversa esse* non sustineo dicere, stantibus adhuc iis, quos ingentis munimenti loco veneramur, & pro quorum incolumitate pia quotidie vota nuncupamus: sed & Magistratuum mortalitatem nil æternitati reipublicæ obstare, & ferri vulgo & credi scio. Satis possent ista magnifice dici, satis animose existimari, si res mortalium, & præsertim civitatum fortuna æqualius se & constantius haberet, si semper in profectu respublica, semper in flore felicitas esset. At vero, quoties unius viri casus imminentem publice casum portendit? quoties Deus, cum illustres viros consummandis imperii incrementis dedisset, non distulit auctorum fine, decrescendi principia designare. Quî autem porro pietati consuletur, quî prudentiæ; si nec superioris merita temporis & labores grata recordatione respiciamus, nec futuri pericula, præteritis periculis moniti, diligenter prospiciamus? Possunt redire, quæ avertimus: possunt minari, quæ timuimus: possunt involvi, quæ evolvimus. Potest armorum necessitas imponi: quibus consilio moderandis, olim in ancipiti discrimine, quamvis deprecantem Ingoldum, obnixa voluntate votoque destinavit Respublica. potest atrocitate sæculi, aliquid occultæ tabis Reipublicæ vitalibus inoriri: qualibus vitiis sollerter providendis, & perite declinandis Remp. sæpe Ingoldi oculo, sæpe Ingoldi ope usam esse, negari non debet. Talis & metus in bono cive assiduus; & desiderium in bono cliente, imo in bono viro, perenne sit oportet. nisi quod subinde remedii loco præsidem nostri status atque custodem Deum prece, pietate, spe propitiandum; superstitumque Procerum, Patrum, Adjutorum, virtutem præcipua æstimatione colendam nobis arbitrabimur. Facit ea res, ut, quæcunque de jactura Academiæ & Scholarum deploranda animo conceperam, in conspectus vestri re-

verentiam & fiduciam patrocinii veluti ſubſidant ac recumbant, Nobiliſſimi Scholarchæ. Non eſtis admonendi, qua neceſſitudine pignoris, qua religione muneris, quo fari publici ſecreto, Deus, Academiam veſtræ curæ fideique commiſſam voluerit. Ut æſtimio & auctoritate & virtute præpolleat, eſto ſignatorius in veſtro digito anulus: ut oculis & memoriæ ſemper præſto ſit, eſto nota memorialis manibus veſtris impreſſa: ut cordi affectuique proxima ſit, jaceat inter ubera veſtra tam pretioſa tam dilecta merces. Liceat enim mihi quædam ex inimitabili ſanctioris linguæ ſpiritu mutuari: quæ divinum conſilium ſtudiumque, cum hominibus ſanctiſſima quæque & maxima commendat, his ſymbolis conſuevit explicare. Favete gloriæ veſtræ, digniſſima æternitate nomina: imo favete Reipublicæ non ornamentis modo, ſed uſibus; quibus multam actus vim ac indolem Schola ſubminiſtrabit. Nolite committere, ut cuiquam vel ad ſuſpicandum olim, vel nunc ad metuendum cauſſa præbeatur, quaſi temporibus veſtris quidquam ſcholaſtico vigori deceſſerit aut deceſſurum ſit. Habetis promtos & alacres ad provehenda in majus utilia publico ſtudia doctores: habetis ſtrenuam & erectam ad eximias laudes juventutem. Hæ deliciæ Ingoldi erant: hæc ſe ſalva Reipublicæ & florentia relinquere plurimum gaudebat. hæc veſtra quoque fata (ſeriſſima autem ſint precamur) conſequetur felicitas: ſi præſertim operam dederitis, ne perpetuo miſeriæ periculo pateant, qui fidem, ætatem, labores ſuos Reipublicæ conſecrarunt; aut ullatenus negligantur, qui in ſpem ætatis poſteræ efflorefcunt. Denique date hoc illuſtri Collegæ Veſtri memoriæ, ut quod ipſe facturus denuo erat, ſi licuiſſet, vos veluti cuſtodes & interpretes voluntatis ultimæ faciatis, ampliſſimoque ordini memoretis: inter præcipua & ſuprema Ingoldi vota exceptas voces, quibus *cupere ſe, ſi daretur, adhuc ſemel Academiam ejusque doctores Ampliſſimo Senatui commendare*, teſtabatur. Erit ipſum, nec dubitamus, viri ſummi, deſiderium, pro argumentis omnibus, apud Senatorias aures:

erit

erit pro exemplo & ſtimulo ſucceſſori, quem Ingoldi in locum feliciter aſciviſtis. Nam quo te primum exoptato Scholarchæ patrocinio publicaque præſentia nobis exorientem, alio proſequemur nomine, vir Ampliſſime, Tredecimvir Inclyte, JOHANNES WENCKERE, quam comparatione ejus nominis, in quo tam perfecta curationis ſcholaſticæ commendatio continetur, ut meliorem Patronum ne optare quidem fas ſit? Deus, qui exemplum id ſingulare fecit ac venerabile, æmulationem exempli felicem jubeat eſſe ac perpetuam. Hoc adhibemus in prolixo voto verborum compendium: quod, expleto jam deſtinatæ concionis tempore, in omnia neceſſarium potius, quam explendo affectui officioque idoneum par eſt intelligi. Igitur nemo hic expectet, ut vel eas notitiæ Ingoldianæ partes, quas Rectorium programma graviter expreſſit, vel eam virtutis vitæque ſanctimoniam, quam Eccleſia publice celebravit, vel eam laudum copiam, quæ nobiliſsimorum hominum æſtimatione paſsim comprehenditur; vel eam actionum dexteritatem, quæ interioris Reipublicæ monumentis permixta, uſibus magis quam famæ populi deſtinatur, conquirere annitar aut aggrediar memorare. Neque ſane prædicatio nobis tanti Herois eſt propoſita, ſed veneratio poſthuma gratæque mentis pietas: cujus ſimplicitati vel antiquum illud, quod mortuis dicebant, VALE, aut quod ſanctiore affectu dici poſſe videtur, SALVE, nunc ſufficere poteſt. SALVE, inquam, FRANCISCE RUDOLPHE INGOLDE. Salve mens cœlo recepta, cæli ſideribus illuſtrior: Salve aureum pignus in ſinu Abrahæ, in complexu Pacis, in cuſtodia manus Dei. Salve contemplator æternitatis, quam ſemper cogitaſti: admirator Divinitatis, cui ſemper ſerviiſti: ſpectator gloriæ, quam ſemper deſideraſti. Salve amice ſupremi Numinis, ſed jam admiſsione intima æſtimate: Salve hæres perennis opulentiæ, ſed jam poſſeſsione hæreditatis locupletate: Salve conſors angelorum, quos aſsiduos habuiſti cuſtodes; Salve collega Sanctorum, quorum exemplo, virtutis cultu; officio, pietatis aſsi-

aſſiduitate aſſueviſti. Salve decus tui Creatoris, qui te magnis rebus deſtinavit: Salve amor tui Servatoris, qui te veris bonis fortunavit: Salve cura S. Spiritus, qui te ſummis dotibus conſummavit. Salve civitatis novæ habitator, cujus decorem tantopere dilexiſti: Salve Prophetarum contubernalis, quorum verba per omnem vitam reverenter auſcultaſti. Salve & vale deſiderium tuorum civium, quos terroribus ſæculi & periculis reliquiſti. Quod ſupereſt, nos tuarum laudum memoriam, animis cuſtodire; linguis propagare; imitatione, pro ſuo quisque captu locoque æmulari nunquam deſinemus.

VIII.



VIII.

Laudatio Funebris

Amplissimi VIRI

JOANNIS FRIDERICI SCHMIDII

Jureconsulti, plurium Principum, & præsertim Reip. Argentoratensis Consiliarii,

publico nomine recitata

in Academia. XVI. Novembris anni
clↃ IↃcxxxVII.

Illustrissimi ac Celsissimi Principes, Generose Baro, Magnificentissimi Viri Patriæ Patres & Scholarchæ, Amplissimi Assessores & Consiliarii, Magnifice Rector, Decani Spectabiles, Clarissimi Professores, Præstantissimi JCti & Medici, Venerandi Ecclesiastæ, humanissimi curiarum moderatores, tuque cetera virorum, juvenum, adolescentum, vario titulorum honore memoranda Corona.

JOANNEM FRIDERICUM SCHMIDIUM, ingentibus virum meritis, parique publice fama, menses quattuor sunt, cum hæc Civitas amisit, extulit, humavit. Cujus equidem tanta fuit acerbitas funeris, ut contineri nequaquam intra necessitudinum gemitus, luctus tam alte, tam varie adactus posset; quin palabunda late mœstitia omnes desiderio ejus, qui nunquam sibi, semper omnibus vixerat, impleret. Consilii publici auctoritas, partem sui ac ornamentum; jura civitatis patronum, justitia vindicem, Urbs ipsa dulce quoddam decus

ac subsidium, divelli à se & abripi querebantur. Apud privatos quoque & vulgum nemo tam vulgaris fuit, qui non aliqua se voluptatis, solatii, auxilii parte fraudari intelligeret. Jam quis dubitabit, tot ubique urbes, terras, nationes, quot ope aut fama in favorem sui pertraxerat, rumore tristissimi casus confusas esse atque consternatas? Cum enim cetera quidem bona suæ quodque civitatis ambitu & mœnibus concludantur; viri prudentis siderea virtus est; quæ & domi singulos benefica luce complectitur, & foris universos obstringit aut exhilarat. Vobis præcipue (revertar enim ad domestica) Patriæ Patres, durum videbatur & calamitosum, alienissimo vestro tempore tanto adjutore, socio, amico orbari: Cujus egregiam fidelemque operam, ut tot annorum usus vobis, tot negotiorum varietas pridem commendasset; ita temporum denique pericula & sævities unice fecissent curam, unice necessariam. Accedebat crebritate casuum attentior eorundem reputatio, & ex reputatione timor: dum longius, ut fit, progressa ratiocinatio, ne, quod aliis evenisse partim audieratis, partim videratis, hic quoque eveniret, accuratissima solicitudine suggerebat. neque enim foris tantum viros undecunque clarissimos, bello, fame, mœrore, denique sæculi genio absumptos, quotidie erant qui nuntiarent: in ipsa Urbe vestra, aliena quidem illa, sed ad domesticos terrores apprime valebant exempla. neque immerito. quæ fortuna huc seposuisse, tanquam in securitatis quodam sinu, credebatur, residua ætatis nostræ ac viciniæ ornamenta; ut res docuit, ad celebre conditorium & communem tumulum collegerat. Igitur proxima, remota cogitantibus, quid nisi tenebræ, extinctis tot ubique luminibus, & vastitas & cæca terris nox imminere videri poterat? Nec jam metus istud, & anxia futuri conjectatio, sed periculum, sed certa erat jactura: quam, præter memorata, altissime scilicet animis reipublicæ suæ amantibus cum aliorum in hac Civitate eximiorum virorum, tum nuperrime celeberrimorum Professorum; ad extremum Schmidii quoque vestri, de quo querimur,

fata

fata impresserant, & ad dispiciendam omni ope tantis vulneribus medicinam vos penitus adverterant. quam in animi constantia & magnitudine, in egregii publici cura, in amore civium, in labore & industria, egregie factum quod reposuistis. Hæc enim sola, qua cum publicis, cum privatis commodissime transigi malis potest, ratio: hæc adversum fluctus rerum humanarum ancora: hic tranquillitatis veræ portus est. Ac quam fortia quidem è complexu reipublicæ vestræ solatia petatis, agnosci ab omnibus facilius fuerit, quam ab ullo laudari: animi autem generositatem illud quoque ostendit; quod, cujus in posterum usu & præsentia vobis carendum esse cernebatis, ejus omni modo fruendum memoria præclare judicastis. Quamquam vero, quod ad perenne nominis decus attinet, plurima illius viri & in omni publica re, vel provisa prudenter, vel graviter actitata, vel acute responsa, inter æterna vestræ Reipublicæ instrumenta & commentarios, non ad venturi magis disciplinam temporis, quam ad perpetuam auctoris sui gloriam custodiantur; vivatque adeo SCHMIDIUS, & victurus sit in animo Senatus Populique Argentoratensis, tam venerabilis ille posteræ futurus ætati, quam suæ fuit utilis: officii tamen publici, & grati animi, & efficacioris exempli visum est interesse, ut in Academia quoque nostra, id est, in ipsa immortalitatis officina, tantæ virtutis merita sollenni prodita scriptione consecrarentur. Nondum eluxeramus, BITSCHIANI, nondum LOCAMERIANI funeris luctum, cum de voluntate nobis vestra constitit. Igitur ipsa doloris societate, & affectuum recentiore exemplo, ad levationem alienorum adversorum, (quamquam quid alienum nobis esse possit, quod à republica non est alienum?) incitabamur; nostrumque Curiæ studium, quod magno quidem, sed lætiore in argumento optabamus enitescere, non distulimus approbare. Maturata sunt justa duobus, quos dixi, summis justitiæ sacerdotibus. quorum vitam & laudes, gravi, quo pollet, & memorabili genere dicendi executus est nuper is, in quem illi luctuoso obitu & dignita-

res suas, & labores, & cum his spem atque curam posteritatis, quam præclaris operibus ibant adjutum, transtulerant. atque adeo fulget nunc & triumphat, ut in cœlis anima optimorum virorum, sic in terris memoria. quam non in auro & argento, non in saxis & trabibus, non per statuas & titulos operose peritura ambitio; sed in hominum animis, in judicio temporum, in fama rerum prudentis viri calamus, victuro semper honore ab interitu vindicat. Nunc iterum congressa nec studio dispari nec officio Academia, utriusque me interpretem esse, atque Schmidii illius supremos publice honores recolere, cœtusque tam celebris auribus, animis, imitationi nobile magnarum rerum specimen commendare voluit, jussit. Credo, quod in materie per se maxima, minima esse facundia opus existimaret. Ego certe, qui nec eloquentia fiderem, nec ingenio, aliam mihi ejusce consilii rationem non potui excogitare. Quocirca cum in conspectum huc processi vestrum, Auditores Splendidissimi, procul mihi habenda, quæcunque aliis tali loco & tempore in promptu sunt, judicavi. Non utar, inquam, vel solicito difficultatis obtentu, qui superbiam; non querula virium extenuatione, quæ persuasionem; non callida eloquentiæ declinatione, quæ fucum; non objurgatorio orationis contemtu, qui ejusdem maximam plerumque sibi propositam habet affectationem. Hæc si aliquando scholarum umbraculis placuere, nunc in gratiam viri semper in luce civilium rerum versati, ad artifices declamatoriæ ostentationis & architectos remittentur: dabiturque à nobis opera, ut, cum narrationis seriæ præcipuam, masculæ exornationis aliquam habuerimus curam, in utraque nihil nos spectasse præter fidem & veritatem, omnes queant intelligere.

Non decuerit apud consessum tam gravem, orationem in iis consumere, quæ ad ornamentum quidem clarorum hominum faciunt, sed ut vestis, ut gemma, ut anulus: cultus externi indicia, non animi testimonia. De viro eximio, nihil nisi quod talem fecit, dicendum est. Patriam laudare

illi

illi instituant, quibus jejuna ad disserendum materia, aut otii abundantia istud vel permittit vel persuadet. Non ibo hic in laudes tuas, sive tu hospita sive mater à me dici mavis, Illustre Argentoratum. Relinquatur superbiæ gentium, aut rhetorum ostentationi iste ludus, quo amplitudo terrarum, multitudo ædificiorum, apparatus substructionum, natura & species lapidum, quadam dilaudationis seu copia seu prodigalitate chartis inscribitur: Ego propter editum † orbi SCHMIDIUM nihil aliud, quam gratulatione te & voto prosequor: ut qualis censeri tum hoc tum plurimis documentis meruisti, semper esse, semper prædicari merearis, optimorum clarissimorumque civium genitrix, educatrix, altrix. Hoc ego unum illud esse crediderim, quod supra murorum robora, supra turrium fastigia, supra operum magnificentissimorum spectacula urbes firmare, munire, exornare valeat; si virorum egregiorum virtute, non jam a contemtu, ab incursu, à vilitate; sed à fragilitate & mortalitate ipsa quodammodo vindicentur. Cum enim, quæ saxo struuntur & aggere, vis expugnare, casus frangere, vetustas valeat consumere: gloria præclarorum facinorum cum orbe hoc, cum omni temporum decursu incorrupta perennat. Hæc non locum, non genus, non censum eligit, solius animi soboles atque tradux: ut tam erret, qui familiæ splendorem, quam qui patriæ celebritatem in veris ponere laudibus ausit. Equidem miseros ambitionis & væcordes semper æstimavi, quibus ut nobiles videantur, ad veterrima saxa, & semesos titulos, & fumosas imagines, in alium orbem, in ignotas terras, frequentissime autem omnium ad fabulas eundum est atque mendacia. quasi vel nobile quicquam sit, cui non veritas non ratio subest; vel non omnes ab eadem sint demissi stirpe, ab iisdem progenitoribus; vel denique, si curiosius agendum autumetur, non unusquisque plures in avorum serie illaudatos quam laudatos inventurus sit. Nos in defuncto Nostro nihil ex ejuscemodi ineptiis, aut nominaremus si adessent; aut dum absunt, figmento arcessimus. Parentes is nactus est bonos

† 1578. *die Jan.* 19.

bonos magis quam claros: quorum cum hoc fortunæ sit, illud virtutis est. Patrem *Bernhardum Schmidium*, matrem *Catharinam Kleiniam* dixere: ille organa perite, hæc fideliter domum; uterque educationem liberorum probitate, moribus, exemplo strenue moderabantur. Adverterat præsertim eorum curam, & spem successus in hoc labore incitaverat eximia hujus, de quo loquimur, filii indoles. Latebant adhuc penitus abstrusa, quæ manebant eam, fata; sed latere non poterant signa fatorum prænuntia: nisi quod intra modestiam votorum, contemplatione, gaudio, pietate contenti parentes, interpretationem malebant differre. Solent qui tractandis equis operam navant, à primo statim ortu generosi pecoris pullum non degenerem dignoscere: si altiore ingressu, vividiore motu, lætiore ferocia gavisus spectari, adhinniat, adlusitet, adsultet: si arrectis superbe auribus, si contentis acriter oculis, si spirantibus pugnaciter naribus, iram & robur & impetum licet non ultra quam minetur. Prorsus aliquid simile habuit SCHMIDII Nostri pueritia, exeruit magis magisque adolescentia. Cum enim iis erudiretur disciplinis, iis imbueretur virtutibus, quibus istæ humanis usibus præparari ætates solent; ubique & in præsens officio, annis, expectationi satisfecit, & in posterum præclaram de se spem concitavit: neque delectationem aliis, sibi laudem peperisse contentus, ut cum ætate, ita cum Præceptorum votis perpetuo certamine contendit. quæ hoc pacto provocata cum plus ultra viderentur progredi, haud difficulter ab audaciæ opinione ad fiduciam & rationem illa redegit. Atque hic, si quam jucunda provectiori ætati tenerioris contemplatio solet esse, tam concessa nobis ratione instituti ejuscemodi foret commemoratio, circumducerem vos, Auditores, per Gymnasii Argentoratensis curias ac subsellia, & monstrarem vobis puellum, cujus integra bonaque natura ex liberali facie; industria, ex intento opere; modestia emineret ex moribus: memorem disciplinæ, observantem pulcri atque decori, sic ad lectiones quasi ad epulas paratum; vividum, velocem, elegantem: nunc pro-

proximos, nunc superiores, postremo semet egregia laudis cupidine lacessentem, vincentem, atque adeo, quocunque eum sequeris, non nisi in primis consistentem. Contigerit mihi tale pueri seu prodigium seu spectaculum, nec dubitabo hunc patriæ suæ ornamentum & præsidium quandoque futurum, non ex Etruscorum disciplina aruspicum, nec ex curiosis astrologorum hariolationibus, sed, quod nobilius vaticinandi genus est, ex ipsa virtutis natura & erecti moris successibus, denuntiare. Falli sane non magis metuam, quam eorum quisquam est deceptus, qui jam tum summa de Nostro omnia conceperunt. Cujus non tam anni, non tam præmia, quam strenuitas visa est festinare. Igitur ut ampliore theatro egregiorum amplitudo conatuum juvaretur, è Gymnasio in Academiam, id est, cursor indefessus in stadium, animosus athleta in arenam, equus acer in planitiem, non turgido sui amore prorupit, sed à meriti sui amatoribus est translatus. Aut igitur tum, aut nunquam alias apparuit, quid posset liberrimis permissa spatiis industria, & generosus discendi amor. Ferebatur per linguarum copiam, per sapientiæ multiplicis divitias, ita ut quæ profunde abdita, erueret; quæ late diffusa, emetiretur; quæ alte constituta, assequeretur; quæ difficultate essent obsepta, omnia labore, omnia contentione, quam suo more successus sequebatur, pervaderet. Coronandum duxit tam impigrum proci sui studium domina rerum Sapientia. sive tu hortamenta laudis velis interpretari, cum ingenium sublime meritis honoribus mactatum, illo veluti pabulo alitur, illo inflatur spiritu, illo accenditur oleo, & ad vires, augmenta, copias ultro subvehitur. Certe cum annus ætatis sextusdecimus, † primam, qui hunc insecutus est, alteram Philosophiæ lauream * (non pigenda scilicet munera, quicquid illis placeat, qui honorum contemptu ipsam virtutem, ipsam contemnunt eruditionem) reportasset, exaucto subinde ardore, multiplicata subinde opera, ad metam suam SCHMIDIUS grassabatur. Longe diversus ille à delicatis nonnullis, & suavibus adolescentulis, quorum

† 1594. 25. *Apr.* * 1595. 11. *Nov.*

rum ubi ad hos titulos pervenit ſedulitas (ſive ambitio potius aut quidvis aliud dici debet, cui non bona mens, non bonæ mentis ſubeſt conſtantia) tum vero ſtudiorum ſibi veniſſe finem, tum laboris adeſſe terminum dulciter ſomniant. Igitur ex eo tempore jam abdicata præceptorum, quorum ſibi nomina induerant, auctoritate.

Scinditur ignavum ſtudia in contraria vulgus:

quidam ad greges ebrioſorum, nonnulli ad magiſtros arrogantiæ & debacchationum; aliqui, ut mollius philoſophentur, ad conciliabula divertunt muliercularum. Nova ſcilicet hæc, quam nec ſcivit Plato, nec agnovit Ariſtoteles, Philoſophorum ſecta: quam nec inter Cæſarum munera, nec inter Academiarum titulos legiſſe memini (liceat mihi de barbara re, voce uti barbara) magiſtralitas eſt. Inter quæ reſoluto per iners otium ac torporem animo, fracto effœminaque corpore, tempore autem, id eſt, re omnium pretioſiſſima, nec ulla ope reparabili, miſere deperdito, ſpretis præterea atque conculcatis divina humanaque lege, bono more, conſcientia, ſacramento, quæſo qua deinceps facie, quo noſcendi erimus titulo? quibus autem inſtructi adminiculis ad publicas utilitates capeſſendas accedemus? Hunc enim communem bonis omnibus finem, hanc ſibi laboris regulam, cordata Schmidii præſertim Noſtri ſtudia, ne à regia bonæ mentis uſquam deerrarent, propoſuerant. Patriam videlicet eſſe, cui civium quiſque ingenium, ſtudia, vitam, ante omnia autem rectos vitæ mores debeat. Qui ſi à ſingulis negligantur, univerſorum periclitari ſalutem. cui haud dubie ſubtrahi, quicquid ſapientiæ ſtudio ac virtutis ſubtrahatur. Dum illuſtre hoc ad conſpectum & memoriam juventuti noſtræ exemplum commendo, dum ad imitationem deſtinata publico uſui provoco pectora, non pigebit, mihi fortaſſis apud ſuſpicaces invidioſam, pro republica apud bonos honeſtam vocem mittere. Male habebit civitas, quæcunque illa ſit (nam de Noſtra fugio ſecus ominari, & avertat iſta Deus longeque averruncet) ubi juventus urbica natalium decore & opibus ad contemtum litte-

rarum

rarum, quas nemo contemnit, quin omnes ſimul virtutes contemnat; colore ſtudiorum & nomine, ad ſegne otium & ignaviæ velamentum; parentum dignitate, ad ſuperbiam ac licentiam: ſpe denique honeſtioris in republica loci, ad ceſſationem laboris & virtutum neglectionem abuti vel perget, vel incipiet. Neque enim aliis incolumitas publica, quam diſciplina juventutis paſſibus ambulat: eodem illæ tranſitu, iiſdem utuntur converſionibus: cumque hæc ante illam attendi debeat, illa abſque hac nuſquam poteſt agnoſci. Sæpe illos rideo, qui felicitatem Romanorum (nam in hanc gentem, quotieſcunque magno exemplo opus eſt, ſive conſuetudine, ſive judicio ſtatim convertimur) congeſtis tot populorum opibus, id eſt, quid aliud quam publico quodam latrocinio? ſeu prolatis longe imperii finibus, id eſt, quid aliud, quam moleſtiarum quadam mole? ſeu ſtructis mirifice operibus, id eſt, quid aliud quam ludibrio caſuum, ſpolio temporis? ſolent æſtimare. Non fuit Roma prius, non diutius felix, quam dum juventus Romana animum in probitate, induſtria, virtute; corpus in armis, in equis, in ágris haberet, ſive ut clarius loquar, cum ſe patriæ exerceret, patriæ laboraret, patriæ viveret. At cum à bonis negotiis ceſſavit, incepit malum publicum facere, & pro communi decore, privatam ſibi quiſque infamiam peperere. Breviſſime dicam: póſtquam ſubiit otii dulcedo, ſubiere otii vitia, ſubiere otii præmia, id eſt, reipublicæ fœditas, imbecillitas, interitus. Perſarum nomen, imperium, auctoritatem nemo ſine veneratione vel olim audivit, vel apud poſteros legit, dum præclariſſimi juventutis mores & à puero exercita per omne honeſtatis genus ad viri firmitatem induſtria, qua mellitiſſimi præſertim Xenophontis ſcripta ſibi aliiſque placent, publice obtinebat. Hac inclinata, populus late dominator, contemni, vinci, ſubverti cœpit. Si ad recentiora venire non refugimus, dum Germanorum juventus, & præſertim Juventutis Principes GERMANAM FIDEM, GERMANAM VIRTU-

TEM docebantur, salvi fuimus: mutati mores pristini mutavere viros, sæculum, sæculi fortunam, quæ ante virtutem sublatam nunquam terras destituit. Sed me quidem fata regnorum & mores civium paulo altius reputantem, amor & cura reipublicæ incepto longius tulerit, nisi quod in parte laudum Schmidianarum non exigua reposuerim, monstrasse, quantum ei ad magnitudinem per signa hactenus ostensam, mox per argumenta ostendendam, contulerit res plerisque neglecta, omnibus necessaria, paucis dextre tractata, assidua patriæ & civilium utilitatum meditatio. Hæc inertiam vitæ; studiis pulverem detrahebat ac situm. Quibus cum multa curiosorum vitio accedere, multa adhærere ex otio, multa ex ostentatione viderer adstrui: pro infinitis observationibus, unam in oculis habuit ac animo, usus publici causa omnia vel discere, vel seponere, vel contemnere. qui cum solus quadam sapiendi nobilitate attenditur, rem præstabit, mihi credite Auditores, quam frustra Lullianæ artis histrionia promiserit, difficulter vel ipsa veterum Encyclopædia præstiterit, consummatam eruditionem, consummatam prudentiam. quam frustra viri sectamur, si juvenes præterivimus. Dederat SCHMIDIUS animum severissimo legum & Juris studio. quod ut in societate civili usum habere egregium, ita difficultatibus intricari plurimis, haud ignorabat. Igitur vitatam & antea studiose desidiam magis magisque odisse, ingenium autem omne cœpit explicare ac intendere: ne vel in tam augusta scientia præter propter ipsam versando, nihil magnopere litteris, omnia forensi videretur volubilitati tribuere; vel alienas commentationes, & Doctorum opiniones, ita edisceret, ut de utrarumque rationibus ac fundamentis, in ipso scilicet interioris Jurisprudentiæ penetrali reconditis, parum cogitaret. Quod utrumque crebrius quam publice prodest, factitari, Jurisconsultorum videas gravissimorum querelis fieri testatum. Scilicet præmonebat jam tum ad excelsa genitam mentem, fati sui solicitudo, ac theatrum majus foro & illustrius ostentabat.

Daret

Daret itaque operam, ut in similis studii professione iis esset quam dissimillimus, quorum arrogans calliditas litterarum tendiculas & aucupia verborum, & cantus formularum non excederet. Aliud in caussidico spectari, aliud quæri in Jurisconsulto. quorum cum ille lucrum respiciat & quæstum; Hunc veluti commune civitatis bonum, præsidium amicis, opem alienis, salutem periclitantibus, malis metum ostentare, perpetuaque pro Republica auctoritate munitum esse ac potentia. Porro Jurisconsultorum dignitatem, tot Imperatorum judicio & munificentia amplificatam, ad summas in omni vita res gerendas aditum iis patefacere; neque regnorum consilia, aularum moderamina, pacisque ac belli curas in alios frequentius conferri. frustra id quidem, nisi contingant viri, qui hos honores queant honestare, his dignitatibus dignitatem addere. quod sola legum cognitione, quantacunque illa sit, fieri haudquaquam posse, vel eorum constare exemplis, quos sub Jurisconsultorum titulo, non tam hoc nomen adscitum, quam plurimæ cumulatissimi pectoris artes, ac promptissimæ ingenii dotes supra Jurisprudentiæ fastigium extulerint. Igitur huic, omnem civilem scientiam, notitiam federum, jura societatum, pacta populorum, discrimina gentium, disciplinam rerumpublicarum, antiquitatem, senatorias consuetudines, omnemque præsertim Romani causam imperii, ejusque ad hæc tempora variationes, & conjunxit strenue, nec disjungenda deinceps unquam, rectissime autumavit. Vehementer enim illos falli necesse est, qui vel adolescentiæ per libellos, vel ulli ætati per definita temporis & operæ spatia, ista tradi posse credunt, quæ nulla ætate, nullo tempore ex animo sunt & manibus dimittenda. cumque cetera vel pueritiæ, vel adolescentiæ, vel juventutis partito labore studia sint; hæc vitæ disciplina universæ merito habetur. Cumprimis vero historia erat, quæ & modo memorata contineret; & præter cognitionem. ad usus perspicuitatem ultro deduceret, & præter usum, judicii subministraret copiam; & splendi-

diſſima ubertate, per omnia Reipublicæ tempora, per omnes rerum eventus, per antiqua, per recentia, narrando, judicando, docendò, comparandò, denique omni prudentiæ diffuſiſſimæ apparatu inſtructuque naturam viri admirabilem, & exquiſitam doctrinam, & ſingularem induſtriam in liberaliſſimo utilitatum publicarum ſtudio, & nobiliſſimo ejus ſtudii fine dirigeret, firmaret, perficeret. Nam de eloquentia ejus virili, robuſta, exercitata ne aliquid hic dicamus, commodioris reſpectu loci fieri intelligendum eſt: cum de ipſis eloquentiæ monumentis, & præclaris operibus, id eſt, de ornatiſſima noſtri argumenti parte paulo poſt expediemus. Interea peregrinantem comitati patriæ reddemus; tum deinde Doctorem ſalutabimus; ſed & auſpicia dignitatum capeſſenti, prænuntio majorum decorum applauſu gratulabimur. Ibat in adultam æſtatem annus ab inſtaurata ſalute CIↃ IↃ XCIX, † cum SCHMIDIUS Noſter, multa jam litterarum politie, multa rerum intelligentia compos; Argentoratum ſuum feliciter reliquit, ut felicius repeteret. Videbat pridem, rerum humanarum civiliumque rationum mirificam varietatem, non minore demergi profundò: ad quod exhauriendum præſentiſſimo eſſe opus conſilio, ſtudio ſummo, judicio exacto, præcipue autem, experientia ſtrenua & ſolerti. Hanc autem domi quidem inchoari, foris perfici; nec pro patria natali ſolo, ſed univerſo orbe uti; quem ſi non pedibus & itinere, animo certe ac obſervatione emetiatur. Hanc inſpicere præſentia, adire remota, penetrare occulta, attendere collocutionibus, adſiſtere conciliis, intereſſe cœtibus, intrare curias, inviſere aulas, domos frequentare. Neque dum hæc loquor, emiſſitii vobis oculi & fraudulentus explorator, ſed peritus aliquis peregrinator, & potiſſimum SCHMIDIUS ille, cogitandus eſt, Auditores. Quanquam, ſi feſtive magis quam caute talem mihi deſcribendum ſumerem, non formidarem dicere: peregrinatorem eſſe aucupem alienorum verborum, inquiſitorem alienarum actionum, ſcrutatorem ar-

canorum,

† 1599. 19. Julij.

canorum, arbitrum vitæ & morum, rerumpublicarum exploratorem, simulatorem plurimarum rerum, dissimulatorem omnium: sed (ne suspensos vos teneam) per suspectissimos titulos, reipublicæ causâ excusatissimum, instituti rectitudine innocentissimum. Nam quid ego illos peregrinari dicam, cui linguæ unius mediocriter cognoscendæ ergo, tum visendis urbibus, hortis, arcibus tot annos impendunt, tot nummos? qui mihi profecto id unum videntur agere, ut sumptuose pariter ac strenue nihil agant. Igitur ubi eos desiderium maternæ sedis, aut tædium itineris, aut spes ostentationis domum reduxit, satis plerumque apparet, Plautinam mulierem longe virilius sapuisse, cum, quam hi tantopere abstrudunt, ingenue illa confessa est veritatem:

Urbis speciem vidi, hominum mores perspexi parum:

atque ita mirifica importunitate ac intempestivo cum maxime errore denuo incipiunt in sua sibi patria peregrinari. Noster ut in ceteris, ita in hac prudentiæ, ut ita dixerim, negotiatione, à vulgo indole & studiis multum fuit remotus. Ergo cum Austriam, Styriam, Carinthiam adisset, non ille urbes magnificas, sedesque, & palatia Ducum; tum Germaniæ ipsius propugnacula, atque imperii claustra miratus, operæ se ac instituti pretium duxit fecisse: (quamquam meminisse nedum oculis usurpasse juvet, fractos toties in illis locis Ottomannicæ dominationis spiritus, & coërcitas hostis immanissimi vires) sed in augustissima Imperii Regia præcipuum cognitu duxit, imperii artes, consilia, rationes, omnemque adeo non excelsissimæ tantum dignationis scenam, sed difficillimæ administrationis curam introspicere. Eventu felici sane optatoque. quid enim differam, ipsum argumenti pariter & fidei robur adhibere? Ut dignus Imperatorum omnium favore, ministerio, amicitia fieret, illa ego rudimenta, illa judico auspicia fuisse. Quemadmodum enim qui solem illum, mundi temperatorem, omnisque parentem fœcunditatis, obvio corpore ac libero processu excipiunt, etiam aliud

agentes radiis colluſtrantur, calore foventur, efficacia pertentantur, denique colore quodam imbuuntur: Ita in clariſſima luce Imperatorii actus, in magnificentia glorioſarum diſpoſitionum, inter ſummas Reipublicæ gubernandæ proviſiones verſantem, neceſſe eſt profecto excitari, vigorem ingenio, prudentiam animo concipere, atque cum maxima omnia videat, audiat, ſentiat, non minora cogitare, loqui, deſtinare. Scilicet ut ingeniorum ignobiliora magnitudine rerum ſplendidarum hebeſcere; ſic vivida & habilia intendi perſpicimus ac extimulari; uſumque his & artem nullibi felicius, quam inter ſublimia uſus & artis exempla provenire. Cujus rei novum rurſus documentum Italica Schmidii, quam Pannonicæ continuavit, peregrinatio præbet. De qua ut commodius loqui queamus, iterum cum comparatione loquendum eſt. Videas quippe nonnullos Italiam ea potiſſimum parte contemplari; qua contemplationi ſe ſubducit, rutaque & cæſa ſuperſtitioſo horrore perveſtigare; ut præſentem negligant, ſepultam ſectari; atque rudera ſubverſæ, & lapides pro ſtantis artibus mirari, amare, colligere. Quos fortaſſe (ſi illos tamen eximios fecero, qui tam raro quam laudibili propoſito, illuſtrandæ eruditioni, explicandiſque ſcriptorum antiquorum præcipuis illud ab oculata fide qualecunque præſidium ſunt mutuati) curioſiſſimi generis ſtultitia teneri dixerint, qui tempora rebus, ſtudia vitæ, labores moribus eſſe impendendos, haud abs re exiſtimant. Sunt quibus cura & curæ finis, ut Italicorum itinerum fidem, longis commemorationibus de pomparum, religionum, cæremoniarum diverſitate, de Pontificum, Cardinalium, Monachorum, ceterique ſic ſuperſtitione ut cultu varii gregis fortuna, conditione, moribus, poſſint ad inanem otioſarum aurium voluptatem referre. Denique, ſicut in eadem ſylva, boves herbam, canes feram, aves nidum quærunt: ita animorum diſſimilitudine, alios alia reſpicere, nec diverſa modo ſed contraria, atque illos quidem bona ac præſtantia, hos viliora

liora pejoraque captare satis constat. Nobis argumentum optimi esto, quod SCHMIDIUS Noster est secutus. Consecratus enim publico egregio attollendo animus, ad eumque finem & à natura factus, & à disciplina institutus, & fato suo velut instigatus, quid in illa terrarum quondam Regina, ut nunc est, civilium consiliorum magistra, quæreret aliud atque compararet, quam consultandi dexteritatem, & senatorias artes, & quos in sinum patriæ & decus conferret redux, præsentissimos absentiæ fructus alios? In quorum ego accessione, non omiserim numerare, quod in Austria, quo profectum domo primum pervenisse memoravimus, Liberi cujusdam Baronis (Dietrichstenium prosapiæ nomen est) spei admotus, dum tempus & instituti ratio tulit, ætatem adolescentis rerum peritia indigam, sapientiæ rudimentis; lubrico affectuum ambiguam, elementis virtutum; errorum facilitate mobilem, bonæ mentis fulcimento, dubium solertius an felicius, instruxit, firmavit, stabilivit. Nimirum & artium majorum & operæ res est, ingenia ad excelsioris fortunæ cultum excitare, quam aut intelligunt ii aut credunt, qui principum liberis rectores apponunt, non virtute spectatos, sed vanitatis quadam pompa monstratos, quique ipsi provinciam arduam, & prout recte aut secus administratur, in nihil mediocre ituram præfidentius quam cautius ambiunt. Illud satis utique constat, inter meditamenta civilium gubernationum (addidissem ferme & specimina) hoc præcipue illustre, hoc esse certum, si antequam hominum ipse cœtibus moderere, regas hominem, qui tot homines recturus sit, unique artes imperandi tradas, quibus in omne imperii corpus salus publica diffundatur. Sed jam tempus est, ut incrementum tuum, quo per triennium & ultra caruisti (si tamen eo caruisse dicenda es, qui te semper, quem tu semper mutuo affectu prosecuti cogitastis) salvere jubeas & vivere, & bene rem gerere, splendor rerum † Argentina. Redit ecce civium tuorum quoddam veluti sidus: redit ex mercatu publicarum utilitatum

† 1603. 15. *Nov.*

tatum feliciſſimus negotiator: redit tuæ laudi, tuæ voluptati: redit, ut tuæ ſecuritatis ergo per hoſtium gladios, per viarum aſpera, per intricata negotiorum mitti poſſit, quem, te non mandante, hactenus eadem tamen cauſa alio miſerat, alibi diſtinuerat. Properat ecce in amplexum Academiæ, in amplexum Reipublicæ. Atque ut ad hanc inſtructior accederet, ab illa ſtudiorum publice utilium conſummari circulum petit. Nec mora adfuit impetrandi, unde abfuiſſet petendi feſtinata temeritas. Igitur † anno incipientis hujus ſæculi quarto, menſe Majo, eruditioni, cujus hæc urbs potiſſima magiſtra & educatrix & perfectrix fuerat; Baſilea, vicinitatis iſthoc officio abunde læta, acceſſit coronatrix: titulumque ſolennem Doctoris Juriſperitiſſimi, & ſumma privilegia merenti pridem SCHMIDIO, magno Profeſſorum applauſu, multaque teſtimoniorum & laudum concelebratione rite appoſuit. Quo ille honorum apice decoratus, primum eximios quoſdam juvenes deſiderio hujus ſtudii incenſos per ampliſſima juris ſpatia, legumque obſcuritatem, via nec impedita, nec longinqua maximo cum ſucceſſu deduxit: mox laudabile vitæque hominum neceſſarium advocationis officium ingreſſus, agendis cauſis tantam fidem, dexteritatem, induſtriam adhibuit; ut, præter domeſticas clientelas, ex aliis locis magnus in hanc civitatem, ad hunc virum, eorum fieret concurſus, quorum vel in aula Cameræve Imperiali, vel in dicaſteriis Electorum, Principum, Provinciarum, lites occupabantur. Atque ſatis conſtat eo uſque famam viri & labores excreviſſe, ut uno eodemque tempore centum ſeſe clientes patroni exoptatiſſimi conſiliis operaque ſuſtentarent. *Quid dulcius* (exclamat Aper ille apud Romanum auctorem, dum advocationis celebritatem conſiderat) *libero & ingenuo animo, & ad voluptates honeſtas nato, quam videre plenam ſemper & frequentem domum concurſu ſplendidiſſimorum hominum? idque ſcire non pecuniæ, non orbitati, neque officii alicujus adminiſtrationi, ſed ſibi ipſi dari? illos quinimo orbos & locupletes*

† 1604. 2. *Maii*

cupletes & potentes venire plerumque ad juvenem & pauperem, ut aut sua aut amicorum discrimina commendent. Assecutus sane erat hanc gloriam, hanc voluptatem SCHMIDIUS, nisi vel major illa fuisset, qua postea insignioribus meritorum momentis, illustrissimas *parare simul & tueri amicitias, adsciscere nationes, complecti provincias* visus est; vel apud animum honesta magis quam speciosa appetentem quidquam potuisset esse lætius, illa conscientiæ exploratione, qua inter tot clientelas nihil gratiæ datum aut largitionibus; nec fiducia litigandi quidquam defensum, quod jus caussæ nondum defendisset: nulli paupertatem ad impetrandum jus suum, contemptu, nulli divitias præmiorum captatione obfuisse; *sanctissimamque* adeo *rem, civilem sapientiam, pretio numerario non æstimatam à se, non dehonestatam*, quotidie secum, Ulpianei non magis dicti discipulus, quam exempli imitator repetebat. Quod integritatis & incorrupti studium patrocinii nullo eum tempore deseruit: audieruntque propinquo vitæ fine non semel dictitantem amici; nullius se, quanquam priora sedulo excuteret omnia, in caussis agendis calumniæ, quæstus, prævaricationis sibi conscium: cujus si vel minimam suspicionem deprehendisset, quibus posset modis satisfacturum fuisse. Videatur hoc sane nonnullis in tanti viri laudibus haud valde magnifico extare elogio: nisi quod vel me tacente quantum in diversis sæculi moribus noxæ lateat omnes agnoscunt, plurimi sentiunt. Verum dictis quidem præclaris, quorum memorabili concinnaque gravitate valebat, neque hanc, neque alias orationis partes implebo, aut exornabo, cum in tanta prælustrium factorum multitudine, sententias explicare, otiosum queat ac præposterum existimari. Quapropter ad institutum nostrum & honores SCHMIDII revertentibus occurrit pulcerrima, qua per omnes meritorum publicorum gradus ad summæ in Republica auctoritatis fastigium ascenditur, scala, per quam enitentem, multa lubentia & favore conspicabimur. Quinquennium jam, quibus dixi studiis occupatum effluxerat, cum industria viri,

nemini tum, minime autem omnium Amplissimo Senatui ignota, imo ad propiores dudum usus expetita, curiæ cœpit penitus vindicari; † demandato laborum plenissimo Actuarii, sed & post biennium * Referendarii, in Minore, quem vocant, Senatu, munere. Quorum ut ille acta Senatus ad sequentis ævi notitiam & usus; ita hic animos ad rectiores planioresque sententias mihi videtur præparare. In quo utroque cum præcipuum fides, proximum sit facundia: effecit, ut & ista impenetrabilis, & hæc majoribus digna negotiis consensu intelligentium reputaretur. Igitur cum annus sæculi tertiusdecimus gravi vulnere Rempublicam afflixisset, exemto è viris meritissimo Assessorum pari, Obrechto & Berchtoldo, poscebatur votis omnium, qui orbam desolatamque dignitatem suo nitori ac publicis emolumentis redderet. Sed quem vota communia quærerent, quem reperirent dexterrima judicia, nisi quem & eximia indoles, & promptissimi actus, & magna omnia summis in Republica rebus moliendis efficiendisque parem, civitati & civitatis præsertim tutoribus longe lateque ostentabant? Adfuit semper Augustissimæ huic Reipublicæ, quod ex superiorum historia temporum constare potest, singularis quædam in magnis dignitatibus conferendis, sive ut rectius ad propositum loquar, in dispiciendis incolumitatis suæ instrumentis prudentia: secutus est prudentiam plerumque eventus publice lætissimus: faxitque conservator nostri status & auctor Deus, ut propria nobis ac perpetua utriusque boni societas sit: sed fortasse nunquam prolixius evenit; quod consentiens cum Senatu populus optaverat. Nisi quod haud paulo facilius erat, dignissimum invenisse, quam modestissimum permovere. Coiverant seorsum, habito jam ante super ea re consilio, viri eminentissimi, Storckius Consul, Kolloefelius & Ingoldus XIII. viri: quorum illos quidem sua dies nostris usibus magis quam venerationi subduxit; hunc ut maximum civitatis bonum reverenter agnoscimus, ita ut longissimum sit, omnes precamur. hi † vocatum ad se nihil tale cogitan-

† 1609. 23. *Octobr.* * 1611. *m. Dec.* † 1613. 6. *Dec.*

tantem SCHMIDIUM multa verborum gravitate docent, laudatissimos Reipublicæ proceres majori quam vellent casu admonitos, ut arduis administrationibus suis denuo sociare consiliorum participes cupiant, ipsum præcipue tum honorifica compellatione, tum spe præmiorum & gloriæ, quam officium, si quod, venerabile ingentem traheret, provocandum duxisse, cujus prudentiam, ut perspectam, ita sibi judicarent esse necessariam. Adjecerunt his alia, quæ vel commovendo animo, vel commendandæ dignitati, apta videbantur. SCHMIDIUS perculsus magis novitate rei, quam exhilaratus honore, videbat fati sui, videbat Reipublicæ suæ voluntatem: cui refragari apparebat crimini proximum; statim obsequi, non uno nomine futurum erat onerosum periculosumque. Igitur, non obsequii, non caritatis in patriam, non reverentiæ adversus magistratum se immemorem fore, solicita grati animi significatione, testatus, cum post petitam impetratamque tridui deliberationem rursum magnitudinem oblati muneris, suam modestiam, & institutum vitæ fori potius utilitatibus, quam curiæ splendori accommodatum excusasset, longeque se ut à contumacia, sic ab ambitione removisset, nova auctoritatis publicæ denuntiatione compulsus superiorum mandatis totum se permisit. Maneant vero semper in hac republica illa ex honesto certamina, ut cum recusantium modestia, eligentium pugnet dexteritas: deturque exempli hujus venerationi, ut suspectus in posterum habeatur, quicunque magnis functionibus ingerit se magis, quam accedit. Quod cum in omni re turpitudinem, tum in hac etiam periculum immane habet conjunctum. Est enim, quod omnes intelligitis, Auditores, magnificum Assessuræ decus (Advocatos Civitatis vulgo vocant, incommodo hic quidem elogio) inter ea numerandum, quibus optimum publicum suam faciem, conditionem, vices, sæpe & originem debet. Quapropter, non nisi optimus quisque, multaque dote & arte ad curas publicas sustinendas natus factusque, inveniendus est: qui administret, non ex illis aliquod muneribus, quæ sola fide

& industria constant, sed quod imperandi regendique adminiculo & participandis summis provisionibus æstimatur. Hos sive Consiliarios, & Assessores, cum Imperatoribus; sive instrumenta boni sæculi, & imperii, cum Symmacho ac Tacito; sive Amicos imperantium, cum scriptoribus plerisque dixerimus: in illa quidem laude, naturæ acrimoniam, usumque & exercitationem; in ista, innumerabiles virtutis imperatoriæ artes, nec pauciores artium fructus; in hac, cum egregia fide certissimum eorum quæ nominavimus fundamentum complectemur. Equidem mihi memoriam temporum peragranti satis est compertum, apud cunctas nationes, civitates, regna, non diutius imperii fortunam quam consiliorum rectitudinem perstitisse: neque aliud beatum regimen fuisse, quam quod eximiis adjutoribus niteretur. quin mali Principi[illegible]tia, virtute Amicorum, Reipublicæ innoxia; optimorum Principum artes, sinisteritate Amicorum inutiles agnoscebam. parumque abfuit, quin tyrannos publico temporum respectu absolverem, quorum ingenia privatim damnabam. Quippe quam divinam rem, tam, si recte adgubernaretur, inviolabilem esse consilium cernebam. cujus nec libertas metu debilitari, nec constantia per alienam libidinem flecti, nec pietas ulla re posset expugnari. Nam quod cædibus tyrannidi viam patefactam aliqui opinantur, id nunquam sane accidisset, si plures omni tempore extitissent, qui bonum publicum, quam qui privata pericula cogitassent, consiliiq; sanctitatem ante sanctitatis eventus habuissent. Fortunatam isthoc nomine Rempublicam nostram, quæ & statum suum admirabili consiliorum prudentia ab initio fundavit, & ad gubernandam deinceps auctæ fortunæ molem tam præclaris est usa adjutoribus! Tria sunt circiter sæcula, ex quo ea Reipublicæ, qua fruimur, forma civitati est imposita. Dimidium ejus temporis, rebus scilicet modicis, ac domi potissimum occupato, cunctaque suis ut auspiciis sic consiliis administrante Senatu, caruit hoc quo de loquimur, Assessuræ munere: donec increscente per celebritatem Urbis negotiorum multitu-

titudine, amplitudo publici regiminis tum hoc cœpit subsidio indigere. Cujus initio ante hos CXLVII. annos facto, cum & numero virorum, & eminentiæ splendore illa dignitas denique augeretur, usque in hunc diem ii numerantur Assessores, in quibus nemo est quin publicis auribus ejus nomen mereatur comendari. Quamquam enim de Græcorum illo more, haud adeo magnifice sentiam, cum unius funebri laudatione suscepta, ceterorum, quos eadem civitas præstantes habuisset, virorum commemoratione sermonem occupabant; lubet tamen vel propterea obiter plerosque nominare, ut cum quantis Viris SCHMIDIUM Nostrum comparare, quantis æquum præferre, judicandum vobis relinquam, Auditores. WELTSLERUM itaque (nam hic ordinis ejus princeps habetur) sequuntur BRANDIUS, BALDUNGUS, FROSCHIUS, BITTELBRONNERUS, GREMPIUS, KOPPIUS, ÖLINGERUS, BEBION, BOTZHEMIUS, NERVIUS, WOGESSERUS, HARTLIEBIUS, GREISSIUS, OBRECHTUS. Atque hic, ne cum vivis mortuos confundamus liceat statim adnectere BERCHTOLDUM & SCHMIDIUM: quamvis eos antecesserit tempore LEITERSPERGERUS, cum quo superstites adhuc BECHTIUM, IMLINUM, MOLLINGERUM (nam hi tres continuant interjunctam seriem) vita longæva & prospera uti, merita virorum faciunt ut optemus. Sed à ceteris quidem, quos partim faustæ recordationis, partim testandæ spei publicæ ergo & judicii, nostra mentio coluit, ad SCHMIDIUM redimus. Qui splendidam per se dignitatem, inusitato administrationis splendore nimiopere illustravit. Magna hic mihi adeoque longe major mea voce dicendi materies surgit, rerumque amplissimarum copia totus circumfundor: quæ dum suggerere videtur, nihil aliud quam præpedit & aufert illam orationis varietatem, qua alias ut parva crescere, sic ingentia solent exultare. Sane quid in copiosa hac inopia consilii capiendum, non immerito ambigam, nisi æquitate vestra freto, Auditores, ab initio statim præplacuisset, summa potius capita tangendo æstimandum vobis proponere SCHMIDIUM, quam commentando singula exequendoque id assequi, ut fortasse multa ma-

teriæ tamen imparia viderer dixisse. Quis enim tot Reipublicæ caussa susceptos labores perfectosque, quis tot saluberrima inventa, tot sagacissima consilia, tot illustria opera, consentanea stili gravitate possit explicare? Sive rerum civilium actorem intueor, magnus est; sive caussarum oratorem cogito, magnus est: sive publicarum utilitatum artificem æstimo, ubique magnus, ubique gravis est: sive legatum suæ civitatis considero, longe maximus, longe est gravissimus. Hoc enim arduum illud munus est, quo ego omnes contineri artes, omnes includi virtutes, neque certius argumentum summi viri arbitror fusos hostes, expugnatas urbes, constitutam pacem, quam obitas ex dignitate & usu publico legationes. Posset hic gloriari mea oratio, posset se efferre, posset triumphare, nisi tanta commemoraturo, omnia in rerum pondere, nihil in verborum cultu esset reponendum. Ivit SCHMIDIUS intra spatium viginti annorum, quibus non tam vitæ ejus quam gloriæ cursus & incrementa censeri debent, publico nomine & caussa quinquagies quinquies Legatus aut præcipuus Legati comes ac orator: ivit de rebus maximis, difficillimis, denique tali administratore dignis: ivit ad Imperatorem, ad Electores, ad Principes, ad Civitates seorsum; ivit ad augusta, quæ sublimibus negotiis vario congressu destinabantur concilia: & quo plurima comprehendi uno queunt, ivit semper gloriosior, quia redierat semper felicior, semper bene gesta publica re acceptior. Non expectabit autem quisquam, ut legationum harumce caussæ, tituli, negotia, eventus, hoc ex loco edisserantur: nisi quatenus legati & legationis unam ubique fortunam, publicam salutem, publicam gloriam fuisse, ignorari non debet. De cetero rectius publice nesciuntur, quæ ut publice prosint, fidei paucorum commissa, reverentius quam jactantius solent custodiri. Resciscat ista mireturque posteritas, non mea hominis indiserti prædicatione, sed æterno annalium honore erudita: si quem forte scribendis tam memorabilibus haud uno nomine temporibus, vindicandæque illustrium factorum virorumque memoriæ

Thua-

Thuanum orbi aut Sleidanum fata redonabunt. Sin majorum nos fortuna manet, & dicendis Germanis ingenia potius aut subsidia quam caussæ deerunt, idemque patiemur quod Romano imperio in Orientem translato accidit, ut quo maxime memorandus tempore Oriens esset, nemo reperiretur qui memoraret: oblita certe non putabuntur, quæ actis immixta Reip. cum ejusdem perennitate, quam Deo commendamus, servabuntur. Illud non omiserim, quas ipse judicarit legationum suarum præcipuas, referre. Quarum prima in annum sæculi quintum decimum incidit, cum institutum de armis ponendis finiendoque, quod Brunsvvigæ Principem cum civitate collıserat, bello conventum adiit, atque Halberstadii trium factus civitatum orator (nam & Norimbergenses Legati, cum Ulmensibus venerant) summa cum admiratione ingenii & eloquentiæ auditus est. Inventi certe paulo post sunt, qui æmulationis occasionem eam nacti, omni ope hoc Urbis honestamentum à nobis abstractum cuperent. Cujus rei commemoratione suo loco & similibus exemplis reservata, ad secundam è gravioribus legationem progrediendum est. quæ ante hoc decennium contigit, cum Mülhusam Thuringiæ coactis super Serenissimi Principis FRIDERICI Palatini negotio Septemviris Imperii, SCHMIDIUS tum in augustissimo eorum concilio, tum seorsum apud Electorem Saxonem, Imperialium civitatum nomine, de rebus maximi in omnem partem momenti egit: non sine memorabili laudis suæ accessione: quam tot præclaris artibus subnixam, semper ultra priores terminos proficere ac metas, nemo erat qui non videret. Succedit novus virtutis SCHMIDIANÆ testis, annus sæculi trigesimus. quo, cum indicta comitia congressique Ratisbonæ cum Imperatore Electores ingenti sed varia expectatione, metuque & spe, curas conflictatæ duodecim annorum bello Germaniæ arrexissent, suamque quanto quisque poterat opere caussam & pacem Synodo tam celebri commendarent: Liberæ, quæ vocantur, & Imperii civitates Evangelicæ, ut efficacissime loquerentur, Argentoratensis

ſis ore Neſtoris apud Imperatorias aures ſunt locutæ. Repræſentabatur diſertiſſima deprecatione, inducta late terris ſolitudo, agrorum vaſtitas, raptus penatium, injuriæ bellorum, acerbitates tributorum, concuſſio imperii & pavor: cujus tot tantasque miſerias non longius à patriæ exitio, quam à dilatione auxilii abeſſe. Igitur modum malis ac finem eos orare, qui omnem Imperii incolumitatem ab Imperii capite, poſt divinam opem, expectarent. Inſequens annus cauſſam graviſſimæ legationis concilium Evangelicorum Procerum, Reipublicæ ab interitu vindicandæ indictum, locum ac teſtem Lipſiam: & mox alterius, Francofurtum habuit, quo pacis faciendæ ergo ferebatur facta coitio. Sed & permultæ difficultatis arduæque adminiſtrationis fuiſſe putandæ ſunt, quæ anno trigeſimo tertio hujus ſæculi primo Heilbronnam, deinde Francofurtum rurſus inſtitutæ ſunt profectiones: cum utrobique de rebus ſatis ambiguis cum Proceribus Suedicis; quique eorum fœderibus erant innexi, ageretur. Verum quatenus legationum quidem numerus grandior eſt, quam qui ſine defatigatione tam illuſtris Auditorii queat recenſeri; artes Legati exactiſſimi, atque gerendarum rationes rerum, ex virtutibus tam præclari animi, & ingenii tam ſublimis dotibus æſtimabimus. Sane qui ſimplicius agunt, ſola geſtorum magnitudine, auctoris famam metiuntur: nobis potius convenerit ex gerendi rectitudine & artibus gerentem intelligere. Fit enim haud raro, ut virtutis laudem, virtutum imitamenta reportent: eſt cum deſtitutus bona arte Legatus, per inania, favente caſu, inclareſcit: quin imo haud optimæ negotii tractationes ſæpe optimos habuere ſucceſſus. neque quicquam tam fallacis eſt judicii, quam efficiendi ſubſidia ex eventu effectorum colligere. Quare dum alii ut exteriora oſtentent, obvelant interiora; nihil Noſtro ad gloriam fuerit accommodatius, quam penitius quæri, penitius inſpectari. Ac Plato quidem Sapientiam admirabiles ſui amores excitaturam inter homines, ſi corporeo poſſet aſpectu uſurpari, credebat. Mihi efficacior videtur, quæ obtutu

obtutu mentis acerrimo ſubtiliſſimoque, in pulcerrima rerum, & vel ideo pulcriora, quod exteriori ſpectaculo non patent, fertur contemplatio. Cujus ope, veluti ſpecillis quibusdam uſi, fulgentiſſimum in SCHMIDIANO pectore decus, atque in omnes Legationum artes ſatis validum admirabundi deprehendemus. Prudentia ſcilicet eſt, quæ & Legati mentem acuit, ut tractandis hominum verſandisque animis penetrabilis, omnium affectionum, omnium ſciens ſtudiorum, præſentia de præteritis ordinet, ad futura dirigat, latius meditationem quam verba mittat: & obſtantia provide amoliatur, intricata perite ſolvat, nihil impotenter rumpat, omnia tractet moderate: & Reipublicæ ſuæ, cujus non tam intelligentiam ſecum, quam vigilem in omnia curam circumfert, ſingula accommodando, quædam ſpecioſa dimittat, quædam admittat neceſſaria, quædam adſtricta remittat, quædam induat ſimulata: denique cum accinctam res & intentam poſtulat philoſophiam, ut dexter excogitandis, promptus exequendis, cautus enunciandis ſit iis, quæ cauſſæ utilitatem pondere, perſonæ favorem acumine juvant aut feſtivitate. Nihil enim dicto opportuno venuſtius, nihil ſubito reſponſo utilius, quo legati haud raro ſupra contentionis aſſiduitatem & longam diem, ſupra factas ex aſſe perſuaſiones, ſupra quæſitiſſimas benevolentiæ captationes profecerunt. Nihil præſenti conſilio cordatius, quod nec aſperitate retundi, nec inanibus moveri, nec terreri cuncto formidinis inſtrumento poteſt. Nihil circumſpecta ſui occultatione tutius, quæ Legatum, cui inſidiatur quisquis ab altera parte eſt, à riſu, à contemtu, ab invidia ad auctoritatem ſuæ Reipublicæ & ſpeciem ubique graviter, ubique decenter repræſentandam incorrupta ratione perducit. Multa paucis dixit, & immenſam laudis ſegetem ſimplici magis efficacia, quam congrua judicii amplitudine collegit, qui *tempora eſſe & verba, quæ Legatis committuntur* autumavit. Enimvero cum conſilia temporum, tempora rerum, utrorumque ſit prudentia: nullum ab altero ſuperari, nullum ſine altero attendi, nullum

cum altero confundi, omnia invicem misceri, temperari, distingui, quantæ sit res difficultatis, soli intellexerint, quos civilis usus experientia versabili negotiorum, ut ita dicam, circulo probe exercuerit. Fugax, & inconstans & varie mutabilis res tempus, nec commode semper apprehendi, neque certo retineri, neque sine ingenti intertrimento rerum potest negligi. Insidiatur incautis, insidiantibus se subducit, ridet festinantes, cessantes spernit; minatur solicitis, præfidentes exterret; rebus alligari dedignatur, res sibi alligare non veretur. Denique quoties in ambigua temporis & profunda prudentiæ cogitationem mitto, ejusque non exteriora vocabula, sed interiores rationes perpendo, nescio quid divinum, & mirabile, & quod facilius sit intellectu quam oratione assequi, reperio. Dictus est apud Romanos Sapiens Cato, dictus est Acilius: ille ob multarum, quas vita affert rerum usum, hic ob civilis scientiam juris. Lælius autem cum aliis ob cordatam rerum divinarum humanarumque intelligentiam, ejusdem cognomenti honore sunt mactati. Quod si adhuc hodie mos ille viveret, nonne manifestum est, cuncta in Schmidio concurrere, ob quæ illi singula æternos meruere titulos, atque post enumerata quæ ceteris contigere sapientiæ genera, ejusdem aliquod fastigium huic soli partum, superesse? Sed hanc quidem partem nemo sibi digne sumserit amplificandam, nisi qui Schmidiana aut Schmidianæ non multum dispari & prudentia fuerit instructus & facundia. Hoc enim alterum illud decus est, sine quo nec prudentia utilis, nec prudentiæ dignitas manifesta, nec legationis efficax potest esse tractatio. Est autem ea commendatio adeo propria Schmidio, ut supervacuum ferme videatur prædicare de re, cujus post edita tot in omne ævum mansura specimina, testem omnem Germanum orbem nactus, miratricem omnem nanciscetur posteritatem, quæ aut omnia ignorabit, aut hoc nequaquam: vixisse Argentorati virum, cujus temperata dulci gravitate eloquentia, quasi cum Reipublicæ suæ majestate paria faceret; quocunque pervenisset, quo-

quotiescunque maximis rebus dignum os daret, omnia lætissimo splendore, grataque lubentia impleverit, traxerit animos, rexerit tempora, transegerit negotia, audientium venerationem, Principum favorem, intelligentium admirationem meruerit. Inciderit in hoc argumentum tumidus aliquis, dissimillimæ illi quam commendandam suscepisset, eloquentiæ ostentator, næ ille nihil aliud quam rhetoricum quendam campum cogitabit, quæ solius civilis judicii censura est. Replicabit igitur Poetas, evoluet Historicos, extenuabit Græcorum Nestores, Ulysses, Pericles, Demosthenes: fastidiet Romanorum Hortensios, Cæsares, Cicerones: denique per vetustatis contemtum multa ambage incedens ad suorum temporum bona & SCHMIDII laudem perveniet. Nobis neque ignotum est, studiosiores laudibus suis amplificandis, quam prodendæ ad nos veritati veteres fuisse: à quibus nulla fortassis re sæpius vincimur, quam scribendi pompa & peritia ostentandi: neque tamen SCHMIDIUM laudare non possumus, nisi aspernatione aliorum utentibus tantum nobis fidei decedat, quantum adolevisse videretur affectationis. Qua longe relegata, eloquentiam viri simplicissime, id est, per signa dicemus. Nihil in oratione ejus vulgare, humile, ineptum: nihil in animi commentatione incautum, nihil in meditationis opere tumultuarium, nihil in omni actione & gestu ventosum. Quæ si parum vobis ad magnam laudem videntur idonea, cogitate an illa plus valeant: res intricatas, nihil minus quam intricate: difficillimas, nihil minus quam difficulter; invidiosas nihil minus quam invidiose; duras nihil minus quam duriter tractavit: explicator planissimus, disceptator bene compositus, deprecator validissimus, suasor gravissimus, hortator efficacissimus, instructissimus defensor. Ille in judiciis auctoritatem, in senatu majestatem, in aulis moderationem, sive per negotii genium invitabatur, absolutissime expressit; sive per impedimenta nihil tale inveniebat, invenit per victricem impedimentorum facundiam. Equidem divinum quidpiam mihi, & sacrum & venerabile

videtur, posse hominum animos fluctuantes oratione dirigere, dubios consilio firmare, aversos temperamento allicere: calliditatis vaframenta supplantare, aurium superbiam placare, fastidium permulcere: regio fastigio, quod plerumque morosum; politicis artibus, quæ plerumque subtiliter occultæ; populari expectationi, quæ plerumque temerarie varia est, oratione satisfacere. Abriperet me in immensum rei illustrissimæ pulcritudo, nisi SCHMIDIANÆ contemplationis, in quam penitus mentem defixi, invitamenta sequentem conspectus vester gravissimus ad pertexenda cetera revocaret. Futurum tamen sic quoque tardius obsequium, illud incitat, quod de perfectissima ornatissimaque eloquentia absque eloquentiæ ornatu diutius loqui, cum tædio non injusto videri queat conjunctum. Præsertim cum non pauci adsint, quibus comparatione suavissimæ auditionis suæ, cujus nunquam eos potest oblivio capere, ariditatem nostræ descriptionis in proclivi sit flagellare. Scilicet quamvis plurimi ducerent, quæ ex dicentis ore audirent; non minimum dicentem commendabant, quæ viderent. Statura decenter erecta: dignitas vultus aspectabilis: quem insignia senectutis, ubi accessissent, non corrumpebant labenti specie, sed indeflexa maturitate honestabant: oculorum graviter adgubernata dispensatio: membrorum succiplenissimorum apta exercitataque competentia; pronuntiatio & gestus, cui non auctoritas, non suavitas, non varietas deesset. Igitur quoties uberrimi excellentia celsitudoque sermonis omnia in se convertit, plane dixisses, pectus viri incolere Prudentiam, os habitare Facundiam, vultum insidere Gravitatem, corpus totum omnes Gratias, omnes domicilio legisse Venustates. Uno certe eodemque tempore, ut mentibus audientium sapientiæ illa copia, sic obtutibus amabilis vultus gratia SCHMIDIUM insinuabat. Accesserant mores probitate & industria eousque conspicui, ut in ambiguo esset, plusne fidei dicendo mereretur an vivendo: nisi quod utrinque eminens rectitudo alterutrius ornamenta amplificabat. Ægyptiorum prin-

principes ajunt, ut gens illa signis ejusmodi & figuris ab ultima vetustate dedita erat, collo torquem gestasse, cui vocabulum Veritas, materia aurum, materiæ honestamentum gemmæ essent. Hinc per ambages sciri volebant: virum civilem duabus debere potissimum rebus enitescere, probitate vitæ, & ingenuitate sermonis. SCHMIDIO sæpe pretiosos torques non sua tantum dignitas, sed Principum præcipue favor circumdederat: sæpe auri virum, sæpe gemmarum splendor oculis intuentium monstrabat. Longe autem sæpius meritorum virtutumque fulgore spectandum animis & conscientiæ mortalium se præbebat: coruscus erecto more, erecto sermone, denique prorsus dignus, qui nullo externo decore, nisi quatenus interioris meriti indicium id esset, æstimaretur. Tales scilicet viros in animo habebant (an enim & vidisse contigit unum alterumve?) Paschalius ille experientia vir fultus & doctrina, tum fretus judicio Gentilis, cum ex antiquioris ævi collectis virtutibus suos describerent Legatos. redeundum enim est ad eam gloriam, cujus adminicula hactenus tetigimus. Tales erant Legati, quibus cum Cyrus olim uteretur, muros quosdam sui status, & propugnacula se adeptum & credebat & jactabat. Talibus Legatis cum Argentoratenses hactenus essent armati, quis imbelles eos, quis male crederet munitos? Hi quos iratos convenere, relinquunt placatos: hi quos reperere insidiosos, efficiunt pudibundos: his negotia spiritum, his tractationes publicæ vigorem debent: nec aliam Respublica foris speciem habebit aut famam, nisi quam Legatus vel dederit vel detraxerit. Atque inclytæ quidem hujus Civitatis cum nemo sit apud extraneos, qui magnitudinem & progressam fatalibus incrementis gloriam ignoret, nemo tamen magis unquam æstimavit, quam cum magni alicujus viri, ut illius JACOBI STURMII quondam, ut INGOLDI hujus, ut SCHMIDII Nostri (nam hæc duo per multos jam annos capita legationum nostrarum, ut ita dicam, & pectora erant) persona velut interprete moneretur. Severissimi oris scriptor altissimique vir

consilii Sallustius Crispus, cum Reipublicæ suæ prospera vel adversa, præclare aut secus facta assidue secum reputaret, sedulaque meditatione, quænam res maxime tanta negotia sustinuisset, quid domi felices, foris magnos reddidisset Romanos, agitaret; denique sollertissimo, ut ego quidem arbitror, judicio, *paucorum civium egregiam virtutem cuncta*, inquit, *patravisse*. Fallor an omnes Respublicæ aliquid simile habent: in quibus ut semper plures sunt, qui virtuti potentiam anteponant; ita cum aliquorum virtus imitandi nisu exempli ceteris neglectis sibi atque Reipublicæ est intenta, magno successu se quidem supra potentiam, rem vero publicam supra privatos ausus & pericula detrimenti extollit. Neque ceteris aliquid hæc sententia detrahit. Sed profecto aliud est in homine rationis, aliud spiritus vitalis, aliud sensuum munus; nec si unum ex his evehimus, reliqua per contemtum dejici, quin imo per comparationem putanda sunt conjungi. Verumenimvero cum tantus jam esset Schmidius, ut non tam Argentorati, conditione generis; quam in remotis terrarum finibus, caritate meritorum natus videretur: ingens certamen (qua enim alia leniori voce utar?) circa eum asserendum, alliciendum, possidendumque se intendit. De quo more quid sentiam, non habeo equidem dicere. Video potentissimos Reges, Principes, Respublicas mutuum istud circa viros eximios contentionis genus exercuisse: video ut mutuos questus, sic mutuas excusationes: video suspensa circa tantam rem prudentum judicia: & quæsita tristiori negotio mitiora vocabula: video denique longe tutius hic esse cogitare, quam loqui; narrare quam judicare. Primi virum aggressi sunt Legati Serenissimi Principis Christiani Brandenburgici, quos anno cIↃ DC XV Norimbergæ agentes, quo Schmidium quoque institutum de rebus summis & amicitiis tractandis consilium pertraxerat, simul amor tantarum virtutum, simul patriæ suæ attollendæ cura summopere cepit. Igitur ut magis impetrabilis esset, intimæ familiaritatis orator mittitur: Persuaderet

deret amico eximio, ut Consiliarii secretioris, & secuturam paulo post vicariam Cancellarii dignitatem in aula sui principis, munera per se clarissima, clariora cum offerrentur, ne subterfugeret. Sed nimirum vera est, quæ vulgo fertur, sententia: Nihil amore Patriæ fortius, nihil esse constantius. Non removebat quidem SCHMIDIUS neque tum neque postea, tam promte insequentes ipsum honores, sed semet removebat ab honoribus. Quorum illud fastidio videri affine potuisset, hoc certissimum fidei pro sua Republica pertinacis haberi par est indicium. Quæ ut invicta ab omnibus crederetur, secuta mox molimina maxima & irrita perfecerunt. Magdeburgensis Archiepiscopatus erat, cujus administratio hoc fulcimentum quia aptissimum videbat, aula est veluti fatis sibi debitum putare. Quod negotium ut sub manus prospere succederet, nihil non tentatum. Biennio postquam Culmbacenses legati pro se, quod dixi, frustra speraverant, pro aliis jam satis impense niti cœperunt. Cum enim Heilbronnæ federandis ordinibus & communis caussa concordiæ, qui Principum Civitatumque nomine missi erant, convenissent, Cancellarius supra laudati Marchionis, sanctiorisque arbiter consilii URBANUS CASPARUS FEILTSCHIUS (cujus Mæcenatis nostri nomen venerationis caussa usurpamus, quatenus perspectas nobis virtutes nec incognita merita, ratio instituti non permittit, ut in rarissimæ Nobilitatis laudem vindicemus) SCHMIDIO exposuit inclyti Principis Archiepiscopatus Magdeburgici Administratoris, de adsciscendo novo Consiliario, sive potius idoneo Cancellarii jam decrepiti successore, consilium. Ipsum ait potissimum placuisse, qui ad tantæ dignationis amplitudinem, ingenti salario & singulari Principalis munificentiæ favore invitaretur. Accedere loci amœnitatem, aulæ disciplinam, ipsum Principem non tam fortuna, quam animi dotibus æstimandum. A quo se conciliatorem voti lectum nihil magis optare, quam ut sic SCHMIDII voluntas, quemadmodum sua industria desiderio Principis responderet. Ad ea Noster, cum suscipi tantam rem sine deli-

deliberatione ac consensu aliorum nec posse, nec debere testatus esset, tempus moræ & dilationi & negationi quæsitum poterat videri, nisi insequens annus fortiorem machinam admovisset. Scripserant Proceres Capituli Magdeburgensis ad celeberrimum eo tempore hujus Urbis Assessorem, eumque ut cum Schmidio in hanc sententiam ageret, rogaverant: vivere adhuc secum, & victuram esse illius eloquentiæ aliarumque laudum memoriam, quam anno cIↃ DC XV Halberstadiensis conventus animis plerorumque impressisset: igitur de præcipuo administrationis suæ adjutore solicitis nullum debuisse alium succurrere, quam cujus tot insignia merita ut pridem audissent, ita nunc sperarent. Intelligebantur his addenda etiam quæ non essent addita: præmiorum magnitudo, opulentia decessorum, domi quies, omnia circum federata, amica, & vel necessitudine sociata vel religione: annonæ facilitas, vicinitas rei salariæ felicitate, tum celebritate Academiarum memorabilis. Quibus cunctis Schmidius, Patriæ addictam operam, Procerum suæ Reipubl. prolixam voluntatem & beneficia, rei familiaris & necessitudinum conditionem, & quæ simillimi videbantur futura ponderis, opposuit. Longæ fuerit res moræ hic referre, quæ comitas offerentium, quæ constantia Schmidii in ceteris fuerit. Fridericus Palatinus, per Comitem Solmensem; Johannes Ernestus Vinariensis, per Forstenheuserum; Fridericus Ulricus Brunswicensis per Petreum JCtum, id est, Maximi Principes per idoneos interpretes auctoresque, ille Consiliarium, hic & iste Cancellarium, ultro ambierant. Sunt in hac Civitate, sunt in hoc Auditorio (patientur enim illustrissima Germaniæ nostræ sidera plane dignam suo fastigio curam memorari) quorum vel serenissimæ necessitudines, vel ipsi, utramque, quam modo diximus, dignitatem Nostro detulere. Oxenstirna quoque ille, rerum Suecicarum alter Atlas, cum Cancellarium ei loco, unde in cetera regimen sperabatur, optaret, hunc statim vidit, voluit, expetivit. Cujus rei magna

magna admiratio, magna esset commendatio, si oratione exequi vacaret, quod mentione libuit perstringere. Quis enim posterorum credet, recusatam, quintum oblatam dignitatem ceterarum principem, & honorum quos novimus apicem: extraque vota habitum, quod alii unice in votis haberent, nisi supra vota crederent? Neque interim de Saxonica Assessura quicquam dixi, quæ summorum virorum studio & opera, SCHMIDIO nequicquam conciliabatur. neque ipsam Imperatoris gloriosissimi singularem munificentiam memoravi, quam non SCHMIDIUS per ambitionem, sed ipsa SCHMIDIUM per meritorum favorem invenit. Annus agebatur CIↃ DC XXV, cum augusta imperii parens Vienna, viro non domi tantum meritis claro, sed per omne regni Germanici corpus late nobili, titulum & jura Comitis, quem vocant, sacri Palatii, nec cogitanti nec petenti transmisit, atque donavit. Debuit scilicet omnibus constare, Imperatoriam vere laudem esse, hominum magnifice meritorum laudes amplificare & attollere: sive tempus jam erat, ut honor iste, quem anxie à multis ambitum, pretiose à quibusdam & fallaciter emtum, deerrasse nonnunquam ad indignos satis constat, virum ipse sibi quæreret, cui dignitatem non magis adderet, quam deberet. Ivimus, Auditores, sive potius (tanta fuit brevitas) cucurrimus per honores plerosque SCHMIDIANOS. in quibus illud per nobis honorificum, pergloriosum merito videri potest, quod plures meruit quam recepit, plures recepit quam optavit: duas res rarissimas pariter consecutus, ut esse magnus quam dici mallet, & præmiorum dulcedini factorum semper conscientiam longe anteferret. Triumphata igitur Argentorati ambitio est, quæ ne usquam vinceretur, magnos sibi passim animos, magnos viros, & clarissimos ubique principes, inde ab antiquo credebatur pignerasse. Macte vir, præclare per omnia merite! Macte etiam emerite! Quærebas tu quidem tot laboribus & negotiis tandem modum, quærebas finem: ratus haud dubie æquissimum, ut post patriam ope, consilio, sudoribus, periculis præclare

 sem-

ſemper adjutam, poſt Germanum orbem factorum gloria & meritis impletum, poſt honorum præcipua ultroneo favore delata, tandem tibi liceret, quod juſtiſſimum induſtriæ præmium eſt, metam contingere, vitæque actu perpetuo nobilitatæ mercedem in tranquilliori ejus fine, & ſapientiæ tot modis hactenus tibi devinctæ, ſecretiori amplexu invenire. Nec ſane quiſquam erat, quin intelligeret, impenſos Reipublicæ tres & viginti annos, pauculorum qui ſupereſſent ſedatiorem uſum, debuiſſe ſeni impetrare, niſi quod haud fallebat prudentiam Illuſtris Senatus, quantum ad Rempublicam illa petitio pertineret. Non ſuſtinuit tamen triſtius ei reſponſum dare, cui omnia læta, omnia candida pridem ex animo cupiebat. Quare ſub finem anni, quem in hoc ſæculo † trigeſimum tertium numeravimus, non tam dimiſſa, quam è ſtrepitu curiæ ad domeſticam quietem tranſlata novique auctoramento ſalarii, in privata, ut ſic dicam, publicorum conſiliorum ſocietate retenta viri opera eſt, ſi tamen hactenus ſtetiſſet negotioſi ratio otii. At enim quam ille levationem ſenectutis ſperaverat, in decus ejuſdem atque ornamentum converti è veſtigio ſenſit, ſummorum ſplendore hominum, dubiorum anxietate civium non deſiit celebrari domus, quæ nulli hactenus clauſa per ſuperbiam, nulli triſtis per fruſtrationem ſpei, omnibus ſalutaris, omnibus exoptata ſemper fuerat. Infixa erat longe validius, quam ut facile aut cito divelli poſſet, civitatis animis viri manſuetudo, facilitas, æquitas: & ad ſpem futuræ opis audacius ferebantur recordatione præteritæ. Agnoſcebat ille affectus hominum, & cum ſibi diſſimilis eſſe non poſſet, comitanti affectus moleſtiæ ignoſcebat, videbatque viris egregiis & ſtrenuis non tam à naturæ impreſſum, quam à fatis ſub neceſſitatis lege deſtinatum, grande illud & operoſum,

Non ſibi ſed toti genitum ſe credere mundo.

Acceſſere anno inſequenti Sereniſſimi Principis EBERHARDI WÜRTEMBERGICI, tum Rerumpublicarum Auguſtanæ Vindelicæ, Noribergenſis, Francofurtenſis, Ulmenſis; ante bien-

† 1633.

biennium vero Celsissimi Principis GEORGII HASSI, consilia SCHMIDII operamque desiderantium, auctoramenta. quibus ille ut à voto suo, sic à solitudine remotus, non ausus est, desiderii sui respectu tam cordata aliorum desiria destituere. Magnificus ille & ingens ut animi sic verborum Tullius, cum emeriti Jurisconsulti gloriam disertissima brevitate vellet complecti, domum ejus *totius oraculum civitatis* appellavit. SCHMIDII domum non civitatis modo hujus, sed *totius pene Germaniæ oraculum* fuisse, soli ambigere possunt, qui in profunda rerum publice gestarum ignoratione versantur. Ideo quod grandiloquus Orator, non nisi cum aliqua immutatione & figuræ artificio usurpare ausus est ex veteri Poëta, nos penitus & cum fiducia, *Quid est*, inquiemus, *præclarius, quam honoribus & Reipublicæ muneribus perfunctum senem, posse suo jure dicere idem, quod apud Ennium dicat ille Pythius Apollo: se esse eum,*

Unde sibi populi & reges consilium expetant,
suarum rerum incerti? quós ego mea ope ex
incertis certos, compotesque consili
dimitto, ut ne res temere tractent turbidas.

Quanquam si ad domestica prævertimus, ea profecto proxime antecedentibus annis inciderant tempora; quæ SCHMIDII otium nequaquam otiosum, virtutem minime patiebantur esse emeritam. Quin imo sicut in aliis rebus asperitas casuum ad labores revocat, quos iisdem lex subduxerat: ita cujus tranquillitati patria apprime favebat, propter opem toties præstitam, ejus non poterat merita & meritorum necessitatem per durissima negotiorum oblivisci. Qua de re, cum omnia dispicio, rectissime exemplo me loqui posse intelligo. Tempore, quo vaferrimus qui unquam vixere Principum Philippus Macedo, Græciæ dominatum affectabat, & magna jam parte obtinebat, Athenæ potissimum erant, quæ ambitioni ejus obstarent, & improbas spes fortiter coërcerent. Harum libertatem vi & ferro aggressus est: frustra. pactionibus & federibus tentavit: frustra. fraude,

de, insidiis, artibus, blanditiis oppugnavit: frustra. omne calliditatis ingenium, & horribilia sacra frustra semper, frustra commoverat. Mærebat totiens victrix perfidia: suetusque successibus animus, priorem fortunam misto indignationi pudore circumspectabat. Nec latuit fatalis mora tyrannidis Demosthenes. Hunc enim Oratorem, non Atheniensium populum esse, cum quo sibi anceps bellum surrexisset, sæpe apud amicos querebatur. Athenas, inquiebat, pridem noster impetus expugnasset, nisi in hunc scopulum incidisset: pridem astutia penetrasset, nisi per hoc munimentum locus ruinæ quærendus fuisset. Demosthenis consilium murus est, eloquentia telum, magnitudo animi & vigilantia propugnaculum. Thebas cepimus: Thessalia nostra est: nostræ essent Athenæ, si unus noster foret Demosthenes. Quæ Philippi & post eum Antipatri de tanto viro judicia, qui apud Lucianum præsertim legit, si temporum nostrorum haud est inscius, non potest quin de Argentoratensi Demosthene cogitet. nisi quod plures nobis fuisse, quam Atheniensibus, & adhuc esse Demosthenes, tacita gratulatione omnes meminimus. Lubet hic æquitatem vestram, Auditores, & prudentiam obtestari, ut si quæ abrupte à me aut obscure aut frigide aut inæqualiter dicta fuerint, partim quidem consilio, partim vero imbelliæ conatus nostri adscribatis. Quemadmodum enim majorem esse, quam ut exæquare indoctus sermo possit, materiem, lubens fateor: ita quodam animi decreto interdum eloquentiam, quam vehementer amo, insuper habeo, neque minus diserto esse libet, quam ubi maxime licet. Cujus rei exmplum si priora non satis evidenter dedere, sequentia ultro suppeditabunt. Quam putatis enim multa, quam ingentia esse, quæ de SCHMIDIANIS dicenda virtutibus supersunt? Atque ego nec multis, nec ingentibus usurus verbis, singularum rem paginarum singulis sententiis, singulis complectar propemodum verbis. idque eo excusatius, quod apud eos mihi sermonem esse satis memini, quorum exacta prudentia sibimet fœcundissime

ſime poteſt explicare, quæ oratoris tenuitas tractationis plenitudine aſſequi non audet. Egone hic generoſi excelſique magnitudinem animi, cujus nulla in dignitatum civilium ſplendore elatio, nulla in publicarum privatarumque adverſitatum concurſu dejectio; aut juſtitiæ ac fidei rectitudinem, ſine qua nihil domi, nihil foris, nihil maximarum minimarumque actionum recte geritur; aut pietatis incorruptæ ſtudium, quod cum à civili viro removetur, nihil humani in eo, nihil boni, nihil fauſti ominatique relinquitur, quidquid novis illis Etruſcæ larvæ ſtructoribus placeat: an ego hæc, inquam, omnia verboſo excurſu, & materiem ſequente orationis flumine diffundam? Atqui non tam mea dictione quam veſtra actione & exemplis, quanta earum rerum vis ſit, quanta efficacia, fieri queat manifeſtum. Neque quiſquam opinor erit, quin vel nomine viri audito, cupide ſtatim in SCHMIDIANÆ vitæ, per tantas virtutes actæ contemplationem & monumenta ultro feratur. Occurret aliis indefeſſi laboris ſtrenuitas, nullis avocata familiaritatibus, nullis interrupta affectibus, nullis interſtincta ceſſationibus: nulla, ne in Rupertini quidem ſeceſſu prædii, alia voluptate, quam laboris mutatione temperata & & varietate. Alii cum omnes hujus viri actus ſpecioſo quodam decore honeſtatos recordabuntur, nihil tamen ad ſpeciem relatum, & cum omnia faceret, ut laudari deberet, nihil eum tamen feciſſe ut laudaretur, judicabunt. Nonnullis obverſabitur omnis cultus, omnis moris mixtiſſima venuſtate gravitas: & cum dictorum gratia, ipſius aſpectus, ipſius inceſſus ſuaviter diſpenſata condecentia. Quæ res efficiebat ut contemplatio tacentis, pro diſciplina eſſet informantis. Neque SCHMIDIUS in præcipuis hæc laudibus, quod nonnulli ſolent, ſed in præcipuarum laudum ornamento habuit & adjumento: ſatis gnarus, multis per naturam, aliquibus per conſuetudinem ea contingere: quæ ob id nullam ad commendationem magnopere valeant, niſi decreto animi interiore, ac judicii felicitate penitus gubernentur. Quod nullis minus datum, quam iis, qui ina-

nium tali quadam specie tumidi, ceteros quorum divina animi bona exteriore illo cultu, (ut neminem omnia simul ornant) destituuntur, fastidiose contemnunt. Quæ sinisteritas tam procul a SCHMIDIO, quam ipse ab omni fastu, ab omni procul erat superbia. Admissio facilis, alloquium come, responsa planissima: nullum in vultu supercilium, nulla in verbis imputatio, nulla in tempore ratiocinando morositas. Humilitatis suæ damna nemo, nemo infelicitatis metuebat: descendente in utriusque solatium obvia humanitate. Quæ si digniores tantum colat, minores prætereat, primus & turpissimus hic, si hac appellatione uti licet, solœcismus Politicus est. Quid enim dici potest absurdius, quam collocatum in civilis actus luce hominem, illam ipsam lucem suam refugere, tristique arrogantiæ nube ac supercilii quadam caligine velut infuscare? quasi vel extra ceteros sit, qui supra ceteros est; vel virtutis ullius laus sine custode virtutum omnium humanitate queat teneri; vel in publicis dignitatibus privatum cogitari à quoquam debeat fastigium. Scilicet virtutes ipsæ, ubi maximæ cœperunt esse, nisi temperamento quodam modestiæ misceantur, propius ad exultantem accedunt vanitatem, quam ad illam rerum, quas laudabiles vocamus, moderationem: sine qua incivile dixerim, quidquid qualibet titulorum congerie suevit æstimari. cujus rei admirabilis eluxit è SCHMIDIANIS actionibus imago. Dederat natura uni, quæ in multos partitim solet conferre: adstruxerat fortuna, quæ inter homines ferme plusquam humana putantur: cumularat in illo pectore, quod nunc desideramus, in illo corpore, quod nuper mirabamur, auctor & naturæ & fortunæ Deus illa bona, quibus Respublicas tueri, crescere, ornari, quibus mortalium societatem semper voluit juvari atque contineri. Erat haud dubie cælo judice plerisque major, qui plerisque cælo secundante ad publicas utilitates erat instructior. At enim nec magnum ille, nec bene se putabat instructum, nisi totum, universorum usui humilitas vindicaret, quod excellentia animi singulorum conditioni

ditioni supervexerat. Hinc ut omnium petitioni promta semper opera, sic parata erratis venia: quibus ut liberalius ignosceret, interpretari ea mitius, sive potius non interpretari malebat. Si paucis multa absolvenda sunt, nihil hoc viro erat civilius, nihil publice lætius, nihil benignius. Et potuerunt sane hæc rectissimi per omnia vitæ officia exempli mentem ostendere: quam si lubebit noscamus licet per miracula. Inusitatum enim plane est & ad fidem difficile, quod dicam. Cum diversa sint imperiorum, quibus regimur mortales, genera, diversisque & modis habeantur & rationibus administrentur, factum adeo est, ut nemo unus repertus sit, qui habile ad dissimillima ingenium omnibus regnorum formis æquali laude applicaret. Magnus vir in Republica Romanorum libera fuit Porcius ille Cato: qui si sub Principibus vixisset, tristia haud dubie sibi, tristia aliis fata maturasset. Appiorum nonnemo egregius Optimatum assertor, malo publico bonas artes exercuit, quia populi naturam temperanter habere non didicerat. Dignus qui sub Augusto viveret Mæcenas: dignus qui non sub Cæsare, sed sub florentiore Primorum statu ageret Tullius Cicero. Atque si per magnorum seriem virorum imus, satis liquebit, quosdam suo sæculo, suo statui aptos, quosdam aliis quam suo aptiores, neminem pluribus commodum imperiis vixisse. SCHMIDIUM vero nec Principatui inutilem, & primoribus optabilem, & acceptum populo fuisse, tot vota, tot eorum loquuntur præconia, qui consiliis ejus ad varias imperandi rationes vel potuere vel voluere uti. Verum neque has neque ceteras adeo laudes diutius persequi animus est. Licet enim haud verear, ne nimia sint, quæ omnes gaudemus plurima esse, tempori tamen & splendori hujus loci, & fiduciæ vestri favoris, Auditores, dabimus, ut aliquanto plura vobis cogitanda relinquamus, quam proposuimus intuenda. Quin & illud audemus putare venia dignum, si inter tot publica de privatis parum cogitavimus. si quam industrius paterfamilias, quam fidelis maritus, quam moderatus

deratus fuerit herus, quam denique domesticas virtutes civilibus æquaverit, atque ut maximus publico actu, sic familiari vita & interiore non extiterit minor, neque jam exposuimus, neque deinceps exponemus. Equidem satis novimus, adeo non in levibus illa habenda, ut citius magnis viris artem, qua suam domum, quam qua suos cives, suas regerent provincias, defuisse, historiarum pridem sit monumentis testatum. sed ad finem properantibus, quodcunque ab eo distinet, seponendum est. Nisi quod unum prætervehi non possumus, cujus respectu, cuncta quæ diximus, indicta mallemus. Contrahit sese animus ac sermo ipse refugo pavore deficit, postquam ex tam læta, pulcraque optimarum rerum contemplatione, in funestum, qui tanta nobis, tanta Urbi, tanta Germaniæ gaudia abrupit, exitum incidimus. Fuit, fuit illud patriæ decus, illa terrarum voluptas, ille bonorum amor, ille virtutum splendor, ille temporis stupor, &, quod unum post tanta nomina nollemus elogium addere, fuit desiderium nostrum, Schmidius. cui pæne sexagenario vivendi attulit finem mensis hujus anni Julius * nondum adultus: quem infami nota & tristi nomine damnaremus, si cum superstitiosis gentilibus existimaremus mortem, quam occasionem novæ gloriæ, novæ initium felicitatis esse nulli dubitamus. An enim occidit, qui ne occidere unquam posset, ad æterna properavit? an interiit, qui interitura hæc, sive potius jamjam intereuntia post se reliquit? an mortuus est, qui generosa piæ mentis celsitudine mortem & mortalia vicit? Quin rejecta animi mollitie, cui recte indulget, quisquis minimum indulget, fortius loquimur: quin brachia nostri Servatoris, & ter maximum numen, & æternitatis lucem, & angelorum consortia, & omnia majestate, fulgore, gaudio, triumphis plenissima cogitantes, inter hæc Schmidium vivere, exultare, eminere, exsplendescere, perennare agnoscimus. Scilicet non est vita, in hoc orbe vivere; sed vixisse. Neque verius incipimus esse, quam ubi esse desiimus. Usu quidem ferme venit, ut semper acerba,

* 1637, 8. *Jul.*

acerba, semper videatur mors illustrium virorum immatura. Licet enim vitam satis longam meritorum insuper continuatione illi amplificaverint, quia tamen ingenium præclaris artibus instructum metam excellentiæ & incrementi ex se non habet, nisi quatenus ultima fati linea certam omnibus definivit: plura solent & perfectiora etiam ab eo expectari, qui plurima, qui præstiterit perfectissima. Igitur cum in posterum fortissimos viros Patres Patriæ ac Senatum, gravis aliqua & anceps tenebit consultatio: si immansueta & obstinata temporum pericula augustam hanc Rempublicam, quam divinitus hucusque immunem revereri potius, quam tentare debebant, non desinent tamen vel eminus petere, vel comminus terrere: si Philippus aliquis aut Alexander (raro enim occulti, raro aperti magnis civitatibus adversarii desunt) exorietur: quanquam omen aversamur, Deumque tam constantem nostri status vindicem speramus, quam benignum hactenus experti sumus fautorem; eventibus tamen moniti, ut quod factum alicubi est, fieri posse alicubi credamus, tali tempore vota publica haud dubie in SCHMIDII memoriam arbitramur reditura. Quem quia in omni rerum temporumque difficultate consilii fuisse constat expeditissimi, itaque similitudo negotiorum apud omnes desiderium similis consultoris excitabit. Curia quoque, sicut sæpe non sine voluptate recordabitur gravissimæ vocis, quam toties venerabunda attentione audire licuit: ita sæpius cum dolore ingemiscet, quod audire non licet in posterum. Veniet imo tempus, quo posteri acceptas à parentibus summi viri laudes minoribus suis gestient exponere, quotiens de publica felicitate, quotiens de communibus loqui bonis volent. versabitur in ore famæ illa prudentia, qua tueri Rempublicam; illa facundia, qua consulta salutis edere; illa gravitas, qua tractare animos; illa moderatio, qua civium affectus possidere visus est semper ille Themistocles, ille Pericles, ille Crassus, ille Scævola. Certabunt enim doctorum virorum ingenia, & cum ex veteri ævo eloquentium jurisperitissi-

mos, & jurisperitorum eloquentissimos comparationis causa pencensuerint, aliquid in Schmidio supererit, quo virum vere ac penitus civilem, omniumque tum publicarum tum privatarum administrationi rerum accommodatum, ultra liceat æstimare. Exteri quoque cum quacunque mente in Reipublicæ Argentoratensis considerationem versi, opportunitatem loci, modestiam civium, gravitatem regiminis, simplicitatem publici moris & industriam, admirabiles successus, inconcussam securitatem, secum reputabunt, nunquam deerit aliquis, qui, inter præcipua, inquiet, sive ornamenta sive instrumenta sua, civitas illa Schmidium numeret. cujus incredibili virtute & viguere plurimum ejus prospera, & adversa non raro convaluere. Quod si à remotioribus & futuris ad propiora revocandus est animus, cui dubium esse potest, Serenissimos hosce Principes (ut nunquam præclara cogitatione generosæ mentes solent vacare) auditione hac accensos jamiam exoptare, ut cum rerum administrationi vel fortuna eos reddiderit, vel ætas admoverit, talibus beentur Amicis, talibus instaurandæ gubernationis & firmandæ muniantur adjutoribus. cui voto ut de judicii merito gratulamur rectitudine: ita nostrum pro secundo eventu, demisse omnes conjungimus. Quod superest, vobis Magnificentissimi viri, Patriæ Patres, hoc pietatis Academicæ non eloquentiæ monumentum, voluntati vestræ lubenter meritoque dicatum, ita commendamus, ut de vestra incolumitate, id est, de Reipublicæ salute, desideria nostra semper fore solicita, simul profiteamur. Cujus animi cum multa cupiamus, unum decuerit in præsens specimen edere, si Assessores vobis Schmidios non optemus modo, sed, quod recenti ejus monemur exemplo, qui non in Schmidianum magis locum, quam in Schmidiana consilia successit & artes, in omne deinceps tempus ominemur. Reliquos, quos justissimæ causæ ad solvenda tanto viro justa funebria hunc in locum contraxerunt, meminisse velim, non rite præstitum quod præstandum fuerat, nisi ad imitationem potius tantarum laudum, quam ad cen-

censuram laudatoris, strenue se accingant. Cetera diversos partitim decebant; una omnibus communis cærimonia parentalis superest: in gratiam viri de publicis utilitatibus præclarissime meriti, de attollenda exornandaque patria semper cogitare.



IX.
Laudatio Funebris
CL. Viri
MATTHIÆ BERNEGGERI
Historiarum Professoris, Varronis Argentoratensis,
Recitata publico nomine, die VII. *Maii* CIↃ IↃ CXL.

Generosi Barones, Nobilissimi Eminentissimique Patriæ Patres & Scholarchæ, Magnifice Rector, Spectabiles Decani, Clarissimi Professores, Consultissimi Experientissimique Doctores Urbici, Reverendi Ecclesiastæ, Doctissimi Moderatores Gymnasii, vosque ceteri, genere, merito, officio, eruditione, elegantia Ornatissimi Auditores.

NUnquam Argentoratensium Urbi ac litterarum studiis, vel major constantiæ necessitudo, vel justior pietatis occasio venit, quam cum summus rerum humanarum arbiter fatorumque moderator, quem ornando politiori sæculo, per annos quinqua-

ginta octo, duos autem & triginta amplificandis hujus Reip. scholis, singulari munere impenderat, expleto feliciter operum gloriæque cursu, ante tres menses ipsos, ad æterna transtulit præmia, Matthiam Berneggerum. Erant in animis omnium ac oculis, nemini æstimanda soli, tot ingenii, virtutum, artium monumenta, quot in uno usurpata, miraculi æstimationem publicasque grates; in uno amissa, desiderium grande ac dolorem merebantur. Ita inter beneficium publicum, quod palam erat, & jacturam, quæ abstrusa etiam, mitigari non poterat, suspensæ mentes, sensum præsentis acerbitatis, fortunæ prioris comparatione; luctum, fortitudine; memoriam funebrem, faustis recordationibus, sive miscebant, sive solabantur. Apparebat sane, satis Deo, satis sibi, satis gloriæ vixisse, imo semper & propius victurum esse, qui inter seniles annos, & exhausti molestias corporis, & nemini jam vitalem, tot casibus temporum, vitam, sui Auctoris voluntati cæloque permissus, æternitate, supra ævum beatus, honore meritorum cum ævo omni superstes, prorsus humani voti mensuram implevisset. Neque de exitu ejus queri natura rerum poterat, cui cum ad fastigium universæ laudis promte esset ac benigne obsecuta, magnum & incomparabile sui operis præmium, ab industria capacis animi & vivacibus scriptis tulit, quibus & ipsam & humanum orbem late illustravit. Verumenimvero ea est magnorum casuum importunitas, ut inter ipsa constantiæ meditamenta, aliquis ex nec opinato horror, eluctantem per adversa fiduciam interpellet aut lacessat. Etiam cum à conspectu præsentium, à desiderio ademtorum satis te muniveris, venturæ profecto sortis ut ignorabilior, ita formidabilior interpretatio nullibi magis in promtu est, quam ubi maxime vitatur. Præcipue cum ex propinquo ut indicia, ut omina arripiuntur, quibuscunque vel sollertia conjecturam, vel anxietas similitudinem, vel providentia causam induit. Quo factum est, ut cum probe contra mollitiem se firmasset nostra Academia, non parum tamen hoc tempore videretur ei terribile, quod, si

quid

quid secius suo statui immineret, nondum id esset, gravissimo Andreæ Schillingii, viri accuratissime docti, fato expiatum. Neque præteriit augustas Procerum Reipublicæ mentes hæc cura: quibus resossum vulnus vulnere plenam ancipitis consilii medelam obvertebat: aggravante mali sensum ea præsertim necessitudine ac cognatione, quam suæ civitati cum magnis viris, nexu publico & supra affinitatum aut sanguinis vincula solenni, intercedere nunquam dubitarunt. Igitur dum sapientiæ quidem in ipsa sede sua periclitanti, subsidia opemque, haud minori ac par est sollertia, dispiciunt, placuit interim, affectum propinquitatis, quam dixi, ritumque, tum aliis modis, tum parentali hac cæremonia explere. Post exequias enim honorifico & frequenti funere deductas, post elatum juventutis delectæ ac in supremum Præceptoris sui cultum æmulæ, humeris corpus; post famam orbis cordati studiis & perenni eruditorum industriæ commissam; nihil restabat, quam ut ex hoc loco, quem toties illustris eloquentia ac diffusa in immensam varietatem doctrina Varronis nostri, magno cum concursu & applausu auditorum celebraverat, nunc vel nomen tanti viri, & quædam post ipsum meritorum commemoratio, sicut emissæ per convalles vocis ultimæ partes redeunt, denuo audiretur. Quod publicæ voluntatis institutum, quoniam exempli & pietatis esse nemo debet ambigere, sola eas partes obeuntis simplicitas requirenda erat. Quam sicut & claritudo Berneggeri, nihil pompæ aut fucati cultus indiga, omnibus facile commendaverit; ita mihi, præter ingenium ab ampullis pariter & cincinnis rhetorum plane alienum, tot egregiæ conjunctionis nomina, ultro imperabunt, ne de Præceptore, Hospite, Amico, Collega, & quasi Parente, curiosius, quam verecundius loquar. Qui si aliqua dicendi facultate pollerem, milites potius imitatus, accepta ab imperatore arma in ejus funere invertentes aut velantes, ipso orationis habitu, conticuisse veram Argentoratensem Suadam, profiterer. Quare in præsentia ablegatis sæculi & moris inanibus, quæ in sterili argumento

inepta, in magno indecora, ſine affectu peraguntur, auſpicium tanto noſtro diei, cærimonia ſanctior & religio dabit. qua heroicarum originum faſtis, cum reverentia inferemus, annum ſuperioris ſæculi LXXXII. diem Februarii VIII; non ſic Halis Auſtriacis, quas magno cive auxit, non ſic earum Senatori & Judici Blaſio Berneggero, ac Eliſabethæ Paurnfeindiæ, lectiſſimis conjugibus, quibus ſuaviſſimum ſui amoris pignus edidit: non ſic ornatiſſimæ familiæ, ut humano orbi, cui tantum ad melioris ævi lucem ſidus extulit, lætum, candidum, illuſtrem. Inſigniebat ea, tempora Deus immortalis, ut magnarum rerum tractationibus, ita magnorum virorum nativitatibus. ortique pauci circiter annis, quaſi ad conſummandam literarum præſertim gloriam fata feſtinarent, non pauci, qui oſtenderent ſæculo, quantum ſupra priores ætates eſſent amiſſuri homines, ut primum rurſus ingratis barbaries præplacuiſſet. Inter horum Principes Berneggerus erat. cujus dum incunabula nos tam ſeriis cogitationibus imbuunt, eo tanquam omine intelligimus, nil eſſe cauſſæ, ut pueriles annos, tanquam indignos hujus loci auribus prætereamus. Equidem nunquam pigendi res operis viſa eſt ſcriptoribus, magnos viros, etiam ea parte, qua minores erant, deſcribere. Et licet nil ſolidæ certæque laudis prima hominum ætas habeat, videas tamen neſcio cujus gratiæ commendatione, libenter eam & attente, ſicut in ſcena primus fabulæ actus ſolet, ab omnibus ſpectari cognoſcique. Cujus rei video mihi in ipſo mentis humanæ ſtudio affectuque originem reperiſſe: quam nihil æque advertit, adverſamque retinet, ac prætervecti quidem temporis recordatio, venturi autem expectatio. Utrumque complectitur, inſtituta in virilibus præconiis adoleſcentiæ commemoratio: neque complectitur modo, ſed miſcet, ac diſſociabilium quadam communione rerum ad ſuavitatem audiendi contemperat. Jucundum eſt, retroverti ad annos, qui ſignificare magnam indolem, ſtrictura quadam radiorum potuere: jucundius etiam, mutato contemplationis habitu, tanquam in re præſenti, quantum

tum hi radii, ſplendoris, lucis, claritudinis in poſterum robuſtiori ætati promittant, divinare. habet imo admirationis aliquid, tam evidenter apparuiſſe ante laudis initia, quantis eſſet profectibus abſolvenda laudis gloria: quæ ut conſummata denique, ita tanta æſtimatur, quanta olim ſperari debuit. Igitur qualia habuerit ætatis principia Berneggerus, ultro docemur incrementis: neque difficile eſt, ex viro puerum interpretari; ſicut, quibus videre puerum contigit, de viri præſtantia, ſatis efficaci naturæ prodigio, jam tum admonebantur. Statim humani modeſtique moris comitas, ſtatim in ardua quævis itura apparuit induſtria. Ea gaudiorum prima parentibus ſeges, prima non vulgaris ſpei coorta occaſio. præſertim, ex quo ætatem adoleſcentuli litterarum cultu excitavit formavitque Wolffgangus Pichlerus. cujus diſciplina fideque biennium uſus, raro vivacis gratiæ exemplo, nunquam poſtea ex animo beneficii memoriam, nunquam mutuæ benevolentiæ occaſionem dimiſit: cumque acerbitas temporum denique in exilium expuliſſet virum, interceſſit Præceptoris fato diſcipulus, & receptum hoſpitalitio lare, quod ſupererat vitæ, liberaliter ac ſecure juſſit tranſigere. Sed hæc viri commendatio erit: nunc ad diſcentis parvuli gymnaſia revertendum eſt. Quem Welſa primum, inde Argentoratum publice erudiit. Dubites autem, an Argentorato Welſa, an hæc illi debeat Berneggerum. Nos enim Welſenſi ſcholæ magiſtrum ac rectorem præcipuum dedimus: ille nobis, quem educaverat diſcipulorum præſtantiſſimum, reddidit. Quamquam potius Juniani nominis merita, quorum jam in pleraſque gentes cum uſu gloria migraverat, referendum fuerit, quod diximus. Hunc dum ſæpe & merito Weixelbergerus celebrat, injecta Noſtro præclariſſimæ lubidinis cupiditas, adeundæ viſendæque urbis, quam tum cetera felicitas, tum tanti Doctoris fama late oſtentaret. Etenim ſicut Ariſtotelis magiſterium & gloriam, Theophraſtus quondam, ita Sturmii Junius excepit ac ſuſtinuit. ad hunc pro-

properat Berneggerus, venturus, ut, ipse quidem sperabat, in communionem doctrinæ; ut fata destinaverant, successionem insuper laudis habiturus & famæ. Prorsus enim agnosco hic secretæ arcanæque quiddam è cælo constitutionis, quæ vel absolvendo studiorum Argentoratensium circulo, vel extruendo celebritatis fastigio, causas & viros moliebatur. Hinc profectam intelligo vim illam alacritatis, constantiæ, efficaciæ (nam idoneum nec impar nomen nemo facile protulerit) qua divinitus induuntur animi, magnarum rerum auctores futuri, ut his tanquam appositis ingenio alis, non ad astrorum imperiosos, quod nonnullis videtur, motus, sed ad verenda originis suæ placita, promte semper ac feliciter subvehantur. Cujus rei grande documentum Berneggerus dedit. quem sicut assiduissima contentio & indefessæ agitationis labor, per insuavia studii severioris rudimenta, per molestos scholarum inferiorum pulveres, celerrimo profectu in Academiæ lucem pariter & exercitationis firmioris palæstram vindicavit: ita auctos ipsa occasione impetus, magni subinde successus in ejusmodi certamen exacuerant, quod tu non cum ingeniis condiscipulorum, cum votis præceptorum, cum parentum spe, sed cum ipso, quod inexsuperabile omnes credunt, tempore certari diceres. Quo factum est, ut cum privatus numero studiosi esset, tanquam publicæ dignationis capax, non inter commilitones modo susp iceretur, sed foris innotesceret, atque non spernendis conditionibus invitaretur. Hoc loco subsistere vos mecum paulisper, Juvenes eruditi, jubebo: neque tam rhetorum legibus aut gravitati, quam vestris obediam utilitatibus. quibus sicut plane dicatas viventis Berneggeri curas scire debetis; ita defuncti memoriam, fecundi perpetuitate exempli, in oculis, in animis vestris, fas est semper revirescere. Nam & alias, clarorum virorum artes, nomine tenus & specie, sicut in pictura colores, noscere, otiosi res instituti habetur. ut intelligatur quantus fuerit, quem admiramini, ante omnia quid tantum fecerit intelligendum est. Ea est res, ne vos teneam, ho-

diernis Academiarum moribus oppido aliena. Quid enim? Erumpit ex gymnasiis, quæ vocant, puer ætate lubricus, infans ore, literis inops, moribus rudis. si quæras, unde, & cur, & quo? honores Academicos memorabit & titulos, & post tertium quartumve annum, publici dignitates officii. Qua via, ô bone, quo instructu, quibus præsidiis? Græcis nil magnopere indigeo: Latina ex duobus Lexicis & mille Phrasibus, quas mirificas esse, omnes agnoscant, conquirere jussus, magnis propediem opibus abundabo. Artium præcepta partim memoriter teneo, partim facile discam, quot circulis volvatur cælum, quod sint rerum elementa, quot virtutibus vita describatur. Nam cetera in vilibus & supervacuis habenda, plurimorum mihi exempla persuadent. Hoc primum & maximum agmen, videmus incedere. sequitur pone cohors altera, quam nasutulorum esse, non difficulter judicaris. Hi unam aliquam disciplinam magnis furiis adorti; mox velut ulturi angustias argumenti, totum vanissimarum quæstionum mercatum in quadam curiosi operis pergula prostituunt & gloriose ostentant. Quos cum ante paucos dies nemo in sapientiæ regno noscitaret, denique Chinensia esse miracula constitit, postquam reliquos mortales, cæcum sibi bardumque videri genus, ipsi prodidere. Jam qui sapientissime desipiunt, vel orationis copiosæ venustates consectantur, rerum cognitionem spernunt; vel, varietati studiorum immanentes, potissima nihil minus, quam potissimum tractant. Ne jam dicam, quanta ignavi moris turpitudo, vitam eorum obsederit, qui pro bonis honestisque artibus, quas debebant publico, solam denique temeritatem suam auribus oculisque patriæ inculcant. Abstinuisse tam vesano ritu Berneggerum, non id equidem laudibus ejus inferendum judico, in quibus utique majora & solida spectamus: sed æquum erat, ut cujus vita omnis rectioris disciplinæ fuisset institutio, eadem adversariæ pravitatis esset sigillatio. Interim longe altiora sui fati auspicia singulari & omnino tali obsequio demerebatur, quod in eruditionis consummatæ &

antiquæ leges ſponte tendebat. ex qua nihil præter nomina quædam diſciplinarum, & excogitata cum diſpendio ſapientiæ compendia hodie retinemus. Non ignoro ſane, periculoſe & cum invidia, de encyclopædia veterum & polymathia, quam vocarunt, ſermonem ſuſcipi. Corrupit fidem rei ac favorem nimia quorundam doctiſſimorum hominum ambitio: qui cum plurima ſcirent, nihil videri voluerunt ignorare. quaſi terminos mortalitatis exceſſerit, qui in culmine ejus adhuc ſubſiſtit: quaſi non plura diſcenda reſtarent, quam ceteros docere poteſt, qui communis omnium habetur doctor. Utebantur tamen hi juris aliqua ſpecie: cum plerorumque enim inventis & exemplis certabant; neque tam rerum amplitudine, quam cognitionis humanæ modulo ſua metiebantur. Longe interim frequentior eſt eorum jactantia, qui volubilitate quadam oris in fortuitam ſapiendi audaciam exerciti, bonæ ſolidæque artis diligenter vacui & expertes, univerſam ſcientiarum latitudinem ſe emenſos, neque amplius patere in libellis, qui circumferuntur, Encyclopædian, vehementer & cum aſpernatione aliorum clamitant, ut agnoſcas *in omni ſcibili verſatos*. id enim ſibi cognominis in honorem virtutis ſuæ adſciverunt. hos ſi cum prioribus contendas, ibi quidem quoſdam inter doctos, heroas; hic quoſdam inter ignavos ſimias aut hiſtriones interpretaberis. nam pleniorem cenſuram, cui hodie pares non ſumus, Herodi Gelliano, gravi & exercitato judici, delegabimus. Nos ab utroque ancipitis invidiæ metu, tam longe nobis videmur remoti, quam ab omni arrogantiæ ſuſpicione aut jejunæ vanitatis abfuiſſe Berneggeriana ſtudia, nemo jam neſcire poteſt. Sequebatur bona fide vinculum iſtud ſapientiæ, & connexam apta compage rerum ac cognitionis ſeriem, quam non invenit Plato, ſed commendavit: non excogitavit, ſed illuſtravit Ariſtoteles: non conflavit in fucos & ſplendorem ambitio, ſed formavit in nativum valenſque doctrinæ corpus, divinis freta auſpiciis recta ratio. Naturæ vices ac fata, ſiderum curſus & velocitatem, ſpatia tractuſque

que terrarum, undarum vastitatem & miracula, hominum ingenia ac mores; venabatur industria, assequebatur sollertia, peragrabat assiduitate, penetrabat constantia, judicio complectebatur. Non orandi gravitate, non subtilitate carebat disserendi. quam, sicut cetera eruditionis instrumenta, cum fructu publico & applausu, cœtibus eximiorum juvenum bonas artes strenue æmulantium, in ipso studiorum suorum cursu, non semel approbavit. quorum præclaris gratisque per omnem vitam elogiis honoratus, felicis disciplinæ præ illis fructum tulit, qui, cum omnem disputandi artem tot ineptiis intricavere, quot ignorari pariter, publicæ utilitatis interesset, nihil denique discipulis ad seria studia provectis, præter seram agnitionem strenuæ inertiæ, & molestiam dediscendi relinquunt. Quæ literarum intemperies, omnes pæne doctrinas tanquam contagio corripuit: ex quo, quisque ambitionis suæ aut ignorantiæ spolium miseram juventutem facere cœpit. cui frustra scilicet traduntur studia, nisi & modus studiorum usus que, detersis tandem inquinaturis vitam sordibus, in cordatam habitudinem & maturitatem commasculetur. sacra quædam & inviolabilis res est, commissa regentis arbitrio ætas, quæ ut sequi ducentem potest, ita, an recte ducatur, judicare non potest. cujus florem jam tum, quantum in se erat, nunquam passus est Noster, per inania deflorari. suis denique periculis docebat, quam animose essent spernenda, quæ scenæ vix apta, aut umbris tantum suis tuta, vitam olim dedecerent. Posuerat ipse multum in omni cognitione mathematica operæ: adeo ut nec in genethliacis divinationibus quicquam intactum omitteret. In quibus cum ad peritissimorum laudem pervenisset; generose cum fortuna infelicis laboris questus, statim quos nactus est, cohortabatur, ut tempori, ut famæ parcerent, nec in sua damna ultro incauti ruerent. Quemadmodum enim Mathesin ceteram plurimum humanis rebus conducere, publicisque morbis accensendum, tam nobilis studii neglectum esse, subinde prædicabat; sic innexa sideribus fata, fatalesque prædictio-

ctionum vanissimarum præstigias serio aversabatur, & quas in ipsis adytis suis deprehenderat fallacias, serio gravique judicio detegebat. Hærent adhuc animo accurati, quos aliquoties inter amicos habuit, sermones, & exempla omni contradictione superiora: quæ referre jucundum equidem, sed angustiæ temporis parum foret accommodatum. Et lucrifecit nobis ipse expositionem, cum inter cygneas cantiones suas, in publico auditorio, capacium ni fallor discipulorum pectoribus alte infixit hanc philosophiam, quam nulla dies delebit, aut apud memores sepeliet. Tanto igitur tamque accurato paratu, ea studia aggressus est, in quibus haud dubie concurrit, quicquid uspiam est humanæ sapientiæ. Tractaverat sane antea auctorum utriusque linguæ plurimos, sed tanquam opportunitates futuri operis specularetur, quod maximis videbat præsidiis indigere, cetera viribus & occasioni reservavit. Antiquitatis enim mores, populorum instituta, gesta temporum, inventa prudentum, totamque, ut sic loquar, prudentiæ historiam; sive omnis historiæ prudentiam, sibi proponere ac disciplinam, præsentissimi, opinor, consilii, amplissimi ingenii, nec minoris eruditionis est negotium. Id quod parum judicant, qui præterpropter studia, non in ipsis vivunt. quorum propterea, vix nomina recte accipiunt. Ordiar à poëtis. hos legit aliquis ad delectationem, ait: miratur inventiunculas, notat locutiones, laudat compositionem, id est, absolvit quod voluit, neque jam lector poëtarum, sed plerumque eadem opera poëta est. Simili felicitate geritur res in oratoribus: quam suaviter hoc dixit, quam illud graviter, quam cetera copiose! Historia autem, quid est accommodatius ad fallendum tempus? narrati jucunde eventus, expositi mirifice casus, non patientur sane inter pocula aut in itinere obmutescere, aut ad ostentationis penuriam redigi, quicunque ex hoc penu suam peram instruxere. Accedit facundia, quæ his fontibus derivata, in quædam gloriæ flumina excrescit. Loquar ex animi sententia, Auditores, si nihil haberent hæc studia aliud,

ejurassem & ipse dudum tam otiosas delicias; neque nunc in Berneggeriana laudatione meminissem verbulo. ad quam nec ista sufficiunt, quæ tamen haud dubie magnum operæ ac sui pretium ostendunt, emendata eloquentiæ venustas, artis subtilitas, litterarum copia & ubertas. Frustra poëtatur cum Homero, qui non cum Homero sapit: frustra carminis ingenium cogitat, qui ad auctoris ingenium nondum penetravit: frustra varietate dicendi gaudet, qui varietate dicendorum parum est imbutus. Jam in Cicerone aliquo & Demosthene, venerabilis utique sese impingit animo orationis majestas: sed unde & qualis illa? quam ex abdito? quam ex profundo? Picturam laboriosissimi operis omnes mirantur: solus autem æstimat, qui pingendi rationes & scientiam didicit. Plane ut oratoris opes, uni sectantur, qui sapientiæ mysteriis probe sunt initiati. Quod si vobis hic declarandum sit, quomodo historiarum studio usus sit Berneggerus, augusta se & sublimis panderet materies: per cujus amplitudinem circumductos observare juberem, administrationis publicæ privatæque disciplinam, imperiorum fata, fatorum casus, casuum rationes, diffusam per temporum metas, moris humani varietates, rerum bene cognitarum, bene descriptarum experientiam. atque hic subsisterem, imparisque ad cetera linguæ silentium indice digito pensarem. ut cum in remota, victus spatiorum mensura oculus se intendit, magnum & singulare aliquid cernit, nec discernit: nisi quod magnum esse satis conjectat, donec accessu subinde propiori, majus judicat: & postquam quo tendebat, pervenit, tantum esse deprehendit, quantum nec contueri uno aspectu, nec nisi per moram contemplationis potest complecti. Nam quæ sint actionum omnium arcana primordia, agendi consilia, sinus, recessus, & multiformes formæ, denique anima & vita, & indoles rerum, quibus mortalis studii captusque metas, negotiosus orbis definivit, nemo verbis exposuerit, cogitatione attigerit, ingenio digne illustraverit. Sola efficacioris commentationis exercitatio, adjutaque plurimis doctrinis, plurimo vigore, id

est, non quælibet, sed Berneggeriani vis ingenii, intrat illud arcanum, cujus vel stupore alii, vel ignorantia sunt contenti. Erunt forte, dum hæc loquor, qui supra veri fidem & nativæ præstantiæ simplicitatem, existimabunt in speciem talia & verborum pompam adornari: fierique ut quædam rei augustæ insolentia me longius abripiat: sicut inassueta oculis spectacula, peregrinitatis potius quam cognitionis suæ implere aliquando minus peritos solent. Quibus ego, ut de me equidem multa hic respondeam aut pollicear, nihil attinet: sed, si verum amas, studiosa juventus, potuisses interprete sui operis Berneggero facile olim discere, quod quia ratio tua aliter tulit, neque nunc debes in dubium vocare. Quis enim hodie ea ætate profectuque, quo doceri aliquid reconditioris ejusmodi disciplinæ potest, historicis dat operam & aures? nihil disputamus, de cujusquam rationibus, quibus ad alia monetur præverti: illud tantum suggerimus, non esse admirandum tantopere, si felicioribus etiam ingeniis amplissimæ hujus philosophiæ ratio sit abstrusa: quam nec puerilis, neque subitæ, neque seræ perceptionis esse, testes habeo, quotquot his sacris unquam serio sunt operati. Atque hæc est quædam quasi peregrinatio, non Ulyssis alicujus, qui tot errorum ambagibus parvulum orbis spatium emensus, lucrum aliud nullum, quam versutias & sublestam fidem retulit: non hodierni alicujus nepotuli, qui delicatæ discursationis præmium, contemtu patriæ & scientia fastus, per quædam mirifici soni cymbala & crepitacula plebejo stupori promulgat: non despecti erronis alicujus, qui, cum ab exterorum fastidio nulla bona arte se suaque potuit redimere, domum reversus venditari amat pro oraculo: non cujusquam, qui cum unam regionem vidit, mille alias ignorat: Sed illius, qui in universo orbe, qua humanus est, non qua lapideus, aqueus, luteus, vel aureus etiam ac gemmeus apparet; nec inter mensas & pocula, inter salutatores in atrio, inter turbam in compitis; verum in perpetuo quodam sapien-

pientiæ penetrali, inter arcanas admissiones & perfectissimas curas illuc profecit, quo itineribus & itinerum usu aspirare nemo potest. Is jam erit Berneggerus. qui licet incredibili teneretur desiderio, coram arbitrandi, quæ in partibus terrarum cultissimis literæ commendarent, suamque viris passim illustribus omni studio ac observantia approbatam cuperet industriam, nec deesset occasio (expetiverant enim eximii juvenes complures, suam ætatem contubernio viri per lubrica peregrinationum dirigi foverique) intercessit tamen sedulo his votis ipsa urbis nostræ Fortuna. nisi quod raptim ad visendam Hungariam, Moraviam, Bohemiam, Palatinatum Neoburgicum, Tirolensem Comitatum, dimisso, solatium ex convictu viri magnifici & super ceteras laudes reique metallicæ peritiam, pietatis constantia per ea tempora celebris, Ioannis Steinbergeri, quæsivit. Postea reverti jussum docuit, quæcunque metueret ex omissione consilii damna, notitia plurium, quam peregrinatores condiscerent, linguarum; virorumque summorum amicitia ac familiaritate mox rependi. fore enim ut Argentorati quidem habitaret, sed ubique terrarum viveret & pervigeret. interim hac via peragrandum, quicquid ad fastigium ejus gloriæ superesset, qua communis non unius terræ spectator, sed humani generis præceptor, publicæque magister disciplinæ censeretur. Et jam Musæ Argentoratenses in cupidos amplexus virum receperant. Præfectus enim supremæ in decem curiis, quinquennali functione, præclarum industriæ publice privatimque exemplum dedit: quod secuti, nec juventæ usquam commodis deessent, & ad altiora interim consilia, studiis suis consulerent. successus pares par contentio habuit: cumque alterutri sufficere ad laudem insigne esset, amabilis monstri instar erat, suffecisse utrique. Impleverat jam antea, ut meritis excellentibus institutionem scholasticam, ita successorum labores arduæ imitationis studio, memorandus inter clarissima Urbis nomina vir, Casparus Bitschius. nec videbatur aliquid restare ad fastigium; nisi quod destina-

to

to incrementis literariis Berneggero, per omnia felicioris sæculi fata, non tam implenda expectatio publica quam superanda erat. Credunt multi, Auditores, ut sunt prona ab eruditione in ambitionem, ab ambitione in vecordes fastus hominum ingenia, in vilioribus habendas, quæ erudiendæ juventuti impenduntur, curas: statimque pædagogicas sordes etiam iis objiciunt, in quibus plus quam professorium splendorem admirari debebant. Berneggero apud intactam ea barbarie posteritatem nunquam hujus operæ gratia peribit; qui licet Academica potius in gymnasio meditamenta exemplo maximorum ex antiquitate virorum, tractaret; nequaquam tamen quæ minora erant, fastidivit: sed universæ Scholæ ope consilioque tantum profuit, quantum freta suo splendore ætas, præsentioribus remediis, ut solet, aliquando aversa, ferre potuit. Rarum sane munus, & inter utilissima publico egregio studia ponendum, provisu, ac solertia gubernare res scholasticas. quod qui eruditioni tantum deputant, aliquando nebulam in pariete pingunt. quanquam plures sunt, qui auctoritatem suam aut gravitatem satis imperiose allegant: ceteri promiscua temeritate de innocua ætate crudeles ludos faciunt, & dum quisque hic sapit, dediscunt sapere pueri, antequam, quid sit sapere, doceantur. Legat in his moribus, qui volet, descriptos literarum casus, vices, interitus: aut, si nimis abstrusa est hæc philosophia, quærat interim, fallendi temporis causa, quot Roma felix, docta, copiosa, Quintilianos numeraverit. nam nos fortassis ea prosperitate antestamus, quibus post Sturmium, Berneggerus contigit. Qui cum ex eo, quod dixi, munere ad Historici in Academia cathedram esset translatus, Bitschioque ad Jura docenda progresso, rursum successor datus, difficile est exprimere, quanta studiorum ac temporum strenuitas his auspiciis enituerit. Utilissimam scilicet per se disciplinam, vitæque ac rerum actui vere propriam, auctoritas insuper docentis commendabat: in quo sicut summam eruditionem omnes mirabantur, ita facili-

tatem

tatem erudiendi voluntatemque plurimum amabant. Pendebat à docentis ore in auditoriis publicis ipſe flos Academicæ juventutis, generoſi proſapia, ſagaces eruditione, ingenio præcipui, virtute ſplendidi (nondum enim puerilis ineptientis juventæ error, veras ac publicas proficiendi rationes damnaverat) atque in Thucydide, Tacito, Suetonio, Salluſtio, aliis, non geſtorum modo ſcriptionem, ſed ſcribendi vias, artes, inſtitutum, tanquam ex altero Thucydide, ex altero Salluſtio accipiebant. Ita eſt, Auditores, ut penetrentur tam exacti operis arcana, opus eſt ſimili ingenio: & licet diſpar gloria ſcriptorem ſequatur ac interpretem, merito tamen & arte citra dubium comparari ſi non æquari poſſunt. Hic, ſi quid eruditio, arte; prudentia, uſu; oratio, cultu; ſententia, invento recondiderat: exprompta, explanata omnia. Si quid in antiquitate rarum; in cognitione, arduum; in hiſtoria, utile: ita evolvebantur, ut eadem opera & ad doctrinæ præſtantiam, & ad actus dexteritatem non ſelecta modo, ſed præparata; non expoſita, ſed oſtenſa; non admota, ſed applicata viderentur. Nihil exiit ex ore ejus, quod obtunderet auditorem; multo minus, quod falleret. Profeſſorium minime arbitrabatur, linguæ quicquam ad oſtentationem, quicquam ad negligentiam & volubilitatem indulgere. equidem niſi plus viris approbari, quam adoleſcentibus poſſint, quæ adoleſcentibus proponuntur; niſi ſemper & cum augmento fructus placere queant, quæ dicuntur ſemel in cathedra, tum ego rationes publice docendi parum accurate ſubductas meditatasque facile dixerim. Accendit ea res multorum ingenia, ut de amplitudine ſcientiarum & ſeveris proficiendi legibus ſerio cogitarent: quotiens audiverant Berneggerum, totiens non modo cognitorum voluptas, ſed cognoſcendorum ipſos invadebat deſiderium. ſive quidam doctrinæ genius, ſui apparatus copiam, ubique & aliud agendo capacibus animis infundit: ſive naturas præſtantes ingenitus ad exempla illuſtria impetus rapit, & auctoribus eximiorum operum fatali inſtinctu conciliat. Sed quod illud deſiderium, cui non

responderet Berneggeriana facultas, quæ instructissima? cui industriæ non sufficeret comitas, quæ indefessa & incomparabilis? Quod tum ubique alias, tum vel maxime cognitum est, ubi super ordinariam professionem, eloquentiæ, bis orbæ, semel per triennium, iterum biennio amplius, patrocinium gessit. Libri, musæum, & inprimis ipse, omnibus & semper patebant. Vidisses in uno homine, summam temporis avaritiam, & summam liberalitatem: sibi potius quietem, quam aliis operam negabat; & quod tot salutationes, colloquia, consilia exemerant diei, nocturnus labor repensabat. ita induxerat in animum vir optimus, ignoscere juventuti; quicquid discendi studio, licet sæpe intempestivo, sæpe præpostero, peccaret. generosam præterea jacturam esse si privatim amitteret, quod in publicos usus olim rediret. ad quos non sufficit scriptis orbem excitare, nisi instrumento, auctoritate, ductu, cupientes subvehantur. Igitur exercitationes cuique dispexit, commendavit: exercentibus, prout publice privatimque ratio tulit, præfuit, adfuit, interfuit. in suis strenuum quemque ædibus invisens; hortatu, laude, auspicio efficacissimus monitor. hærentes expedivit, dubitantes confirmavit; quos flagrantior cupiditas incautius avexerat, non objurgatione, sed quod omni stimulo fortius est, familiaritatis & colloquii quodam quasi comento recuperavit. Inter hæc multoties patientia viri tentata, nunquam victa; improborum malitiam, imprecatione bonæ mentis; præfractorum arrogantiam, exemplo modestiæ; curiosorum ineptias, gravitate instituti, non tam flagellavit, quam convicit. Habet hoc quoque vita Academica ex libertate vitium, quod temeritate pro judicio usi præsidentes juvenum, libere & impune, in clarorum virorum nomina & labores perpetuis censuris incurrunt. si quis tria verba ex Sallustio sublegit, jam Sturmios & Berneggeros fastidiose judicat, ceteros ex abrupto damnat: si quis juris, divinarum literarum, medicinæ, artium reliquarum prima rudimenta attigit, aut ea paululum supergressus est, de principibus horum studiorum inter pocula & in circulis arbiter

sedet:

sedet: si quis docentem, semel & negligenter audivit, male intellexit, statim quæ libet, & quibus cujusque inflari vanitas potest, pronuntiat: si quis omnia hæc pariter ignorat, tum vero ad convitia, probra, ludibria nemo minus rudis est. si quis (faciunt autem hoc plurimi) alia omnia potius, quam illud ipsum, quod reprehendere audet, didicit, nihil magis interim novisse vult videri. Habemus ergo, quod felix & faustum sit, non jam *quinque eruditionis judices*, Atticæ felicitatis imitatione, sed ex profectu imitantium, quinque judicum genera. quos si *Bacchicos*, itidem antiquitatis exemplo, velit quis appellare, quod res est dixerit: nam & histrionali scenæ, ut isti, assident, & plerumque furore dei, cui serviunt, bacchantur. Nobis, cum jam pridem satis ad temnendum genus tam infame, & nescio cujus transmutationis capax, ut primum non indignari quidem, sed jocari alicui doctorum libuerit, supersit constantiæ, Berneggeri insuper exemplum placet, qui tenax propositi & invictus, tam diligenter saniorum disciplinæ studuit, quam insanabiles fugit, & cum aversatione extimuit. Ceterum inter tam strenua, tam assidua juventutis desideria versanti nihil videbatur relinqui ad alias curas temporis. at ille subcisivis operis quot præclara in publicum monumenta edidit? quo ingenio, qua eruditione illustria? quorum aliqua sæculo & patriæ, & Academicæ existimationi dedit: aliqua Mathematicæ, quam refrixisse propemodum videbat, instaurandæ gratificari, tempestivum & sapiente viro dignum existimavit: de cetero ad totam literariam antiquitatem repurgandam animo conversus, ejusmodi institutum primus tenuit, quo (præfiscine dicam) neque ad emendanda hæc studia, quicquam limatius; neque ad amplificanda, copiosius; neque ad tractanda instructius, à quoquam hactenus excogitatum est. Prodierunt antea præclari auctores, magna cum editorum celebritate illi quidem (quam intactam ad posteros perennare jubemus) prout cujusque ingenium, occasio, supellex tulit. aliquis scriptorem Msc. ope aut per sollertiam emaculavit

lavit & correxit: alius varias lectiones collectas diligenter, examinavit ac contendit: nonnemo rituum & prisci moris aliqua exposuit: quidam usum & vitam spectantes, civilis viri institutionem quibusdam notis professi sunt aut dissertationibus. Ut minus dispersa hæc noscerentur, quærebatur consilium. cujus specimen meditari Lutetia Parisiorum cœpit. inde enim procusa sunt ingentia Taciti, Suetonii, Senecæ, volumina. Quas erat reperire doctorum in scriptorem eum curas, in unum corpus conduxerant. Ejus generis etiam alibi exempla usurpata: extantque ad hanc formam Gruterianæ nonnullæ editiones. Verum hoc pacto nondum erat vel tempori vel eruditioni consultum. quid quisque, & an quod desiderares, annotasset, satis arduus inquirendi labor natus: sine tædio hactenus, nisi toties frustra tolerandus. multi difficiles loci & suspecti ne verbulo memorati, digna illustratu plurima plane præterita, alia bis terve à diversis posita. Plerique enim non ad editionem Auctoris ista, sed in suis adversariis forte consignaverant. Jam quantum supererat eorum, quæ aliis magnis viris, huic auctori quidem profutura, sed in aliis operibus, & miscellaneis sæpe commentariis prodita, inveniebantur. Berneggerus ergo inivit rationem, qua semel perfectioni studiorum & tempori, tum & instituto cujusque, prolixo, ut ita dicam, compendio subveniretur. Quicquid ubique terrarum, inde post renatas literas, ad unumquemque scriptorem felicia publico elaboravere ingenia, quicquid emendationi, illustrationi, dictioni, argumento, ex omni penu doctrinarum servit, coacta sub unum conspectum, disposita in promtos usus, locupletata ingenio editoris omnia exhibentur. ita moles libro demitur, copia augetur, ordo additur. cujus instituti pars sunt sane non ignobilis, *Indices*, non tumultuario aut semipleno congestu, non frigida & triviali philologia, sed plane novo exemplo, in majores quam facile dixero, opportunitates ac subsidia adornati, quæ experimentis potius, quam elogiis innotescere possunt. Hujus operis formam animo complexus

xus Noster, ingenti apparatu, tempore, instrumentoque gravissimo, indigere se intellexit. Comparatæ igitur jam olim Bibliothecæ nobilissimæ, in quam patrimonium satis lautum impenderat, accessere tum quotidiana ex librorum emtione augmenta, tum effecti in omne genus scriptorum indices, sylvæ, notæ, commentarii: quibus ipse partim manum admovit, partim studiosorum ære satis largo conductorum opera perpetua, quæ minus ingenio videbantur opus habere, expedivit. Fidem pæne excedit, quantos homo privatus, in hunc usum, sumtus toleraverit. Effectum ergo, ut singuli propemodum libri, neque minus recentiores quam prisci, suis quibusdam præsidiis sint ornati; & universi communi quodam mutui usus vinculo sibi inter se respondeant. quali paratu fortasse sola censeri Argentina potest. Enimvero quid expectare in posterum ex hoc elegantioris literaturæ domicilio orbis debeat, *Justinus* & *Tacitus*, quorum editione prælusit tantum destinatis Berneggerus, facilem conjecturam præbent. Sed & *Suetonio*, *Vellejo*, *Livio*, *Arriano*, *Ciceroni*, *Senecæ*, ac inprimis, *Sallustio*, *Thucydidi*, *Pachymerio*, propinquus novæ lucis splendor oriebatur: nisi intercepto morte Berneggero, omnem hanc industriam & vota sæculi in Freinshemianos humeros supremum numen aptavisset. quibus quam bene sedeat hoc onus, *Floriano*, pridem, & nuperrime *Curtiano* opere cognitum abunde ac ostensum est. Illud non omiserim affirmare, dignum esse institutum tam strenuum, quod publica omnium eorum munificentia foveretur, qui pereuntium in Germania studiorum dignitatem reflorescere optant. cujus tamen voti fiduciam afflictæ domi res, & exhausta sumtibus tempora facile minuunt. & nescio an verendum habeamus, ne post instrumenta eruditionis bellica vastatione sublata, ipsa in pace eruditio nulla sit futura, nisi quod Berneggerianis quidem consiliis ostensa velut è machina subsidia, stabiles successus pollicentur: præsertim cum vel nomen viri ubique noti, ubique amati, benevolentiam rei conciliare possit, quæ suimet commendatione tantum pollet. Nisi fors

nimium præclare & sentimus de hac re & loquimur. Jam pridem enim audio quosdam, quibus tot artium instructu, tot verissimæ sapientiæ opibus nondum satis excusavit Berneggerus, quod bonis auctoribus strenuam & salutarem manum commodavit, quod linguas tot calluit, quot plerique ignorant. Critica enim hæc sunt, in verbis posita, viris & rebus seriis aliena. Non sum is, Auditores, qui ad prodendam silentio bonam causam ullo me patiar metu adigi; neque in præceptoris fama animus deesse discipulo potest; sed nec servile aliquid à me vel generosus quisquam expectabit, vel iniquus impetrabit: ut respondeam autem his vocibus, nondum inducor. Dividenda potius est defensio; rejectoque ad suas ineptias vulgo, miranda eorum voluntas, qui, cum suæ eruditionis, operis, & meriti à lubentibus ferant testimonium, ipsi, nescio quo fastidio, hæc studia pro vilibus aspernantur; eaque re profecto, non sine jactura famæ, si incidant in severos, errant. quid enim est omnino, quod eruditus & partium studio liber animus hic vel humile vel temnendum invenire possit? Rem ad liquidum à maximis viris deductam non instituo repetere: illud tantum rogo, ne ad unum modo respicientes, quod & ipsum immerito fastidiunt, (quippe cui omnium debetur scientiarum conservatio) ceteras laudes, eadem opera pariter obterant: ne aliorum culpam, aliorum pœnam faciant: ne virtutis & æquitatis postremam aut nullam in judicando rationem habeant. Fuerunt haud dubie, sicut in aliis, ita in hoc studiorum genere, insigni stultitia ac impudentia homines: qui cum absque idoneis adminiculis, jejuni ac expertes bonarum artium, numerassent syllabas, jugulassent litteras, vocem unam & alteram transiecissent, Critici volebant videri; quasi quisquam talis esse, nisi Philosophus posset. Quidam levia omnia ac minuta consectati, syrtibus illis & scopulis hujus studii, qui plurimi & asperrimi latent aut extant, nunquam tentatis, cum Varrone de palma contendebant, præque se unis, omnes credebant desipere. Talia possent millia litterarum dehonestamenta memorari:

quæ

quæ si in ipsarum vertimus injuriam, videndum erit in posterum, quomodo à legulejorum & rabularum probro JCti; ab impostorum odio, Medici; Philosophi à Sophistarum titulo se expediant. Longe aliter de Berneggero, & qui ejus vestigia sequuntur, judicandum est: ex quibus Grammatistas nemo nisi per calumniam fecerit. Nimirum in hoc vertitur omnis iste apparatus, in hoc sudat iste labor, ut efficacia, robur, dignitas, omnibus iis studiis accedat, quibus universæ necessitates vitæ, jusque & fas publicum gubernantur. Huc sana ratio, huc conscientia, huc ipsum, quod ex tam fœdi contemtus omine intelligimus imminere, periculum vocat: ne spoliata suo cultu, & exuta vestibus sapientia, frigore denique ac tempestatibus intercidat. Id quod brevi futurum, timent & vident mecum, quicunque, nescio quarum rerum incitamentis fati publici curam didicerunt anteferre. Sit interea hæc apud modestos & recte sentientes non minima commendationis Berneggerianæ portio: quod, cum omne eruditionis genus tractasset, tantum in singulis plerisque progressus, quantum suffecisset sola sectantibus, etiam illi se intendit operi, cujus apparatu universarum usus doctrinarum & specimen debet obtineri. Quemadmodum nec in parvis numeramus, præter linguas doctis proprias, reddita Gallis, Hispanis, Italis, Illyriis, Belgis, sua verba: scriptas promte, quarum usus veniebat, literas: conversa in Latinum difficillima & vix vernaculis hominibus intelligenda opera. Tale enim fuit, quod à summo nostræ ætatis Mathematico Italice editum, rerum verborumque abditis supra quam dixerim plenum Systema Copernicanum, Latinum à Nostro non sine admiratione orbis subtilior recepit. Ne dicam, quantum in amicitiis clarissimorum per orbem Europæum virorum colendis, ea res commoditatis habuerit. Ab illis enim ad Berneggerum, ab hoc ad illos, frequentia commeabant litterarum commercia. Quærit curiosus aliquis, quo argumento, causa, proposito? Nihil subticebitur. quanquam enim moris parum elegantis habeat fortassis exemplum illa

quæ-

quæſtio: res tamen ipſa promi videtur dignior, quam occultari. Invitabat alium ex occaſione ad amicitiam, viri humanitas, ab alio invitabatur: deferebat aliis cultum modeſtia, ab aliis accipiebat: officia rogabatur ſæpius quam rogabat facilitas: familiaritatem inſtaurabat fides; communes doctrinarum utilitates confovebat eruditio; & dum collatis omnia rationibus geruntur, ſtimuli, auctoritas, præſidium, decus accedit conſiliis elegantiæ & felicitati ſæculi deſtinatis. Conciliatrix autem tam optabilis commercii utrinque fama fuit; non illa quæ rumores architectari, ebuccinare fabulas, adeoque pravas aut otioſas mentes, ſuæ vanitatis implere ſolet; ſed quam virtutis doctrinæque celebritati inter utriusque compotes, veris prædicationibus exponendæ, arcanis gratiæ irritamentis inſtructam, auctor præſtantis naturæ, usquequaque dimiſit. Ea inter abſentes faciebat præſentia, quæcunque publicis ſemel auſpiciis, ullibi terrarum emicuiſſent: ut vel hinc conſtet, non loco virtutem aut tempore concluſam, ſed diffuſam merito, liberrimo præclariſſimoque cognationis non interruptæ genio definiri. Poſſemus hic prolixam illuſtrium nominum ſeriem adornare, viroſque nullo non genere dignationis ac laudis eximios memorare, quorum gratia, amore, cultu, literis frequentabatur Berneggerus. Sed relinquemus iſtas tanquam ſecretas opes ſcriniis Muſæi Berneggeriani: donec Filiis tempeſtivum commodumque videbitur, in paternæ memoriæ peplo, tam ſplendidorum ſeriem titulorum, ſuo arbitrio intexere. Satis interim ad laudem & decus magnificum eſt, quod viri proſapia, loco, munere, doctrina ſummi, hominis pleriſque nunquam viſi, ceteris per eximia bonitatis fideique documenta cogniti, eruditionem & virtutes percolebant. Neque enim doctior quam melior fuit Berneggerus. quem facti ad virtutem mores, ſtudioſusque officiis vitæ animus, in eximium ſolidæ laudis ac boni viri exemplum formaverant. Procul omnis fucus, procul erat ſimulatio. Igitur cum nativa in eo omnia apparerent, plurimum præſtantiæ non apparentis, ad interpretationem judicantium, ſimplicitas & modeſtia recondiderant.

derant. Quæ in eo tam insignes fuerunt, ut prorsus sæculo suo major, prisci candoris pariter & sapientiæ spectaculum renovaret. Quod licet incallidum hodie & umbraticum videatur, maluit populo quam virtuti convitium facere, neque commisit, ut per ipsum quoque ostentatio & species boni moris veræ laudis locum occuparet. Effecit hoc institutum, ut mortalibus officia diligenter præstanda, Deo animum bona fide dicandum judicaret. ad hunc enim omnia referenda, inde vires operi & successus & normam petenda, nulli negligentius credunt, quam quibus ingenium aut ars sua non ad voluptatem modo, sed ad speciem placere potuit. Hinc & societati humanæ labes accessit: cui nemo recte studet, nisi qui Dei causa hoc agit. In cujus perpetuo non conspectu magis, quam reverentia agentes, fas est loqui aperte, amice sentire, consulere utiliter, juvare strenue, id est, quid aliud, quam Berneggerum imitari? qui neminis vel postulata elusit, vel vota moratus est, vel spem fefellit. Aliena negotia, ut sua procuravit: quorum cum plurima, pudore recusandi homo facillimus suscepisset, factum est aliquando, ut suo dispendio pollicitandi comitatem sibi luendam existimaret. præsertim juventutis studiosæ desideriis, sicut antea dixi, sine exceptione deditus. hujus, auctoritate & consilio magister, dilectione parens, officio amicus, civilitate commilito erat. Adventantes humanitatis primo, mox eruditionis suæ implebat; neque facilius conciliantur animi, aut efficacius retinentur. Nulla tristitiæ, nulla fastidii adversus quemquam, in ore, in voce, in gestu indicia: quæ vel ad suspicionem curiosos, vel ad conjecturam delicatos perducerent. Tanta autem in omni actu suavitas, ut ad amorem quosvis; prudentiores, etiam ad observantiam imbueret. Colloquia sua tam accinctæ attentionis judicio dispensabat, ut ambiguum relinqueret peritis, plusne doctrinæ, an prudentiæ, an bonitatis haberet, quod audiverant. Sententiam de aliis cautius an moderatius tulerit haud dixerim: rem in primis religiosam ratus, deprimere famam alterius, aut extollere:

nisi quod in hanc partem levius peccatur. Ut enim quisque est vir optimus & doctissimus, ita alios sibi facilius anteponit, aut æquius cum ceteris componit. Ergo minime probabat usitatum, inter doctos quoque, morem, quo ex uno forte delicto literario, statim de existimatione hominis, censoria tyrannide pronuntiatur: iisque furoribus libri nunc, & nullo magis quam æquitate nobilia humanitatis studia, in ominosam publice rabiem efferantur. Eruit aliquis longa commentatione, quod alius extemporali studio minus accurate expressit? causa dicta est, sententia lata: actor reum, novo more, condemnavit, ut ineptum, ut indoctum. Suppeditavit illi Manuscriptus codex aliquid planius, quam hujus conjectura olim divinavit: nihil obstabit, quo minus puer virum, tyro veteranum palam traducat. Denique non sufficit, disquirere, disputare, dissentire, judicare: tanquam inter lanionam, aut, si quæ magis commaculata plebs est, globos, rixis & obscœnis contumeliis res geritur. Berneggerus ne ad severitatem quidem verborum progressus est: quod rationis hoc negotium, non certaminis esse diceret. illam, ubi vera allata sit, pro se & adversum alios satis jam valere: incertam vero ac conjectura tantum nixam, aut mutua libertate contentam, aut mutuo metu, tranquillam esse debere. Sciebat præterea, partitim mortalibus, ut cetera, sic eruditionis laudem datam: in alio igitur copiam scientiæ, in alio dicendi elegantiam, in quibusdam judicii gravitatem, in ceteris industriam & fidem suo ornabat elogio. neque ignorari interim poterat, quam callidi essent suarum imbecillitatum dissimulatores, & bonorum simulatores, qui nullius rei ignorantiam profiterentur. quo fieri solet, ut simplicior fors alius, non statim reperiatur deterior. injuriam denique eruditionis fore, si ad unum omnia exemplum tam rigide exigantur, ut nullus inter poëtas locus Ennii ingenio, aut Lucretii sapientiæ relinquatur; ut ex oratoribus Cato proscribatur, aut Crassus; quod uterque infra Ciceronis eloquentiam substitit. prope est ut ineptum

&

& humanioris vitæ societati prægravem dicam, qui hac scabie tenetur, qua foris gentium odia provocantur, domi collegia & publicarum utilitatum conturbantur munia. quibus concordia, æquitate, facilitate nunquam defuit Berneggerus. cui pro amico erat, quicunque publico pro sua virili inserviret. Interiorem familiaritatem sicut cauto dilectu admittebat, ita officiis, supra quam credi potest, fidelibus, atque constantia inviolabili conservabat. Beneficus adversum omnes & animose liberalis. cujus rei documenta plurima & maxima superiorum temporum sævitiæ opposuit: tanquam parens quidam ac nutritius tot exulum, tot mendicantium: quorum aliquando multa millia in nostram civitatem, depletæ latissima devastatione circum regiones, ut in unicum atque extremum afflicti ac pæne extincti spiritus receptaculum, infuderant. satisque constat, eum extremis temporibus, licet rem familiarem fortunæ publicæ inopia non parum premeret, tertiam salarii partem pauperibus erogasse. confirmaverat in eo hanc voluntatem, præter comitatem innatam, communis Patriæ miseratio. cujus inauditas calamitates, consecratus publicis curis animus, non potuit insuper habere, aut parca manu juvare. Honestissimum quippe jacturæ genus est, imo ex conditione temporis lucrum, necessitatum suarum parte carere, ne alii omnibus careant: mitigatque, quod intolerabile videtur, victrix adversitatum constantia & animi magnitudo. Qua egregie munitus fuit Noster. Duo enim illa, plane supra exempla veterum, supra humani propositi fidem in eo licuit admirari: Industriam laborisque assiduitatem portenti simillimam; & invicti ad omnia fortunæ tela roboris patientiam. Fallor an per multas duræ sortis vices exercendo homini inter principia nascendi illam tam rari exempli firmitudinem, fatorum industria circumdedit: qua longe plus valeret, quam fictitio Deorum opere clypeati, quos gentilitas heroës jactat. Luctari cœpit cum adversis rebus, sub initium adolescentiæ, paterni ob religionis veritatem indicti exilii damnorumque pars & co-

mes. comprehenderat illum is casus alienissimo tempore: cum instincta Argentoratensi disciplina studia ejus inprimis fervèrent, atque festinarent. igitur quem nulla difficultas retentare, nulla potuisset abstrahere solicitatio, pietas erga parentes morata est. ad quos maturato itinere feliciter pervectus, utilitatibus eorum, quam debebat, operam dedit. Reversus ad solenne virtutis suæ stadium, cum inclaresceret subinde, non potuit invidiam effugere. Quæ atrocius etiam in virum, & publico admotum, consurrexit. scilicet non æmuli, non maledici, non iniqui desunt magnis viris: neque certius ingentis meriti indicium, quam odium & obtrectatores. quorum ope præcipuus hostis publici egregii diabolus, virtutum ac bonarum rerum efficaciam nititur intervertere. Atque ne quid uspiam reliqui fieret, quod ad tentandam viri magnanimitatem pertineret, etiam cum monstris, ut Hercules, luctandum habuit: exortusque in Apollinem Marsyas, inquinatissimi sine exemplo oris vecordiam, non quidem cutis detractione, ut est in fabulis, aut reste, cujus candidatos probris æmulabatur, sed æterna ad omnem posteritatem luet infamia. Accedebant valetudines neque paucæ, neque modicæ: donec ante hos quatuor annos, exhaustum diuturna laboris curarumque vexatione corpus, morbis confertim incumbentibus cessit, lectumque pro musæo deinceps plerumque habere vir diligentissimus coactus fuit. Verum tantas hominis molestias multa interstinguebant prospera: quasi & illæ in experimentum virtutis, & hæc in præmium, ex æquo dispensarentur. Nam & admiratio eruditionis, publice nobilem; & officia, plerisque maximis viris carum; & delati quos Academia usurpat honores cuncti, venerabilem reddidere. Multis ad magnam pace belloque claritudinem princeps extitit: multos à paupertate, periculo, errore vindicatos, gratiæ vinculo sibi obstrictos numeravit. Juventutis benevolentia semper & inter primos floruit: cujus & magnam partem sola nominis sui celebritate huc excivit. Copiosissimi autem ad omne doctrinæ genus instrumenti auctorem, verissima prædicatione posteritas colet. cujus

jus felicitatis complementum ex provisis generi in rempublicam literariam artibus, & ostensis in familia subsidiis, sane quam luculentum, par est intelligi. Inter quæ conjunx, qualis, ut semel dicam, vel levamento vel adjumento viri tam serio occupati conveniebat: filiorum major natu, vivo parente, publici honore muneris ac inito prospere matrimonio conspicuus; ceteri egregiæ spei non capaces modo, sed feraces: filiarum altera, maternæ bonitatis exemplar, auspicatissime elocata; altera, per signatum tam pulcre domesticis virtutibus tramitem ad ipsam muliebris decoris metam processura, non vulgaris fortunæ nomina sunt. Quorum reputatio multas ægritudinum acerbitates mitigavit apud Nostrum. qui & illud inter prosperitatis suæ elogia, subinde invisentibus commemorabat: quod pertinacis morbi malignitas nec constantiam uxoris piissimæ ac officia, nec fidem medici ac industriam fatigasset. Erat is Nobilissimus noster *Sebizius*: cujus felicissimæ dexteritati cessisset haud dubie malum, si humanis artibus quicquam ultimi vicinitas fati reliquisset. Deficientibus igitur indies viribus, quæ natura jam negabat rerum agendarum instrumenta, nullo defectura momento virtus subministrabat & inexpugnabilis morbo animus. itaque legebat, respondebat, dictabat, anagnosten audiebat: vicissitudine laboris & mutatione, tanquam medicamento utebatur. Quod si inter hæc paululum a doloribus respirare licuit, generosa carcerem suum fuga ultus, in mediam immortalitatis æternique operis officinam ad sueta munia properabat: juventutem sibi, se juventuti vindicans. quam, ubi rursum, velut in certamine, morbus prævaluisset, vel domi suæ docebat, vel exportatus vehiculo, in campi apertis & re præsenti, Geometricas demonstrationes exsequebatur. Hæc enim ultima maximi Præceptoris disciplina fuit: tum aliorum, tum vel præcipue Celsissimi & ad omnem fastigii sui laudem lætissima virtutis indole efflorescentis Principis, *Sylvii Nimrodi Würtembergici*, quo & auditore, in Tacito, utebatur, desiderio data. In his curis extingui gloriosum & clarissimi

ſimi cujusque veterum votis celebratum erat: niſi quod imbuto Chriſti diſciplina animo, nihil ſine Chriſto vel ad gloriam inſigne, vel ad mortem beatum poteſt videri. Hujus ut perpetua, ita poſtrema in terris, ſupra terras memoria, non tam finit mortalitatem, quam æternitatem inchoat: neque interitum viventis comitatur, ſed victuri perpetuat ſolatia. Quorum pignus & fides, ineffabile corporis ac ſanguinis Dominici ſacramentum, Berneggero, ad ſanctiſſimæ religionis, cujus olim profeſſione, nunc fructu gaudet, ſupremas metas tendenti, vires & animos & vitales in morte delicias inſpirabat. Quarum penitus compotem pro Argentoratenſis dignitate civitatis, cælorum domicilium; pro cathedra profeſſoria, thronus regalis ſacerdotii; pro amplexu neceſſitudinum, brachia Redemtoris & ter maximi Numinis ſinus excepere. Atque ita, qui tot gentium linguis mortalibus utilia loquebatur, nunc Angelicis vocibus immortalem Dei gloriam concelebrat: qui Prudentiæ arcana è profundo temporum eruebat, nunc arcanorum fontes in immenſa æternitate haurit: qui favore bonorum, judiciis florebat doctorum; nunc ſanctiſſimis cælitum ſapientiſſimisque fruitur conſortiis: qui artium & ſcientiarum attigerat culmina; nunc ſublime diſcit & ſalutare novæ eruditionis rudimentum, *quod in terris nihil ſciatur*: denique ſidus illud humanarum laudum ac ſplendor, à radiis infiniti Solis veram & perpetuam lucem mutuatur. Balbutientis hæc verba ſunt: dum creſcente argumento, exundans in ſperata nobis gaudia cogitatio, præpeditam ſuapte imbellia vocem ultro abſumit. Itaque ad vos revertor, Auditores Optimi, quorum animis (ut in cantorum turba, qui præcinit, cæteris perſonandum relinquit, quod vocis exordio prælibatum eſt) rectiſſime commendavero, quicquid ad laudem viri & præclaras recordationes perorandum ſupereſt. Vobis enim non affectus in ſalutem publicam deeſt, ut quantum illa amiſerit, docendi; aut quantum ejusmodi jactura doloris mereatur, ſitis excitandi. Quod ſi autem apud veſtras aures amplius loquendum mihi intel-

tellexero, ut cum generosis, fortius agam, & quæcunque extincta tanto casu videri aut ademta solent, nullo unquam tempore, vel inter æterna hujus urbis decora extingui, vel utilitatibus publicis adimi posse ostendam. Habet hoc illustrium virorum claritudo, ut non perpetua minus quam gloriosa, ævum pariter ac spacia orbis emetiatur, tam ignara coërceri mortalibus induviis, quam dedignans exuviis commori. Attollitur fatalibus incrementis Reipublicæ hujus celebritas: atque, ne quid ad emendatissimi moris disciplinam, ad consiliorum felicissimorum gravitatem, ad civilem, quæ nescio quibus locis & hominibus propria credebatur, peritiam hactenus deesset, tum civium, auspiciis fortunæ suæ obsequentium, industria; tum præclarissimorum ingeniorum varia virtus atque diversarum merita artium effecere. Quod autem earum litterarum cultu, in quibus ad fastigium aliquid superesse, difficulter credebant, qui cupiebant soli eminere, venerabilis esse Argentina incipit, unius Berneggeri munus est. tanto illud quidem nobilius & suavius, quanto cultiorem orbis partem necessitudine quadam nobis conciliat. Quotiescunque enim, qui ubique sunt & semper erunt, docti ac boni, quantum huic viro debeatur, memorabunt, toties in partem gratiæ & famæ Argentoratum veniet: neque jam opere & altitudine admiranda turris, præ eruditionis Berneggerianæ apice; vel horologii mathematice structi artificium, præ summi scientia mathematici; vel ubertas soli & amœnitas, præ deliciis, quarum jucunditas fructusque ad omnes terræ angulos pertingit, publico sermone prædicabitur. Aude tandem tuis temporibus favere, civitas nobilissima: nec despectos patere, qui tuo honori se ac sua impendunt. Nihil hic in utramque partem sine magnis auspiciis geritur: atque, ut studia sapientiæ eorumque professores florentis reipublicæ non indicium modo, quod nec vulgus nescit, sed pignus sunt, cujus custodia publicis fatis longe propius est innexa, quam Palladii imaguncula, aut vigil perpetuo flamma, aut lapsa cælo scuta, Romanorum statum credebantur susten-

ſtentare: ſic contemtus tam arcani boni neglectusque, id eſt, perpetuum felicitatis & copiæ malum, ea portendit, quorum etiam vocabulis in hoc conſeſſu mihi abſtinendum cenſeo. Cum Athenienſes decus ſuum & lumen Solonem, clamitarent, inſanire: mox everſione libertatis & ſtatus, quid tam dirum ſibi præſagium vellet, cognitum eſt. Neque plura nunc adduco: quippe qui læta potius & fauſta omnia in perpetuum malim ominari. Quid enim non polliceamur nobis, de auguſti Senatus prudentia, de nobiliſſimorum Scholarcharum cura, de bonorum civium voluntate? Nam noſtri ordinis homines (ſimpliciter agam & citra arrogantiam) hactenus vitæ fortunarumque ſecuri omnium, in publica vota laborant, ſudant, vigilant, & aliquando non mollius quam agunt, patiuntur. Sed & in poſteritatis hortamenta ac æmulationem, ſi alia deſint, Berneggeri exemplum ibit. cujus nulla vitæ pars egregii operis laude vacat. Igitur cum perennis famæ gloria, quæ, ut ab initio ajebamus, infantiam noſtram interim ſolatur, mox ſupplebit, virum ſingularis ingenii, incredibilis ſtudii, rectiſſimi moris, optimarum artium principem, ſæculi ſive politi ſplendorem, ſive politioris auctorem, efficacis naturæ dicam, an copioſæ virtutis oſtentum, admirationi omnium ac venerationi exponet, ſumma felicis memoriæ in amorem publicum & *Boni communis* cognomentum deſinet. Quod non meritorum modo apud univerſos dignatione, ſed officiorum in ſingulos abundantia eximium, longe ſupra divinitatem & conſecrationes ambitionis, ſupra titulos & ingenium adulationis, ſupra conatus artis & figmenta, in ſimplicitatis quodam delubro dedicatum, nulli ætati, nulli hominum ordini vel ignorabitur vel invidebitur. Nam cetera, quibus famam placare aut inflare ſolent, quos adverſum aſpernationes aliorum & blanditias, nulla cauſæ aut ſui fiducia communivit, nullum hic locum habent: ubi cordatæ poſterorum libertati, ſine fuco & ambitu, omne prorſus judicium tranſſcribitur. Interim quod Academici Patres, quorum aliqui Berneggero Præceptore, quidam intimo amico,

amico, omnes collegæ usi sunt, desideria sua testantur: quod juventus mœsta, luctum ob erepta sibi tot præsidia, tot delicias, recordationibus defuncti emollire quodammodo & egerere perseverat: quod nec humanitatis monumenta publice, nec privatim pietatis officia, finem inveniunt aut admittunt, ad superstitum potius munia, quam defuncti honorem referendum est. Cui licet tum doctissimorum præconiis, tum optimorum testimoniis, justa ubique & semper celebrentur, plus erit, quod ex se ad sui æternitatem conferet, abunde sibi sufficiens, nomen & meritum MATTHIÆ BERNEGGERI. De quo, dum pietatis professio spectatur, hactenus loquor non sine plena fiducia, si ultra, & ad laudes eundum est, reverentius egero, si plane conticescam.



X.

ORATIO SÆCULARIS,

habita

publico nomine, anno cIↄ Iↄ cxxxviii.

Jubilæo Scholarum Argentoratensium.

Generosissimi Domini Comites & Baro, Eminentissimi Scholarchæ, Amplissime Consiliarie, Magnifice Rector, Spectabiles Decani, Excellentissimi Clarissimique JCti & Medici, Reverendi Ecclesiastæ, humanissimi Curiarum moderatores, Nobilissimi, florentissimi, ornatissimique Auditores ceteri.

QUod & majoribus nostris, recordatione nobilis incepti, gloriosum: & posteris, si qui erunt, exemplo pietatis sit salubre; fata Argentoratensis Scholæ, ab ipsis, ut sic dicam, incunabulis, per varias Sapientiæ velut ætates ac studiorum auctus, sæculari decursu

ad nostri temporis gaudium propagata; festivis vocibus, festivis animis, coram Deo, festivitatis, qualem nec vidit nostrum quisquam, nec videbit, auctore, rite meditaturi, solennem hunc locum frequente congressu implevimus. Dicenda sunt, quæ nunquam sunt dicta, ut semper dicantur. Memorandus est unus annus, ne centum taceantur: imo centum repetendi sunt, ne unius felicitas ignoretur. Quod superiores sibi pariter ac nobis ætates optavere, quod nos post futuris optamus sæculis; ejus voti vel finem vel initium, complementum vel specimen, prout respicere juvat aut prospicere, hodiernus dies dedisse putandus est aut daturus esse. Quo, sicut non una nos salus beavit; ita non unius curæ circumstat difficultas. Sive enim, quod nobis lætitia publica imposuit, officium spectamus, loquendum erat, pro dignitate incomparabilis festi, magnifice; pro circulo perfecti temporis, accurate. Sane nec solus videtur peccare, qui in communi causa peccat; nec ullo potest sæculo deleri aut corrigi, quod singulis tantum sæculis admitti potest. Sive eos cogitamus, qui non potuerunt, quæ ante nos nobiscum voluerunt: supplenda erat & religio, quæ gravissima; & facultas repræsentanda, quæ futura haud dubie maxima intelligitur fuisse. Sed & ventura dies vix erit ut nos absolvat, si dandi potius quam accipiendi exempli, seu mentem seu causam sibi relictam esse judicabit. Inter hæc pericula destituto Oratori vel timido vel ambitioso, quanta trepidandi, tergiversandi, excusandi, deprecandi materies exoriretur; nemo est, quin mente secum veluti per imaginem ex re præsenti queat peragere. Nam si res tota dictis exæquanda est, nemo fortasse hoc implere argumentum poterit: si laus eloquentiæ à fastidiosis hodiernæ censuræ judiciis speranda est, fortasse nemo audebit. Ego, Auditores, quo minus vanitate hujus aut spei aut metus movear; præter consuetudinem & institutum quoddam naturæ, conspectum hunc vestrum, & in eo venerabile illud publicæ auctoritatis instar, pro munimento mihi datum prorsus intelligo. Caput gloriæ & summam, vobis obsequi; vobis confidere, securitatis præcipuum semper existimavi. Sed & levis est

jactu-

jactura, quantum ad religionem nostri instituti pertinet, si desit aliquid orationi, quam solus sustineo: cum nihil deesse animorum commentationi possit, quam omnes suscepere. Denique quicquid in nobis displicere potest, placitura omnibus materia facile pensabit. Quam neque per Parnassos, Pindos, Heliconas; neque per Apollines, Minervas, aut quicquid deorum dearumve augusto studiorum nomini vetus superstitio circumposuit, vobis conciliabo: Matrem vestram, eandemque Filiam, Amicam, sociam; decus vestrum & voluptatem, gemmam Reipublicæ, splendorem terrarum; domum sapientiæ, sedem humanitatis, magistram felicitatis, non ficto titulorum honore præfero. Vel, si simplicissimo pariter ac divinissimo nomine utendum, Schola est. hæc ad vos procedit, hæc conventum sibi hunc dari petit: hæc aures vestras mentesque, memorabilis magnique diei præmio paciscitur. Res nec auditas huic ævo, nec audiendas allatura, cupit suo animo, cupit vestro, satisfacere. quem ut non uno sibi nomine deditum satis novit, ita variæ comitatis obsequio vicem reddiitura, jam nunc omnes in mutuos amplexus provocat & officia: quorum hodie tam optatam occasionem obvenisse, publicis privatisque desideriis in ipso limine gratulatur. Agite ergo quicunque cordatum ad hæc sacra animum attulistis, efficite, ut per quatuor sæcularis matronæ ætates euntibus (tot enim non curiosa numerorum æqualitas, sed insignes incrementorum gradus constituunt) ipsa nostra pietas, ipsum testandæ gratiæ studium augeri, & ad robur quoddam ascendere videatur. Interim venia suscepto debebitur operi, si ad tam sollennes cærimonias quadam compendiarii ambitus veneratione imbuamini. Præcipuam operum humanorum vim in animo esse, ejusque iccirco culturam vitæ potissimum conducere, gentium pleræque jam olim consensere. Sed nitebantur maximam partem via vel abrupta, vel obliqua. Qui enim bellorum peritiam & discrimina hoc fine petebant, rem tanto pretio minime emendam assecuti sunt; ut & morem ipsi humanum exuerent, & publicam felicitatem, quæ pacis comes est, exemplo armorum corrumperent. Jam qui artificiis varie excogitatis aut pastum juvare,

aut levare negotia, aut supellectilem aggressi sunt ornare: illi nec animum supra corpus valde extulisse, & huic potius quam illi studuisse queant videri. Rectiore sunt usi consilio, qui virtutem unicum mentis humanæ bonum arbitrati, hujus adipiscendæ gratia de sapientia primum, mox de sapientiæ studio, denique de certa studii ratione serio cœperunt cogitare. Verum hæc diligentia erravit aliquando in agris, nonnunquam latitavit in sylvis, aut habitavit in casa: est cum sordido involuta pallio, lucem fugeret: est cum infantiæ suæ vel fletu immodico, vel risu notas daret. donec paulatim adolescentior convenit in domos, elegit familias, fecit cœtus; intravit oppida, ædificavit auditoria, & benignissima libertate, vitam mortalium ingenuis artibus erudivit. Hæc origo scholarum & nativitas vulgo celebratur. Quarum splendor ac frequentia diutissime Orientem beavit. Proxima Meridiani sors est. his magistris proficere postea Occidens visus. ultima Septentrionem, sed ea copiosissima felicitas respexit. Germania certe nostra & antiquitus inscitiæ nomine infamis, & ante ducentos scilicet annos, vehementer illiterata, nunc tot ferme scholas, quot oppida, numerat. Quæ sane res tum ceteros, qui hoc à divina manu donum accepere, tum augustam hanc Urbem, gratissimæ pietatis debet implere. Quot enim sunt & quanta beneficia, quorum hic annus, quem ab exortu scholæ nostræ centesimum, non tam numeri perfectione, quam fastigii colimus, vel fecit nos conscios, vel facere debet memores? Quanquam nec ante hoc sæculum literatis penitus caruit institutionibus nostra civitas; cujus ut sunt pleraque æternitate dignissima; ita nescio quo fato multa minus liquidò ad nos pervenerunt. Primum licuit reperire, qui juventutem (præter vernaculas educationes, quas mature arbitror cœpisse) litteris imbuit, Ottonem Brunfelsium; hic antequam de Monacho medicus fieret, in Cœnobio Carmelitarum, anno quem à Servatoris nostri adventu cIↃ IↃ XIX. Christiani numeravere, ludum instituit. Nam quæ de septem in Franciscanorum monasterio classibus, mentio rerum Alsaticarum compilationi est inserta, neque temporis, neque ullius præ-

præterea rei habet indicium. Clariora ſunt, quæ clariſſimam in omne ævum memoriam prorogare debebant, rei ſcholaſticæ Argentoratenſis veriſſimo auctori, proviſori, amplificatori Martino Bucero. Ad hunc enim virum, Lutheri ſpiritu exemploque in fatales maximarum rerum curas animatum, pertinere, quicquid felicitatis hodie commendamus, ipſi quoque, ſi viverent, confirmarent, quorum & mox in orationibus noſtris magnifica,& deinceps in mentibus perennis merito extabit celebratio. Ille cum apud ſe graviter expendiſſet,quantum & renaſcenti eccleſiæ, & Reipublicæ creſcenti, bonæ ſpei adeſſet per divina omina, quantum abeſſet per literarum inopiam virium, magno animo utriusq; bonum publice adornatis honeſtiſſimarum artium officinis ſibi promovendum duxit.Igitur adjutorem nactus Wolffgangum Fabricium Capitonem, literis Græcis Hebraicisque eximie doctum, juventutis ſtudia æmulaturæ cœtus duos collegit. Quorum uni in Dominicanorum, quos vocabant, ſeu Prædicatorum collegio præfectus Joannes Sapidus, Seleſtatinæ, id eſt, patriæ ſcholæ pridem adminiſtratione cognitus: altera inſtitutio ad D. Thomæ ampliori moderatione, & disciplina gaudebat uberiore. Illic Sapidus adminiculante ὑποδιδασκάλου cuiusdam (proviſorem vulgo dixere) opera, linguarum cognitione ad humaniores artes puerorum animos præparabat: hic veluti per gradus Latina, Petrus Daſypodius; Græca, Iacobus Bedrottus; Hebraica, Georgius Caſelius, cujus partes poſtea Michaël Delius ſuſcepit; Mathematica Chriſtianus Herlinus; ſacrorum vero rudimenta, cum cura docebant Capito, Bucerus, & ſocia hactenus inſtauratæ religionis induſtria denuo monſtratus, Caſparus Hedio. Matthiam Zellium, memorabile inter primos veritatis religioſæ propugnatores nomen, neque tum neque poſtea in ſcholis verſatum invenio. quem tamen, cum Junius laudatis modo auctoribus ſocium dederit, de conſilio hortatuque viri graviſſimi non eſt quod dubitemus. Duraverat jam Bucerianum inſtitutum annis admodum decem, à ſæculi ante nominati ſexto & vigeſimo numerandis, cum novus emerſit ad D. Petri ſenioris ludus. non debet enim gratiam præclaræ volunta-

tis perdere & laboris impigri Ioannes Suebelius; ex collega Sapidi, mox imitator. Vidi deſcriptam ſcholarum præfectis, quam uſurpauit, Henrico Zellio adjutore, docendi rationem: quæ & ſtudium tam ſtrenuorum temporum, & ſolertiam exercitati magiſtri, jucunda mihi cogitatione inſinuabat. Ita enim eſt, Auditores: cum principia hæc intueor, occulto quodam gravitatis ſenſu pertentari animum, & aſſurgere deprehendo. Id quod alias adeo contra fit, ut facundiſſimus ſcriptor jam olim timuerit, *primas operis ſui origines proximaque originibus minus præbitura voluptatis plerisque legentium* eſſe: quorum ad nova ſcilicet & magna, vitio humani ingenii, propendet cupiditas. Atqui & maxima nobis merito videri debent, ſine quibus ad nihil magnum perveniſſemus; & cauſſarum abunde eſt, cur venerabundæ reputationis noſtræ publicum hic edamus teſtimonium. Quam enim illud lætum, quam ominis auguſti plenum, quod in idem tempus reſtituta pietas & inſtituta eruditio conveniunt: quod eosdem ſchola præfert auctores, quos eccleſia patres agnoſcit. Quarum ut mutuas eſſe operas fatentur plures quam intelligunt: ita venerabile hoc & ſacrum pignus ſocietatis, amicitiæ, ſtudii, laboris, utrique ordini fataliter datum, ac, quod ſine ſuperſtitione dico, cum occulta publicæ ſalutis teſſera cuſtodiendum, lubentes, amplectimur, & (Deus faxit) ſemper amplectemur. Cœperat in Saxonia Lutherus religionem, Melanchton ſcholas repurgare: inuſitatæ res utraque & difficultatis erat & fortitudinis: ſed deſtinata heroibus & heroicis conatibus ætas, hic illic ſuppares, atque inter primos, Argentoratenſem Bucerum invenit, ac poſtea Sturmium. Quos ut inter patriæ noſtræ titulos oſtentemus, meritorum obtinemus jure: non immemores interim, quantum Buceri, Rhenani, Sapidi nomine, Seleſtadium; quantum Sleida Sturmii Sleidanique celebritate inſtauratis literis queant imputare. Igitur acta quidem res ſumma contentione, excitato ardore, ſociata fide. quaſi uno exemplo omnes in poſterum docendi eſſent, quam nihil otioſum eſſe debeat in tractatione litterarum, quam nihil remiſſum, in condenda publice diſciplina. Aderant ubique, inſta-

ſtabant; collegas conſilio, juventutem auctoritate ad beatioris ſæculi curam advertebant. Quod cum pulcre quidem, tardius tamen quam pro voto ſuccederet, Bucerus aſſuetam ſibi cauſſam, majoris patroni ope attollendam ratus, ornatiſſimæ nobilitatis virum Jacobum Sturmium adit. diu ſibi diſpectam veniſſe occaſionem ait, qua pulcerrimi decoris gloriam, ſcholarum amplificatione reſpublica poſſet obtinere. Agere in Academia Pariſienſi Joannem Sturmium; cujus conſummata in litteris eruditio, & in omni ſcholaſtica re ſtudium, quin poſſet Argentoratum traduci, ex urbe crudeliter id temporis ſuperſtitioſa, nihil ſe dubitare. Accederet modo ſenatus auctoritas & evocatio: cui ſuam quoque, ſi qua eſſe poſſet, operam non defuturam. Idem jam ſuaſiſſe ac promiſiſſe Eraſmum Epiſcopum Urbis, & Ludovicum Carinum: quorum petitioni nihil illum, de quo ſermo eſſet, negare poſſe. Jacobum Sturmium & ſemper alias eximia ſingularis genii dexteritas ad profutura poſteris conſilia inſtituebat, & tum lætiſſimæ approbationis plenus, omnem ſecutæ felicitatis imaginem animo præſagiente figuravit. Itaque conſentiente mox ſenatu, conſultorum opera, Prætoris inquam & Buceri, anno cIɔ Iɔ xxxvII. invitatur, & ſequentis initio venit Joannes Sturmius. Tantum hoſpitem, & deinceps ex hoſpite parentem, nunc quoque gratulabunda excipe, juventus literata. hic eſt ille, cujus ingenio non minimam ſplendoris ſui partem Reſpublica, celebritatis ſuæ ſchola, utilitatum ſuatum plurimæ nationes debent. hic eſt ille, cujus conſilium ita Argentorato conditione præſentiæ proprium fuit, ut orbi univerſo perfectione ſapientiæ eſſet commune. Quod cum in ædibus primum Bucerianis, hoc eſt in hoſpitio ſuo, maximis ſalutatoribus Jacobo illi Sturmio, Nicolao Cnibſio, Jacobo Mejero, (hi ſtudiorum cauſſam Senatu mandante ſuſceperant) tum Matthiæ Pharrero ediſſereret, nemo fuit, qui non de meliore conſtituendi ludi ratione & edoctus ſatis, & abunde exhilaratus, inter approbationes gratulationesque diſceſſit. Inde relata res ad ſenatum facile perfecit, ut SCtum nonis Martiis fieret, quo Scholarchis cura tam ardui negotii, & poteſtas pro-

promovendæ novæ disciplinæ permittebatur. cujus saluberrimæ rationes, ut scientiæ publicæ judiciisque clarius commendarentur, edito *de litterarum ludis recte aperiendis* libro omnis doctrinæ disciplinæque species ac forma, cum studiorum præsidiis ac utilitatibus, à Sturmio est descripta. Atque ita rebus probe deliberatis, eodem anno feliciter contractæ, quas in urbem varia præceptorum conditio dispersérat, scholæ sunt: novumque Juventuti Religione Christiana et Disciplinis Instituendæ Ludum, in contigua nobis, quæ à Dominicanis olim monachis nomen habuit, sede, S. P. Q. Argentoratensis Fieri Fecit. Ex hoc tempore Argentina novos in annalibus titulos sortita, & laudatæ antea integritatis gloriam cumulavit, & laudandæ deinceps constantiæ omen præbuit. Describebantur primo teneri cives in curias novem, singulis magistris tanquam moderatoribus commissas: nisi quod infima duobus visa indigere. Ad has deductus quinque aut sex septemve annorum puer, cum quotannis in superiorum tribum adsciscere-tur, latine græceque doctus, tum artis dicendi disserendique compos, post novem annos expletos, publicis auscultationibus (hæ alteram constituebant scholæ partem) ita utebatur, ut septem Professorum ope non Logicas tantum, quas vocant, artes, Grammaticam, Rhetoricam, Dialecticam, Historiam, Poëtas, cum Mathesi, sed altiores etiam scientias, Theologiam, Jurisprudentiam, Medicinam, intra quinquennium, partim excolere plenius atque exercere; partim eatenus addiscere, ut in posterum magistro non indigeret, potuerit. Maturuere cum ipsa ætate studia, æquatique annis profectus pulcerrima connexione suis incrementis congruebant. Classium inferiores, memoriam; judicium, mediæ; duæ superiores, culturam utriusque, repetendo concoquendoque disciplinam ceterarum spectabant. Doctrinam exercitatio roborabat: exercitationem doctrina provocabat: utramque industriæ varietas absolvebat. Pueritiam ingenui pudoris plenam, classium moderatio; adolescentiam à licentiæ studio gravitas publicæ disciplinæ, sanctarumq; reverentia legum continebat. Denique, ut pie-

ut pietas christiana, ſynceritate incorrupta, ſapientia locuples, eruditione venerabilis, oratione robuſta, publice valeſceret, ſummo ſtudio proviſa erant omnia atque ordinata. Hæc prima ætas viris & laboribus glorioſe ſtrenua *brevi ſic effloruit, ut*, quod Hiſtoricus * noſter annotavit, *non ſolum extremi Germani, ſed extera quoque nationes huc confluerent.* Nobile ſpectaculum! In ſcholæ Argentinenſis curias, florem ipſum juventutis ex illuſtriſſimis Principum familiis, ex Comitibus, ex Nobilibus, ex omni hominum terrarumque genere, ad inſtar litterati orbis, certamen quoddam generoſæ mentis contraxerat. Quid Gallus, Danus, Hungarus, Bohemus, Moravus, Polonus, Anglus, Scotus, Suecus in litteris poſſet; quæ ingeniorum ubique naſcentium vel felicitas vel varietas eſſet, locuples & jucunda cum noſtratibus contentio monſtrabat. nihil pulcrius, quam in opere conſpici: nihil optatius, quam feſtinantes antevertere; exercentes ſtudio, majores conatu, celebres laude, induſtrios præmio ſuperare. Cujus rei tum perpetua in claſſibus exempla, per varias artes Præceptorum ſolertia incitavit; tum examina, vel bis per ſeptem inferiores, vel ſemel per omnes curias quotannis celebrari ſolita ultro ſuppeditabant. Præſertim, cum ſub vernum tempus (quem adhuc cum fructu morem uſurpamus) diſpoſita in agmen amabilis pubes, in conſpectum ſcholaſtici Magiſtratus producebatur: ut hauſtam ex illius vultu ac reverentia alacritatem, inſpectanti honoratiſſimo ampliſſimoq; cœtui approbaret: ut audiretur, ut appellaretur, ut donaretur, ut præmia ſua, & præmiorum cauſſas, ſedulitatem & ſedulitatis invitamenta, inter gratulantia ora & pios cantus, & bonas ſpes, civitatis conſcientiæ, modeſta quadam gloria imputaret. Nec de publicis exercitationibus, ac editis præclare monumentis jam quicquam dico: quibus quanta debeatur celebritas, rectiſſime æſtimabit, qui clariſſima ejus temporis nomina Buceros, Capitones, Hediones, Fagios, Martyres, Zanchios, Vogleros, Balduinos, Hottomannos, Tuppios, Maſſarios, Erythræos, Daſypodios, Beutheros, Tremellios, B[illegible]ottos, Sapidos, cogitaverit. Sed difficilius eſt ſcholas feliciter adminiſtrare, quam præclare conſtituere. conſi-

* *Sleid.* 12. *comm.*

lio ordinantur, providentia & labore continentur. Rem miseram loquor, sed veram: quo præstantioribus institutis coaluere, eo faciliori corruptione tentantur. Cujus vel ideo noxa infestior, quia occulte, & per miros tramites istæ labes inoriuntur: usuque hic venit, quod in fidibus ad exactissimam soni concordiam temperatis: ubi cum uno alterove impulsu levissima tenori cantus remissio intercessit, everberatæ statim aures, quarum delicatissimum est judicium, perpetuo reconcinnandi labore fidicinem fatigant. Igitur, quanquam obtigisset scholæ forma, qualem nec viderat Germania, nec æquaverat nobilis eo tempore literarum studiis Gallia, nec provocare ullius gentis audebat industria; quanquam custos hujus formæ, idem qui auctor, cura, provisu, opera ubique, per annos paulo minus triginta advigilaret: deprehensum tamen est, quædam potius obvia tam profundi consilii imitamenta, quam penitiores rationes, & vim ipsam ad usum adferri, atque in docendo retineri. Quod cum inter primos observasset Petrus Sturmius, magno illi Jacobo, ut natalium, sic ingenii, laboris, officii germanitate junctus, stimulum Joanni Sturmio pridem de ea re solicito addidit, ut viginti epistolis, quas ipse Classicas vocat, tum decem curiarum moderatoribus (nam adjecerat unam novem illis ab initio constitutis) tum publicarum Doctoribus disciplinarum, rationis à se institutæ, inoffensam facilitatem, compendiosam ubertatem, præcipue autem solidam omnis scholastici operis tractationem de integro explicaret atque describeret. Quo non contentus, ipse obivit curias, atque, ne adhortatione subtilior quam effectione videretur felicior, expositum diserte consilium, exemplo illustravit. Ea res tristis, quod dixi, fati memoria effodit animos; cujus obiter tamen mentione defungemur. vix unum licet ab illo tempore lustrum invenire, quo non & magistratuum curas, & magistrorum labores, tentatæ vario successu deliberationes & correctiones fatigavere. nec attinet Sturmianas huc querelas, comprehensasque frequentibus scriptis Præceptorum sententias afferre. de nostro enim statu, qualis nunc est, cogitantibus, ubi sic remediorum multitudine labora-

boratur ut olim vitiorum, silentio potius ad operiendum, quam voce ad refricandum opus videtur. Sed tum quidem reddito studiis vigore, diffusa jam in tot terras gloria, Urbi ac posteris conservata est. Neque jam quicquam ad universæ eruditionis laudem, & perfectum scientiarum orbem deerat, præter Imperatoriæ auctoritatis munificentiam. Studiorum namque honores, commoda, immunitates, jura, non sub Theodosio demum & Valentiniano, quorum in Codice Juris laudabilis extat provisio; sed inde ab Augusto, Vespasiano, Trajano, Antoninis, Alexandro, in partem Principalium curarum, augustissima summæ sedis majestas receperat: vel per se, vel delegato optimaribus favore effectura, ut imperium sapientia partum, sapientiæ domiciliis tanquam æternitatis suæ pignoribus, passim exornaretur. Cum ergo Argentoratenses viderent, non minimum scholæ tam illustri incommodum ex eo creari, quod plerique non contenti doctrinæ copia, quam hic consummabant, etiam doctrinæ titulos, quos hic more alibi recepto non inveniebant, quanquam non sine ingenti studiorum & temporis sui dispendio, peregre peterent: expositis Maximiliano II. Imperatori invictissimo, comitia tum in Vindelicorum Augusta habenti, desideriis, tam prolixum experti sunt Cæsareæ benignitatis favorem, ut ad promittendum liberalior Princeps, quam Legatus noster ad accipiendum promtior videretur. *Firmas esse ac ratas* jussit, *leges, quas tulissent hactenus scholasticas, quasque laturi essent: quam ante hac*, Gymnasii *nomine, scholam dixissent, in posterum Academiam haberent. Baccalaureos quoque ac Magistros* (honore à quingentis circiter annis recepto) *crearent. Omnes, quos vel docendi vel discendi officium schola accenseret, jure & antea usitato gauderent, & novis, ad exemplum Heidelbergensis, Tubingensis, Friburgensis, Ingolstadiensis, antiquissimarum in Germania Universitatum, privilegiis fruerentur.* His solenni diplomate perscriptis, eodem anno (erat autem cIↄ Iↄ LXVI.) Sturmio in mandatis datum à senatu, ut confectis Academicis Epistolis, quid prioribus curis in amplificata jam schola accedere posset aut deberet, libere ostenderet. Sed & ceteri paulo post Doctores senten-

bb 2 tiam

riam ſuper omni negotii ſuſcepti tractatique ratione, rogabantur. Quæ cum gravi conſilio proviſa eſſent atque penſitata, omnis veluti Reſpublica Academica, perenni lege conſignata, & manſura monumentorum fide conſecrata eſt. Primum celebritatis auctæ ſpecimen in eo datum, cum Cæſareo beneficio ac jure, Magiſtri publica auctoritate creati ſunt, qui doctrinæ præſtantia ſtrenuos ſe multorum annorum in ſcholis claſſicis publicisque magiſtros probaverant. rationibus de cetero ita ordinatis, ut primus à curiis ad Profeſſorias auſcultationes acceſſus Baccalaureatum; duorum deinceps annorum ſtudium, Magiſterii honorem poſſet mereri. Communicato quippe conſilio, qui Philoſophiam tradebant, operas in hæc ſpatia diſpertiverant, quibus omnes diſciplinæ ex optimis quibusque auctoribus (horum principes Plato & Ariſtoteles erant) abſolverentur. Quæ ratio ipſo uſu ſalubris apparuit: ſatisque conſtat, doctiores fuiſſe, qui induſtria audiendarum lectionum vivam clariſſimorum virorum vocem magiſtram totius ſcientiæ habuere; quam quorum obſcura hodie diligentia domi inter perſuaſiones ſuas hoc ſucceſſu educatur, ut auſcultationes publicas vel ſedulo fugiendo, vel faſtidioſe ac raptim idque ipſum rariſſime obeundo, publica luce ſemper habeatur & ſit indigna. Longe tum alius temporis ſtudiorumque ſplendor; dixiſſes Cæſaream benignitatem omnibus arcanum quoddam gloriæ calcar admoviſſe: tam ſevera contentione de attollenda ſchola, de amplificanda eruditione, de ornanda patria pro ſe quisque laborabant. Atque huic ſecundæ ætati, ut ingens decus addidere, illa non Argentinæ tantum ſuæ ſed orbis litterati lumina; Pappi, Marbachii, Giphanii, Obrechti, Planeri, Hauenreutteri, Golii: ita vulnus atrox ab inteſtinis eſt diſcordiis inflictum. Quarum commemoratione, nec ſerenitatem hujus gaudii obfuſcandam eſſe cenſemus, & piis à Deo precibus omnes contendimus, ut exemplum tam triſte omni in poſterum exemplo, omni careat exempli noxa; ſuoque intentus quisque operi aliena aut altiora nec affectet ingenio, nec ardore diſceptet, neque quicquam tanti habeat, ut res turbare compoſitas malit, quam tranquilliſſima pietate,
ad

ad publicum egregium recto tramite grassari. Complexi iam sumus annos tres & quadraginta : id est, duas ætates illas, quas vere Sturmianas posse appellari nemo abnuat : cum Gimnasium per annos XXVIII, Academia per XV, sub moderatore Sturmio ac Rectore cœpit adolevitque. Sed posterior ex his ætas casu abrupta, tertiæ durationem utrique ferme parem efficiet. quam deinceps usque ad novam celebritatem & præcellentiæ scholasticæ fastigium sumus strictim commemoraturi. Amat cœleste Numen, ubi mutatione quadam subhorrida mortalium curas ad diligentiam exacuit, suppeditatis subinde novæ spei instrumentis, aut pensata mitioribus fatis, duriori sorte, rerum conservationi providere. Igitur Sturmio admodum sene ad privatam solitoque labore vacuam vitam redacto, quæ secuta sunt tempora, in Melchiore Junio, quem senatus ei succedere voluit, ferme alteram felicitatem Sturmianam resumsere. Inter exercitationes publicas, quibus studia moresque excolerentur, nobilissimi erant generis, Declamationes, Disputationes, Dramata. E quibus hæc quidem, in curiis puerorum primo imitationi & litteratæ recreationi destinata, tum in eum splendorem, Academica ope & alacribus ingeniis effloruere, ut ludi non alibi facile magnificentius apud Germanos instruerentur. Declamandi autem consuetudo, quæ antiquorum nonnullis ad formandam eloquentiam vel sola sufficere credebatur, jam Argentoratum sibi patriam, & præsertim hoc auditorium, quod in ipso ejus studii flore, anno XCI, cum theatro isto extructum dedicatumque est, veluti templum ac novum quoddam Athenæum elegerat. Erat audire & videre singulis ferme dierum septenariis, certe mensibus, rerum gravissimarum judiciorumque ac consiliorum proximas veritati imagines : has omnis studii sectatores præmonstratore Junio elaborabant : has apta decoraque recitatione in ore splendidissimæ coronæ quasi animabant : in his Principum, Comitum, Nobilium, ne de ceteris dicam, quibus turpe fuisset his exemplis vinci, nosci volebat strenuitas. In his Academia, fata gentium, fortunam augurabatur imperiorum : quos Pericles, Themistocles, quæ decora, quos viros, orbis Europæus

pæus plurimis locis hactenus cognitus est habuisse, tum intelligebatur habiturus. Ergo tantæ utilitatis industriam fama, ut solet, secundissima per lætos applausus, meritarumque concelebrationes laudum, mortalium favori passim commendavit: nomenque Junianum & nominis honestamenta libri, inter ea cœperunt clarescere, quibus schola nostra semet visa est & ceteras superasse. Rem ipsam dico auditores: eloquentiæ fuit & disciplinæ gravitas, quæ palmam diu nostris rebus meruit, diu obtinuit. Fatalis boni rationes ipsi putate, ipsi vobis explicate. Potuitne aliquid fieri felicius, quam sapientiæ, eloquentissimum; & eloquentiæ, sapientissimum magistrum statim ab initio habuisse? Non errat, sed nec parum dicit, qui omnia Sturmium ad eloquentiam autumat retulisse. Sed eloquentiam ille nulla re nisi sapientiæ usu definiebat; sapientisque non otiosam volebat cognitionem esse, aut humanis usibus rudem, sed conscendere suggestus, audiri in curia, placere in populo, splendescere in schola. hinc, quæ separatis ut nominibus, sic studiis, infelicior sapientia postmodum disiunxit, oratoris exercitatione ritu veteri complexus, ipsum robur Academicæ eruditionis putandus est instruxisse. Quæ res perpetuam scilicet imitationem merebatur. Sane si curiosius agendum hic aut prolixius esset, possem vobis, auditores, nescio quid fatale, in rebuspublicis, scholis, claris societatibus aliis, ex rerum memoria demonstrare: quarum unicuique proprias quasdam dotes ac suas fuisse, cumque earum declinatione omnia in pejus sublapsa, nunquam deinceps rediisse ad vigorem cerneretis. Sed contentus ero hoc ad cogitandum nostræ juventuti objecisse, quantæ sit res & turpitudinis & noxæ, à majoribus cum laude partum decus, per ignaviam prodigere; splendorem Academiæ pristinum pedibus conculcare, utilitates Reipublicæ fastidio, posterorum curam inerti stupore transmittere. Ad disputationes jam, ut supra cœpi dicere, veniendum. in quas multa, consuetudine locorum & ingeniorum, vitia omni tempore irrepsisse, vel prima illa Academia, cujus titulum honoris caussa hodie inter præcipua studiorum insignia usurpamus, argumento esse potest.

est. cujus cum omnis mos æmulatione & cupiditate vincendi, adeoque contentionum studio, non disquisitionum, inflammaretur, dissolvi cœpit ac interire. Eas igitur, cum bonis legibus probe munitas, præmiisque insuper adornatas, primo menstruas ex lectionibus proponi senatus Academicus vellet; idque officium Theologo, Jurisconsulto, Medico, Ethico, Physico, Dialectico præcipue assignaret (nam Beutherus Historicus sponte suscepit: Oratorem plerique utiliter facere posse & per leges debere ajebant) subinde incrementa sumserunt: donec nostro tempore ad quarumcunque scholarum laudem vel frequentia vel severitate pervenerunt. Ceterum priores hujus tertiæ ætatis anni (ad cujus seriem ex diverticulo liberiore revertimur) magno concursu ornatissimorum hominum ac nitore inusitato pervigebant: unoque tempore quadraginta duo Comites ac Barones, cum aliquot Principibus, partim classicæ partim Academicæ juventutis decora memorantur. quorum numerum frequentibus supplementis Austria præ cæteris integravit. Sed nec aliarum rerum quidquam gravitati ejus status deesse visum: quem ego tranquillitate & successu pæne judicaverim præcipuum. Finem ejus insignivit felicissima Jubilæi magni lætitia: cum anno hujus Christiani sæculi decimo septimo multa festivitate, ob instauratam ante centum annos Lutheri potissimum opera religionem, grates Deo passim agerentur, & Academiæ hac in re studium, concionibus, orationibus, disputationibus, omnique pietatis apparatu explendesceret. Cujus sollennitatis memoria sigillatim, ne qua intercideret, pridem est litteris prodita atque custodita. Rectorem eo tempore habebat schola Casparum Bitschium Jureconsultum: cui hoc divinitus obtigisse muneris putandum est, quod duos clarissimos lætissimosque studiis Argentoratensibus dies, non professorio tantum applausu obivit, sed Rectoris auspicio celebravit. Rursus enim gerebat eam dignitatem anno XXI: cujus mense Augusto accepta denuo ab Imperatore Ferdinando II, venerabilis memoriæ Principe, privilegia amplissima publica sunt auctoritate ac sollenni paratu instructuque promulgata. Magnificam ejus diei speciem, nova-

novaque aut novata instituta ne hic edisseram, tum temporis ratio, quo nimis angusto urgeor, tum occupata singulari libro hæc opera, vel suadet vel imperat. Contenti quidem ad id temporis fuerant nostri Proceres iis, quos audivimus, honoribus: at vero plurima erant, quæ justam absolvendæ eminentiæ curam providentissimo Senatui, quem suis ipsum incrementis, quo successus fatalis ducebat, par erat favere, admoverant. Et invenit tamen illa res, ut felicitas nulla magna simul & obvia est, moras perplexamque asperitatem non unam. Donec ambiguam fortunam eventu optato explicatam dedit, vir confessione omnium maximus & *Civitatis suæ*, ut veteris Fabii elogium ad recentia merita applicem, vere *Princeps*, *Franciscus Rudolphus Ingoldus*. Protruserat eum patria ad tempora caussasque difficilimas, apud Electorem Moguntinum, industria solita, de qua tot exempla jam loquebantur, expediendas. Ibi cum denique de hac quoque Argentoratensium petitione, interprete Moguntino, Cæsari concilianda ageretur, multa & magna Serenissimus Elector est caussatus, quibus amicæ Reipublicæ voluntati nec facile, nec prorsus, nec aliter (acceperat enim jam munus cum exceptione Theologici Doctoratus tradendum) posse satisfieri testabatur. Sed contendente Nostro, & pro sua urbe ac peculiari in literas affectu officioque, nihil quo caussa juvaretur omittente, non inventa ad extremum ratio est, qua diutius efficacissimo Oratori, novi & perfectioris beneficii procuratio denegaretur. Igitur hoc ille quidem xenio redux patriam impertivit: gratiam autem neque nos idoneam excogitamus, neque satis dignam ulla viro posteritas reddiderit: cujus plurimum scilicet intererit, tum semper hujus nominis laudibus existimationem suam ab ingrata negligentia vindicare; tum sæculares, quas olim ab initio hujus quoque beneficii metietur, cærimonias, cum meritorum tantorum bona fidelique recordatione conjungere. Atque hæc est quarta ætas, plenissimo jam jure, ad exemplum nobilissimarum, quas vocant, Universitatum, nobilis; ac præter gradus pristinos, Doctorum in omni doctrina ac studio, ut & Poëtarum creandorum potestate, id est, ipso Cæsareorum benefi-

beneficiorum fastigio, eminentissima. In qua quantum studiis & gloria profectum sit, malo silentio transire, quam laudatione merita quidem sed honorifica id assequi, ut praesentium stupore abreptus plus meo videar affectui tribuisse, quam notitiae posterorum. quorum incorruptis scilicet judiciis lubenter meritoque cuncta reservamus. Gymnasii qualis hinc conditio fuerit, commodius opinor dicetur, ubi breviter, quae de regimine scholastico disciplinaque scitu sunt necessaria, à primis initiis ad hoc tempus deduxero. Primam scholae formam tres Scholarchae, ex summis Magistratibus (unum enim ex Praetorio nobilium ordine, alterum ex Consularibus, tertium ex XIIIviris, aut XVviris sumebat Senatus) auctoritate ac imperio curabant. ne quid aedificia, reditus, disciplina detrimenti caperent, ut magistri Professoresque conducerentur idonei, tum alia quaedam sub ipso dignitatis titulo intelligenda, ad hos pertinebant. nisi quod in legibus ferendis, & si quae similia incidebant, senatus universi nomen praescribebatur. Propior erat Rectoris cura: qui tum collegarum omnium consilium in graviori deliberatione sibi adjungebat; tum tres Visitatores, ut vocabant, quorum duo ex Professoribus, tertius ex Pastorum ordine allecti id munus curabant. id est, erant faciendorum factorumque inspectores, examinumque, tàm publice in classibus; quàm privatim, quotiens nomen & sacramentum recens advecti scholae darent, arbitri. Constituta postmodum, sicut diximus, Maximiliani munere Academia, in Scholarcharum instituto nihil mutatum, nisi quod duo iis in conciliis Assessores tanquam consiliarii dati: perpetuis & majoribus unus ex Magistratibus, alter ex senatoribus, migratura utrobique ad alios singulis bienniis dignitate: tum Praetorius Scholarcha, in posterum, Cancellarius, id est, privilegiorum nomine Caesareo interpres & dispensator esse jussus. Caeterum Academico corpori non Professores tantum publici, sed classici quoque Praeceptores aggregati. Quorum nemo publicis conciliis, quae Rector auctoritate Scholarcharum menstrua, aut si quid praesen-

tioris consultationis incidisset, crebriora convocabat, excludebatur. Sed & cætera tam indivulso nexu curiarum scholas cum Academia copulabant, ut separatim de iis vix ulla suscipi narratio possit. Rectorem primo Sturmium, qui ab initio statim scholæ suæ moderator datus, in Academica quoque celebritate retinuere. is præesset scholis, quamdiu Senatui videretur: cujus arbitrio relictum erat, cui, & quanti temporis auctoritas post Sturmii obitum mandaretur. Hic cum annos quindecim Academiam, in universum annos XLIII. Scholam, Rectorio nomine gubernasset, suffectus in ejus locum Melchior Junius est. quo & ipso continua functione per annos duodecim uso, deinceps annui Rectores usque ad novæ tempora Academiæ sequuntur. Erat autem Rector legum custos, arbiter publicarum exercitationum, totiusque scholasticæ rei præsentaneus auctor: laborum adjutores habebat Decanum & tres denuo (ut ab initio scholæ) Visitatores. qui tum singulis diebus seorsum, tum initio hebdomadis simul, curias omnes, statis quoque temporibus vernaculas civitatis scholas, sedula inspectione obibant. Præter hos scholarum inspectores, totidem collegiorum Ephori; duo quidem ex Professoribus, tertius ex Theologis Urbicis constituti. Erant enim veluti seminaria scholarum, tria Collegia, & alumnorum certis legibus viventium conciliabula. Prædicatorum vocabulo unum innotuit, cum ipso scholæ exortu his usibus destinatum: tum Marcianorum stipendia: denique Wilhelmiticum contubernium, cujus auctor anno M D XLII. idem, qui plurimarum in hac urbe rerum bonarum, *Casparus Hedio* fuit. Ejus opibus, etiam per uxorem, etiam per generos, deinceps salubris sustentatio invaluit. Huic juventuti, cura ejus, quam dixi, inspectionis consecrata, eodem ritu in hunc diem servatur. In conferendis honoribus Cæsareis multa severitate res acta. Invitabantur edicto Decani, si qui Magistri titulum desiderarent. Professi nomina, examen subibant: cui moderando cum Rectore, Decano, Inspectoribus, duo præsertim solenni juratoque nomi-

ne

ne Examinatores destinati. Sed & affixa rursus publica denuntiatione, candidatorum nomina communi notitiæ censuræque exponebantur: si qua labes in vita cujusque ac moribus Academicos Patres fefellisset, ut indicio bonorum virorum monerentur: ceterique nec studia sine moribus, nec mores sine studiis ornari debere, intelligerent. Dignum hoc fuit, quod meditationibus sæculi in ipso transcursu ad ultimam scholæ formulam, objiceretur. Imposita est illa, anno quem antea parentem absolutæ, quam nunc obtinemus, omnis dignitatis memoravi, si retro putetur, ab hinc septimo & decimo. Hic cœpit Gymnasium ab Academia & ejus jure separari. nisi quod filia Academiæ mansit, quæ antea consors fuerat. nam Rector, cujus nunc semestre imperium est, cum Decanis quatuor Facultatum, consilii sanctioris collegis, stipulationem obedientiæ à Præceptoribus accipit, curiarum disciplinam invisit, jubet, monet; cum opus est, deliberat. Ceteroquin Gymnasiarcham propior inspectio postulavit, primumque anno vigesimo quinto Brülovium, Poëseos Professorem honorarium, accepit. is hortator operum & socius, legum exactor & interpres, tum per se, tum collegarum auxilio utilitates classium tractat: difficiliora, aut majoris momenti ad Rectorem Academiæ devolvit, providetque omni studio, ut tales efficiat discipulos, qui auditorii publici lucem & mereantur profectu, & exornent studio. Verum inter has provisiones & constitutas optime rationes, passum tamen est Gymnasium nescio quid occultæ tabis. extenuari solidiorem doctrinæ speciem, disciplinæ nervum remitti ac dissolvi, non vanæ jam querelæ sæpe occinebant. Nec præteriit ea res vigilantiam Illustris Nostri Senatus: qui, quantum dedecoris imminutio extructæ à majoribus gloriæ haberet; quantum item præsidii in conservata publici boni officina esset, & semper judicaverat optime, & tum crebro testabatur. Igitur ejus auctoritate decretoque ante hoc quadriennium, de oblivione antiqui moris, in pristinam efficaciam, consilio & opera Clarissimorum virorum, *Dorschei* ac *Dannhaueri*, ex-

citata omnis institutio classica atque instaurata est. quæ res eo pertinebat, non ut tollerentur Sturmianæ rationes, sed ut earum vel prudentia tanquam repetita declaratione exhauriretur, vel utilitas, cui non æque sunt pares mutati cum ævo animi, genio temporis quadam facilitate attemperaretur. Neque mutatio videri debet, numerus curiarum è denario in septenarium contractus. Hunc enim Sturmiano quoque judicio, rem temporis ac frequentiæ nemo ignorat: &. moles nostræ paucitati esse cœperat, quod superiorum ætatum celebritati vix sufficiebat. Jam illud salutaris haud dubie consilii, unum aliquem esse, qui per quatuor superiores curias ambulatoria docendi ratione, Latina, unum, qui Græca tradat: & ad hoc exemplum, unum Poëtam, Logicum, & Rhetorem. Nunquam deerunt tamen forsan, ô collegæ, quibus maceremur, novi labores, nova continendæ vagantis filiolæ consilia. Cujus rei culpam, qui in schola tantum quærit, iniquiore quam decet, sententia utitur. Quid enim? ego tibi in media civitatis disciplina, in animis parentum, in votis & consuetudine sæculi ea ostendam, absque quibus esset, facili negotio obtineremus, quod in Sisyphia hac obstaculi toties exantlati revolutione nunquam assequemur. Quod si enim cum animis nunc singula reputemus nostris, auditores, & imaginem quandam futuri temporis præcipiamus, poterimusne voti, quod unice nobis cordi est, fiduciam assumere, poterimusne sperare, futurum, ut expleto feliciter huic scholastico sæculo, sæculum accedat alterum, aut posteritas serior: ut gloria sequens priorem vincat: ut cum annis incrementa certent? Hic ego neque quicquam ominabor tristius, neque audacius judicabo. Vos ex eo, quod ad cogitandum proposuero, quicquid libuerit prævidete. Brevissima studiorum sors est: & inter caduca omnia creberrime scholarum fata mutantur. quarum nunquam felicitas est suspectior, quam ubi ad summum ascendêre. Recedit à perfectione, quod non procedit ad fastigium. Est quippe omnis ea res in perpetuo assiduoque motu; nescit stare,

ubi

ubi de gloria contendit; nescit manere, ubi gloriam obtinuit. Minimo distant eruditissima tempora, & ignavissima studia. tam velox ab istis ad hæc lapsus est: quæ jam diuturniora sunt. *Subit quippe,* quod exemplo suorum temporum observavit vir prudentissimus, *etiam ipsius inertiæ dulcedo: & invisa primo desidia postremo amatur.* Doctissimos se mortalium Græci ferebant. Sed quæ nobis jactitant summorum virorum ingenia, quam plerumque in brevissimas ætates arctantur? quas rursus tenebræ excipiunt, aut simillima tenebris contortæ futilisque sapientiæ caligo. Romanos quoque instar fulguris magno festinoque lumine felicissima illustravere studia: hinc mutatio, inde mutationis ex varia novitate libido, ad postremum præceps corruptio sequitur. Germania nostra, uno paulo amplius sæculo, profundam barbariem multa eruditionis copia mutavit. ite per vestra quisque studia, mirabimini celeres celebresque auctus & certantia antiquis decoribus fastigia. Sed fallor an fastidit sua incrementa: quodque vehementer aliis sibique approbaverat, dedignatur. Atque istud Deus averruncet omen! Est enim, auditores, est profecto omen, nescio cujus rei inominatæ, novitatis assiduæ studium; quod cum meliora sibi proponit, ubi optima provenere, degenerem primo sobolem, postremo abortum parit. *Inesse cunctis rebus quendam veluti orbem,* quo volutentur omnia & florere desinant aut incipiãt, vere Historicus sed obscure dixit. *Orbis* enim iste hominum vanitas est & inconstantia: quæ res incredibili cupidine paratas, negligentissimo projicit fastidio: votorumq; suorum sicut modum non habet, ita non sentit fructum. Jam quid de abusu dicam rei sanctissimæ? An Deo credimus hoc futurum connivente, ut sapientiæ studia, in humanæ instrumenta libidinis vertantur? talia videlicet sunt, quæ non advertentes populos efficacissime percellunt. Ac nostra quidem Academia floret artibus virisque egregie: at si cogitemus, quæ succrescat ætas, multa opinor erunt, quæ paucos nobis Pappos, Marbachios, Wegelinos, Tauffreros, Tuppios, Obrechtos, Giphanios, Meieros, Bitschios, Loca-

m:ros; Junios, Hauenreutteros (nam viventium exempla in obvia cogitatione posita sunt) promittant. Aliter illi ad laudem nitebantur; aliter nituntur nostri, sive potius non nituntur. Quæ olim in primis collocabantur, hodie vix habentur in postremis. Denique nescio quis NOVÆ ERUDITIONIS genius plerosque ceu contagio invasit. nihil admodum scire; plurima admodum jactare; difficultatem à literis, laborem à studiis, id est, perfectionem à sapientia, incunctanter & bona fide seponere. quæque alia intelligi rectius quam audiri hodie debent. hæc quis à scholis nostris prohibebit? Gymnasium certe, cujus ex fatis potissimas sperandi timendive caussas haurimus, post summam superioris ævi gloriam, videtur nunc, quod bellatores nonnulli post egregios triumphos solent, quæsita potius laude frui, quam de quærenda cogitare. Qui morbus ubi invaluit, nolo dicere, quæ pericula sequantur. præsertim ubi domesticam imbelliam, foris contemtus excipit aut paupertas: quibus, nulla tam strenua sunt studia, quæ non possint dissipari. Verum hos metus mortales ex iis, quæ vident aut viderunt, conscientia memoriam temporum excitante, commentantur. Nobis potius convenerit, pio fortique animo ad eum converti, cujus nutu scholæ scholarumque fata dispensantur: cujus vel benignitate sæculis artes donantur, rebus publicis artium emolumenta; vel indignatione tempora tenebris, gentes inscitiæ relinquuntur. Ille minitantia dirum in modum omina, innoxia reddere; ille ingruentem ad hostes sui nostrique nominis barbariem relegare; ille sæculorum exemplis potest amplificare, quam unius sæculi experimento nostræ pietati commendavit munificentiam. Cujus hactenus nec historiam (id enim operis justi non orationis fuisset) nec laudes, quæ ingenium & facundiam longe requirunt majorem, descripsi: Sed ipsos rerum apices rudibus lineis signavi, omnibus præsertim iis segregatis, quæ aliorum collectione & opera, ipsiusque Sturmii monumentis notuere. Eloquentiæ nec locus hic fuit, nec ut esset volui. si quibus tamen potius specio-

ſpecioſos ſcholarum fructus, & doctrinarum miracula, quam ſcholaſticos docentium labores placet audire? illos intelligere velim, quam non optime huc venerint instructi. Simplicitatis hic dies & bonæ mentis eſt, non pompæ. Debetur hæc ſcholæ reverentia, ut ſplendoris obliviſcatur, quicunque ad ejus arcana admittitur. Legiſtis non unum ex Romanis, imperio flagrantiſſime gaviſum, imperii ſpeciem in Sapientum auditoriis diſſimulaſſe. Et fallor, an Generoſiſſimi, quos coram cernitis, Comites, an viri eminentia, auctoritate, ſcientia, præcipui, tantiſper deſierunt (quatenus quidem per naturæ indolisque radios licet) præluſtres, clari, ſublimes, magni eſſe; dum feſtivitati noſtræ, ſuæ modeſtiæ decora & fulgorem mutuarentur. Agnoſcimus, inquam, eam comitatem, tum in ceteris; tum in graviſſimis viris, quos ſchola & ſemper ſuorum commodorum patronos habuit, & hodie, ſuæ celebritatis nacta eſt præſides. Ad vos enim, Ampliſſimi Scholarchæ, noſtra nunc reverenter accedit oratio: quorum auſpiciis ſic ſtudia noſtra vivere cernimus ac vigere, ut propriam vobis laudem, perpetuam eſſe ac immortalem, & cupiamus & precemur. Illuſtria plane ſunt veſtra merita: admirabilis meritorum conſtantia & multitudo. Quam ſi ab ingentis animi conſiliique viris, qui ante Vos id muneris geſſerunt, repetamus, neque dies hic ad enarrandum, neque vox ulla ad commendandum ſufficiet. Quanquam quid excogitari poſſit, quin omni artis ornatu ſit ornatius, omni orationis ſplendore per ſe ſplendidius, nomen inter gaudia hujus feſti præcipua numerandum *Jacobi* illius *Sturmii*? Felices vos, ingentes animæ, *Nicolae Cnibſi*, & *Jacobe Meiere!* qui cum Argentinæ veſtræ, viris illuſtribus tum maxime florentis, ſingularia eſſetis lumina, ille felicitati cumulus acceſſit, quod in utilitatis incomparabilis negotio, cum incomparabili collega ſociati, Reipublicæ, famam; virtutum ſtudio, præſidia; poſteris tum alia, tum hæc ipſa, quæ recogn ituri adſumus bona, primi fœnerati eſtis. Exiſtimat vir in principe gentium Republica princeps, unum ſtudio-

[illegible]

rum genus instauraſſe, laudem habere omnibus triumphis, omnibus anteponendam trophæis. Ergo quantum vobis debeatur, per quos literæ patriam universæ ac spiritum recepere, omnis meditari deinceps memoria, omnis exprimere ætas, diligenter quidem, ſed fortaſſe non niſi conabitur. Summa hæc felicitas, ut ceteras ceterorum glorias anteceſſit, ſic peperit, tam maturo proventu, ut proxima pertineat ad proximos. niſi quod *Petrus Sturmius* Jacobi fratris ſucceſſor, poſt decennium expletæ dignitatis fato præventus, non aſpexit nobile Academici augmenti munus: quod in *Henricum Mulhemium*, ſimul cum primo, ut vocant, Cancellariatu; *Carolum Miegium*, *Fridericum Goteshemium*, triginta annorum univerſim Scholarcham atque ſex Prætorum collegam, incidit. Hos ſequuntur *Wolffgangus Sigiſmundus Wurmſerus*, *Arbogaſtus Rechbergerus*, *Johannes Philippus Kettenhemius*, *Johannes Philippus Bœclinus*, *Johannes Simon Brumbachius*, Prætores & Cancellarii. Ex Conſulibus *Joannes Carolus Lorcherus*, *Abrahamus Heldius*, *Jacobus Kipſius*, *Henricus Baumgartnerus*, tum quindecimviri; *Nicolaus Hugo Cnibſius*, *Joſias Rihelius*, memoratus modo Conſulis nomine, ad quod poſtea aſcendit *Baumgartnerus*, & *Chriſtophorus Kolleffelius* poſtea tredecimvir. Quibus vario meritorum genere nobilitatis, tertia celebritas ſcholaſtica, acceptis ab Imperatore ſummis privilegiis, claravit tempora *Adami Zornii*, *Petri Storckii*, & cui novum, mox ad famam momentum gratulabimur, *Franciſci Rudolphi Ingoldi*. Nam poſt ſurrogatos ex eo tempore Prætores, *Bernhardum Kageneccium*, *Jacobum Sturmium*, *Joannem Carolum Prechterum*, nunc te, *Joannes Chriſtophore Draxdorffere*; poſt *Joannem Hellerum & Johannem Petrum Storckium* Conſules, te, *Joannes Jacobe Meiere*; te *Ingolde*, qui totum illud ſpatium meritorum copia occupas, auguſta hæc ſæcularis circuli ſolennitas, cui gravitate maxima præſidetis, prioribus vel antepoſuit ſingulis, vel univerſis æquavit. Et fortunam quidem omnes agnoſcunt, omnes gratulantur. Verum habet hoc magnorum meritorum contemplatio, ut exſpectatione majorum imbuat animos,

mos, neque quisquam imparatus ad plura credatur, qui plurima jam potuit contulisse. Quid existimatis, Domini, cœtum hunc jucundissimum, vestræ venerationis, amoris, admirationis, solenniter, ut ita dicam, impletum, cogitationis volvere, imo quid spei, cum in vestros vultus, sanctitate festi sui augustiores, avidissimo oculorum conjectu intuetur; cum vos vivere, vos lætari, vos bene rem gerere, egregio animorum ardore (tales enim aut attulisse aut accepisse pietatis interest) precatur? scilicet itur per majorum imagines, variaque comparationis industria, alii *Sturmios*, *Bœclinos*, *Brumbachios*, tuis Nobilissime *Draxdorffere* exemplis instaurare: alii amplissimum consulem *Meierum*, tum primi illius Scholarchæ cognominis, tum *Cnibsii*, *Miegii*, *Storckii*, *Helleri* comparatione cupiunt attollere. nonnulli octodecim *Ingoldi* annos ad octoginta amplius superiorum speciem examinant, ultraque progressi *Henricum Ingoldum* consulem, summum literarum ante literas penitus in hanc urbem receptas Patronum, voluntatis laudatissimæ, cui materiam non satis tempora præbebant, complementum in familia adeptum pro fatali & vere sæculari bono interpretantur. Denique cum in hoc ipso auditorii ornatu, omnium, quos venerati antea sumus Patronorum, insignia ostentante fenestra noscantur: nemo est, quin sic picturam sibi intuendam credat, ut totius simul sæculi merita complexus, eadem audeat in vos expectatione, voto, judicio transferre. utque maximi hodie debitores ipsi fiatis, illud efficit, quod munificus vester ordo omnes nos jam pridem habet habebitque debitores. Qui cum tantorum honorem beneficiorum illustrare satis nostra pietate non possimus, neque nobis tamen neque adeo vobis inglorium fore existimamus, si nova petitione gnaviter pro Republica rursum contendamus: ut constantia præclarissimæ voluntatis vestræ, futura quoque tempora doceatis, qua cura literarum studia sint erigenda, qua liberalitate sustentanda, quo favore vegetanda. Res est tenerrimæ conservationis schola: hanc ne barbari contemnant, avari destruant, su-

perbi conculcent, vestræ cautionis esse Deus immortalis voluit. Res est verecundissimi floris & profectus schola: hanc ne paupertas intercipiat, labefactet invidia, calamitas opprimat, in vestra manu est. Res est benevolentissimæ curationis schola: extinguit nobilissima ingenia, qui negligit, & habet profecto nostra ætas viros, quorum in omni studiorum genere scientia & laboribus (ut hoc obiter præfiscini dicam) possint ex Argentorato plusquam Athenæ, plusquam Roma fieri. Verum magni conatus magnis indigent fautoribus, nec Virgilium prius Roma quam Augustum tulit, nec sine Mæcenate Horatium. Res est, Domini, negotiosæ industriæ Schola: sed negotiorum instrumenta non magis ex se habet, quam miles arma, sclopos, gladios; cui toties ista damus, quoties fortibus factis opus habemus. Quo magis prædicanda est, communis instrumenti Bibliothecæ Academicæ instructio: quam à *Jacobo Sturmio* inchoatam atque ultima quasi voluntate, hereditariæ laudis caussa ad successorum curas propagatam, tum alias alio, tum nuper Mathematico locupletari paratu vidimus. Nimirum quod à majoribus acceperatis, id successoribus jam dedistis exemplum: quos ut seros habeatis, id est pluribus interim exemplis instruendos, communia nobiscum desideria à supremo numine impetrabunt. Ecquid enim virtutis vestræ terminos anguste metiamur, Domini? Quam si omnia nobis præcludant, humanitas explicabit. Illa facit, ut agere inter nos hodie simplicissime, ut nos tanquam patribus loqui, vos tanquam filios audire, nihil mutuo dubitemus. Illa facit, ut in societatem alloquii, totam huc Gymnasii vestri pubem advocem, succinctusque impetrabili grege ipsa vestri penetralia affectus scruter: sitisne pares nostro amori, sitisne satis ad aliquid negandum fortes. Meministis, viri gravissimi, cum in primaria nuper æde Deo Conservatori conservata per sæculum schola veluti sisteretur, cum Israël super effosso sapientiæ fonte choros duceret, grates cantitaret; cum Chrysostomus noster laudibus, precibus, ardore, votis, omnia incenderet, multos erum-

erumpentibus lacrymis victos fletum non tenuisse. Et erant sane multa, quae instigato exuberantique hoc repagulum affectui laxabant; sed super cetera efficax tenerae juventutis aspectus, spem civitatis, spei pericula, periculorum passim in Germaniae cladibus obvia exempla, vices rerum temporumque, multa ex praeteritis, multa de futuris, intento in diversa horrore repraesentabat. Idem nunc ferme patior, Domini, & quorum vobis nomine gratias agere, quorum voce Gymnasium ejusque sustentationem, existimationem, Praeceptores commendare, pro quibus fausta omina & bonas preces jactare debebam, eorum me cura aspectuque ita debilitari sentio, ut bonitati vestrae cogitandum relinquere opus habeam, quod mea voce exponendum hoc tempore videbatur. Discet eo exemplo tener & literarius iste populus, religiosum esse quicquid vestris auribus publico nomine allegatur: cumque primas hic reverentia obtineat, proximas obsequio partes, sermoni postremas, saepe & nullas convenire. Quem & schola maluisset alicubi universa alio transferre: atque, nisi fas non est, eosdem interpretes mentis adsciscere, qui ingenio & studiis contigere fautores; jam nunc enixissime, Domini, rogamus, ut Amplissimus Reipublicae ordo, ut collegae vestri, Patriae Patres, per vos resciscant; Gymnasio suo, & Academiae inter has saecularis pietatis curas, & divini numinis honores, & Maecenatum laudes, quas in solidum ipsis religio festi consecratum iverit, animos vehementer crevisse, studiumque illustrandae Reipublicae recentissima denuo alacritate auctum, promittere quoddam veluti foenus piae literataeque juventutis, promptioresque subinde publicarum utilitatum ministros, cum perenni augustae urbis gloria. cui tot exteros hac ratione vectigales fieri, inter ea utique ponendum, quibus gentium, salutari humanitati, quam quaestuosae barbariei deditarum, sueverit semper felicitas consummari. Porro nusquam munificentiam rectius collocari aut felicius, neque certius florentis Reipublicae signum, quam institutas pulcre artes, erogata animose stipendia,

divisa benigne salaria. quorum tenuitatem duas res literis liberalibus & humano orbi noxiosissimas alibi semper protulisse: negligentiam Professorum, & quæ horum auctoritate niti debebat, scholasticæ destructionem disciplinæ; dum aliis destituti præsidiis, juvenibus convictoribus, non mensam tantum, liberali justissimeque fructuosa humanitate, sed & mensæ vitæque Liberalia per invitissimam indulgentiam quodammodo coguntur gratificari. Dictum est in gravissimo orbis terræ consilio, in regnatrice gentium curia, nec dictum modo, sed approbatum: *bonas artes nemini gratuito contingere; omitti curas familiares, ut quis se alienis negotiis intendat, nihil à quoquam expeti, nisi cujus fructus ante praviderit. Sublatis studiorum pretiis, etiam studia peritura.* Hæc & talia quemadmodum beneficam per se tot jam ætatibus, tot experimentis Procerum nostrorum indolem monere non possunt: ita testimonii causa & venerationis, ejusmodi elogiis non fraudandus esse splendidissimus ordo videtur: cui volenti scilicet erit, per sui agnitionem meriti audire; hæc esse illa monumenta, illa gloriarum templa, illa æternitatis, & salutis publicæ verissima pignora, quibus patriæ fama cœlum pridem ascenderit: *sic priores consules egisse; Pratores sic egisse, priorem senatum sic egisse. qui Rempubl. amant ita sentire: qui patriam amant, ita agere.* Et quandoquidem triumviratus vester ad sustinendam exempli magnificentiam delectus est, *Felices vos judicio senatus. Felicem scholam vestro imperio: quod vobis senatus detulit fortiter agite: quod vobis senatus detulit, libenter accipite, sic vos Deus amet; sic vos Deus sospitet: sic vos Deus servet.* nam hoc ex veteris ævi affectibus & affectuum formulis, ad quas ipso pietatis calore sumus delati, optimum nostroque instituto convenientissimum acclamationis genus invenimus, ut vestræ salutis pactione nostrorum summam votorum complectamur. Efficacis ea ratio compendii, quod verborum contractione nemo ambigat pietatis amplificationem spectare, utinam & in cetera nobis decenter contingat: quæ cum orationis mereantur, temporis non inve-
niunt


niunt partem. Compellandus nobis cum cura esses ac honore, Vir Magnifice, *Melchior Sebizi*, Rector Academiæ, Gymnasii Patrone: nam quis strictim memorare potest, quod meritis inter eos qui diutissime; ingenio inter eos qui maxime; felicitate inter eos qui celeberrime, & antea scholæ vel profuisti vel præfuisti, & jam quartum summæ dignitatis compos, auspicium sæcularibus gaudiis primus facis, exemplique hactenus non usurpati edicto, scholæ ac tui memoriam gratulaturæ posteritati consecras. Quæ res adeo visa antiquitus est honorifica, ut cum sæculares Romanorum ludos annorum terminus ad seriores differret cærimonias, nonnullorum ambitio Principum suæ ætati anticipatam prærogativam vindicaret. Et erant illi quidem quod dicebantur, ludi, & superstitiosæ mentis ludibria. quorum summa in votis pro populo plerumque latrone, id est, pro ceterarum exitio gentium susceptis. Vestro honori (nam ad vos quoque, qui Rectori assidetis, spectabiles Decani, istius decoris sors pertinet) vera & magna æternoque acceptissima numini pietas innititur. Scilicet decebat Viros omnibus honoribus & oneribus scholasticæ salutis functos sapientiæque omnigenæ pridem antesignanos, illustrissimo, quod quidem studiis Argentoratensibus illuxit, tempori præesse. cujus notationem, non moris tantum recepti caussa, sed ad ornamentum insuper, ut Rectore quem dixi, ita Decanis, *Schmidio*, *Tabore*, *Salzmanno*, *Esprchio*, insigniendam fuisse, nobiscum prudentissimus quisque posterorum judicabunt. Neque tamen nulla extabit ceterorum cum bonis gratibus memoria, quos eruditio antistites, literæ auctores vel nunc habent, vel olim habuere: quorum pars Gymnasii laboribus immorati, pars ex eo translati ad Academiam, pars in ipsa Academia auctoritate consilioque juventutem spei patriæ præpararunt, aut etiamnum expectationem orbis Germani, sic in Argentinam, quasi in residuam litterarum arcem, & invictum adversus Martis barbariem castellum intenti, laudabiliter sustinent. Hos, inquam, omnes & singulos, quatenus nunc

nominare non licuit, perpetuo posterorum favori, novo non Minervæ sed æternitatis peplo insertos dicabimus. Intereane quid, Humanissimi viri, Gymnasii moderatores, juventus vestra detrimenti capiat, etiam atque etiam providete. Hac vos potestate DEUS immortalis, hac nostri Scholarchæ tum alias instruxere, tum ambiguo studiorum tempore, & creperis ævi tam consternati rebus ultro armatos cupiunt. nihil vos favor cujusquam, nihil invidia moveat. ego didici experiendo, cui in fungendo officio, religio pro muro, conscientia sit pro telo, adversus eum hoc posse malignitatem, quod adversus ignem stipulæ, aut nebula adversus solem potest: quæ hoc pretio se lumini obtendit, ut dissipetur; hoc successu obsistit, ut consumatur. Concordia modo adsit, quæ molestias domat, quæ consilia communicat, quæ propulsat invidiam. Gravis est, quem toleratis labor, ac prope dixerim immensus: quem si rhetoribus describendum daremus, Augiæ stabulum, & Labyrinthi, & prisca miracula, mora nulla esset, quin renascerentur. Certe eum nec æstimare profanus, nec credere indoctus, nec ferre delicatus, nec perspicere doctorum quilibet potest. adeo in umbra sua & pulvere latet sæpe involutus. Sed est æternum lumen, illud beneficum, illud prælustre, quod clarabit olim, quæ vobis nunc molesta est, caliginem. Veniet illud tempus (confidite modo) veniet illud præmium, quod veram vestram & augustam celebritatem, non per perituræ titulos æternitatis, non per consecrationis affectatæ radios, quibus sibi eruditi, quoties ineptire volunt, placent, sed in vere perenni gloriæ ac numinis sinu, splendori temporario exprobrabit. Atque hoc est illud fortitudinis & magni incitamentum animi, quo sustineri grande & horribile malum, contemtus ac fastidii potest, quo communiter despicimur, qui scholæ, id est, optimo publico vitam operamque impendimus. Quod si ea aliquando mentibus humanis mansuetudo rediret, ut ii tantum, qui Gymnasio nostro aut Academia, cum fructu usi sunt, favore tralatitio & societati omnium quæ vixere gen-

gentium recepto, ad ſua primordia reſpicerent, nihil ſtatu noſtro eſſet honoratius, nihil felicius. In Curia Patrum & miniſtrorum pleroſque; in Eccleſia, Theologos omnes; in civibus ceteris honeſtiſſimum quemque ſcholaſtici repetitio commentarii inter noſtros numeraret. Sed DEO quidem Ter Opt. Max. ſui muneris, noſtræ Reipublicæ, ſui quod accepit depoſiti exiſtimatio curæ erit. illud interim pro oraculo auſim agnoſcere; inter plurima quæ barbariem populis minantur, ſuperbam illam & inſultantem contemtionem bonarum artium, præcipui ad hunc caſum roboris fore. Præſertim cum & monſtra id portendant. quid enim aliud eſſe dicam, quod plurimi ſcholarum ſubſidio aut pennæ, unice provecti, nil niſi pennatas contumelias; & ſcholarum ſplendore ac titulis elati, nil niſi humilitatem ac ſordes ſcholæ loquuntur: cui naribus ſemper aduncis & interdum unguibus illudere inter artes habent? quos ſi ſuo viciſſim irriſu ſchola dignaretur, ſi theatralia eorum ora, & hiſtrionalem ante omnia animum orbi oſtenderet, cercopitheci publice fierent, qui nunc ambulant pro Catonibus. Scilicet veriſſimum eſt, egregias artes bonis mentibus ad omnem laudem virtutemque duces eſſe: inanes autem ac ſtolidos animos, cum in eos aliqua literarum ſpecies incidit, inaniores etiam reddi ſtolidioreſque. Quæ cum dico, non id ſpecto ſane, quaſi voce ulla tam fauſto præſertim die proſequenda ſint inauſpicata iſta prodigia, ſed ut adoleſcentes noſtri ac diſcipuli mature intelligant, quanto ſibi ſtudio annitendum ſit, ne in officina eruditionis, ventoſas perſuaſiones; in ſede ſcientiarum, copiam vanitatis; in diſciplina modeſtiæ ac humanitatis, inhumanum faſtum; pro meris denique rebus mera ſomnia, cum injuria civitatis publica, cum ſuo privatim dedecore, mortalium ut ineptiſſimi, ſic adverſus DEUM hominesque ingratiſſimi ſectentur, optimæque rei abuſu, malorum Iliada patriæ conſciſcant. Id enim venire uſu ſolet; ô cariſſima cordique noſtro proxima pubes, quotiens labor vitatur, quo ſolo venale eſt quicquid habet orbis pretioſum: quotiens

tiens disciplina exuitur, sine qua exui deinceps bestia & barbaries nequeunt: quotiens præmatura festinatione vota præcipitantur, quorum cruditas cum fœditate maxima in publicum denique evomitur. Verum non explico vobis delicta vetera, quos ad novas laudes cum exorituro mox feliciter novo sæculo properare, nullus dubito. Est in oculis, in auribus, in mentibus vestris majestas & vox Patriæ: quam veluti præsentem in hoc ipso loco, fidem vestram & industriam & conscientiam & judicaturum omnia numen testari credite, ne spem suam deseratis, ne fallatis expectationem, ne sua tempora negligatis, quibus per varias adversitates fatigatæ sibi aut nullibi, aut in præclarorum virorum humeris, in cordatioris sæculi gremio requiescendum sit. His vos sanctissimis vocibus obtestantem Rempublicam, ut debito revereamini obsequio, nemo adest, quin optet; nemo quin speret. Cum enim illustre hoc auditorium, diversos non una humanitate ac officio hominum ordines acceperit, nec pauciora fortasse judicia; divinitate tamen festi evenire intelligendum est, ut in felicem communi unanimique consensu desinamus clausulam: ut per bonas preces & pia vota, Deum immortalem sapientiæ auctorem, scholarum conservatorem, ac Reipublicæ hujus Præsidem Statoremque, ob accepta pariter beneficia veneremur, atque de speratis imploremus. Cernimus, atque utinam possemus id quod cernimus capere satis aut laudare, munus ingens ac cæleste: Scholam non donatam modo urbi nostræ, sed amplificatam, sed defensam, sed servatam, sed ad sæculum jam alterum multa cum laude, multo cum populorum fructu propagatam. Hic est hortus quem plantavit Dominus: hic est paradisus, quem elegit: hic est flos, quem adornavit: *flos virtutis, flos gloriæ, flos perpetuus ac immortalis.* Nam talem fore pollicetur nobis tam cumulata benignitas tua, Domine. cui in posterum quoque salutem Argentoratensis Reipublicæ, fata studiorum, tutelam scholarum, incrementa artium, labores docentium, juventutis profectus, pietatis & gloriæ tuæ inter nos habitantis

tantis illustrationem, quanta possumus pietate, ardore, gemitu commendamus. Et quoniam in hoc sæcularis summa felicitatis vertitur, fac Æterne DEUS, ut sic novum agitemus sæculum, quo constet omnibus, nos prioris bona agnovisse.



XI.

ORATIO

habita

Kalend. Octobr. Anno CIↃ IↃC XL.

Cum publice Magistros & Baccalaureos crearet:

In qua

De Typographia, Argentorati inventa, divinitate & fatis, Seculari pietate disseritur.

INter vetera, quibus principes politæ antiquitatis Athenienses, Academiæ suæ gloriam quærebant & gravitatem, instituta, illud quoque posterorum cognitione dignum Ælianus judicavit: quod ridere in tam solenni loco. nemini licere voluerunt. Cum enim virtutis, industriæ, bonæ artis mentisque propria & veluti consecrata sedes illa esset, prorsus debuit omni præsertim contumeliæ, lasciviæ, petulantiæ, denique ignaviæ, non specimine modo, sed specie intacta, tam augusti nominis decus illibatum conservare. Non decuerit, Auditores, vel nos in ista sapientiæ parte vinci, ab iis, quibus in universum antestamus: vel hoc ipsum Academici honoris domicilium, inferius majestate disciplinæ, cujus veram vim Attica affectatio ignoravit, unquam existimari. Verum,

 ut ob-

ut obtineatur veneratio publica, publicis opus est meritis, publico meritorum honore: quo fit, ut nemo contemnere audeat locum, quem à solo splendore, à præcipuo splendoris genere, novit. ubi Virtus & Doctrina, rerum dominæ, suas opes exponunt, sua theatra instruunt, edunt munera, agitant festa, proferunt pomœria. Quid hic irrisor improbus, illusor ineptus, scurra mimicus? quid ignavum pecus, aut petulcum animal? nonne una voce, tanquam profanos, excesse, longeque absistere dissimilimarum rerum tractationibus, tum cetera loci religio, tum nostri hujus diei cærimonia jubet? Qua producti in medium *Novem honestissimarum artium compotes Juvenes & Adolescentes, sub auspicio & numine, non Apollinis alicujus Attici, sed DEI Ter Opt. Max. facultatem prabente Inclyto Academico Magistratu, faventibus & gratulantibus omnibus piis, bonis, doctis (tales enim hospites & spectatores huc venire fas est) in ipso Eruditionis Templo, inter pias preces & festos cantus, pramiis solennibus ornandi, & alteri quidem* Baccalaureatus *insigni, alteri titulo* Magisterii *quod vocant, & privilegiis donandi sunt.* Veniat huc Anniceris aliquis, vitam in ludicris & risu agere, præclara vero omnia fastidire & ignorare doctus: næ is Platonem suum mox inveniet, aut si operæ pretium nemini cordato videbitur, à tyrunculis utilium studiorum & sapientiæ pullis, cum ineptiis suis ridebitur. Sed nos ordiamur, cum bono DEO, quod suscepimus.

Tuum enim, ante omnia, nomen, Deus ter maxime, Domine noster, non fausti modò ominis loco, festive inclamamus; sed, ut autorem nostra tum felicitatis, tum festi, reverenter appellamus. Te largitore ac conservatore, Respubl. nostra bonorum pracipuis hactenus floret: Tibi inter fluctus Civitatum nationumque plus quam decumanos, ancoram & stationem debet hac navis: tibi religionem, templa; prudentiam Curia; artes Schola, & propterea vocem & grates, omnia Auditoria, omnia suggesta & pulpita debent. Ipsa Te hujus diei pompa loquitur; tuam bonitatem nobiscum decantant organa, balbutiunt pueri, ostentant insignia, denique vel cacutientibus allucent cerei. Tui muneris est, quod hic conveni-

venimus: quod bonas artes profitemur, colimus, honoramus: quod amplificandæ Nominis tui gloriæ instrumenta consecramus: imò vero quod tibi consecranda adducimus ac pie commendamus. Respice benigniori oculo, Pater Optime, Sex illos Juvenes, tres illos Adolescentes, ut artes, quas didicere; honores, quos petiere, tibi devoveant in solidum dedicentque: ut his tanquam stimulis instigati, ad plura, ad majora tendant: ut obsequio hoc devincti, ad ea strenue proficiant, quò consilium tuum destinavit, & mox providentia viam præibit: ut mysteriis hisce initiati, tuæ voluntatis placita, tui nominis laudes, in omni vitæ actu, in omni functionis opere, investigent, meditentur, intelligant, sequantur: ut pro Republicæ Argentoratensis, & Scholæ incolumitate pia quotidie vota nuncupent, atque ita sic diei hujus & præmiorum semper meminerint, prout eos decet, qui ad novissimi & magni diei gratuita, eademque æterna præmia sedulo adspirant. Exaudi vocem nostram Domine: illumina faciem tuam super nos & benedic nobis, Amen!

Post interpositos concentus Musicos.

Preces & religionem, qua hoc festum inchoandum fuit, pietati dedimus, Auditores: dissertationem quæ preces sequitur, honorum distributionem antecedit, mori Academico dabimus & solennitati. Nec erat sane quærenda nobis ex abdito materies: ipsa *hujus Anni veneratio*, qui duo admodum Sæcula complet, ex quo humano generi exoptatissimum, literato orbi utilissimum, Argentorato autem nostro perpetua celebritate gloriosum, *Typographiæ inventum*, auspiciis divinis, exordio hinc sumto gentes usquequaque politas peragravit ac devinxit, jucundæ auscultationis, debitæque in DEUM pietatis potuit nos admonere. Præsertim cum publica Magnifici Rectoris ac Senatus Academici, aliquid tale mihi demandantium auctoritas accederet: non sine magna ratione pro se & posteritate solicita, si vel patriæ laudis curam negligenter ageret, vel ignorare venturas ætates pateretur, quam confidenter alii nostram laudem hactenus sibi vendicarint; reddita Auctoribus rei præclarissimæ ea gratia, ut & nomen eorum &

artem suppressum, quantùm in ipsis erat, ac obliteratum irent. Scilicet in omni re humana dominatur ambitio: neque negotia modo, dum geruntur, perturbat, sed gestorum plerumque veritatem corrumpit aut obscurat. Eo facilius id sane, atque ut multis videtur, excusatius; quò speciosiora conatibus suis vocabula sive callide imponit, sive liberaliter circumponit. Ipsius veritatis vindiciæ, & nescio quæ jura intenduntur, ut aliena interim quisque deprædetur clanculum, ac pro suis ementiatur. frustra deprehenderis eam artem: quæ dum semper metuit deprehendi, id in primis cavet, ne deprehensa etiam, erubescendum habeat. Amore & studio patriæ nihil esse honestius; nihil ad periclitandas ingenii vires illecebrosius; nihil ad figurarum commentique veniam impetrabilius. Ita cœpit hoc malum antiquitus: & à tam plausibili initio ad æmulationes, inde ad certamina præcellentiæ inter gentes; hinc ad contemtus mutuos & superbiam; denique ad odia profectum est: quæ nunc unusquisque intendit aut remittit, prout famæ utilitatisve spe concitatur, aut diversæ sortis metu sufflaminatur. Quo fit, ut rem simplici æstimatione in vanitatibus vulgi ponendam, inter doctorum magnorumque virorum vel arcanas artes, vel festivos lusus hodie reperias. Nisi quod haud dubie gravius meretur appellari, cum neque probris, neque convitiis abstinet, & injuriam, quam aliis factum it, cum apparatu, paratragœdiantium ritu, in publico ostentat. Interesset famæ gentium aliquot ac civitatum, nihil tale, in re typographica, quam vocamus, evenisse. Hanc dum multi ambiunt proci, fit, ut nescio quo amoris stimulo instincti, neque sibi, neque aliis, neque adeo amicæ ipsi, quæ per isthæc jurgia non parva interim contumelia afficitur, parcendum ducant. Nobilissimæ Harlemensium Urbi non invidemus suam gloriam, sed gratulamur: auctiorem tamen existimamus fore, si de aliena nihil decerpat, aut decerpentem privata opinione ausuque popularem suum, publicæ existimationis periculo propugnet. Moguntiæ facilius ignoveris: decepit eam rumor vulga-

vulgaris famæ, ut in talibus solet: quo incertior, eo confidentior. Accessit doctorum id affirmantium numerus, junctæque umbone phalanges. Sed revera, numerus. Consideret quæso splendidissima civitas, ad quantam paucitatem, si vim & arma singulorum spectes, grande illud agmen tot nominum redigatur. Quis enim eruditorum ignorare potest, veluti traditam in manus alterum ab altero istam opinionem accepisse? plane sicut & alias consuevit fieri, ubi rem dubiæ arduæque investigationis, malunt plerique aliena quam sua fide asseverare, præsertim cum obiter & ex occasione hæc talia alterius argumenti tractationibus inseruntur, neç tractantur. Igitur sæpissime quidem proditum aliquid hujus generis invenias, demonstratum nusquam. Nimirum aliis voluntas probandi, ut alieno loco; aliis tempus laboriose conquirendi probationes defuit: quosdam argumentorum inopia aut desperatio ad alia præverti jussit. Equidem satis de nonnullorum ingenio constat, qui vel cum certo intempestivæ & affectatæ digressionis periculo, suis scriptis insulsissent, si quid super re tanta odorari testimoniorum potuissent. Traxit postea error errorem, qui, cum temporis progressu radices in animis hominum egit, ac incrementa sumsit, jure præscriptionis non tutus modo sibi, sed invictus videtur. Verum enim vero, nobis in præsentia non tam quid alii de alienis vel sentiant, vel dissentiant; quam quid nos de nostris sentiendum hoc tempore habeamus, curæ est. Qua in re omni exceptione major est, ut alia quæ supersunt, cuncta desint, annalium publicorum fides. Hi JOHANNEM MENTELIUM, *civem Argentoratensem, artem imprimendarum fusili charactere litterarum librorumque, primum in Patria excogitasse atque protulisse* memorant: Hi *Annum Sæculi Christiani quartidecimi quadragesimum* definiunt, *annique sollennem notitiam Consulatu Nicolai Schanlitii, Pratura Spiegelii, Müllenhemii, Treubelii, Endigeri* insigniunt; hi *perfidiam famuli Gensfleischii, & herilis arcani enuntiationem, & sociata cum Gutembergio plagii consilia, & fugitivo immissam ultore Deo cæcitatem*, diserte & bona fide denarrant.

Ex his adeo habemus Auctorem inventi nobilissimi; habemus tempus & locum; habemus primam & furtivam demigrationem artis; qua effectum est, ut statim circa initia Moguntinorum Civitas & nomen, operis typographicis inclaresceret: habemus hæc & plura, inquam, non ex vago & veteri rumore, non ex ambitiosi scriptoris ingenio & lusu; non ex fallacibus aut ambiguis inscriptionibus; Sed ex ipsis Reipublicæ nostræ commentariis & instrumentis: quorum nec auctoritas detractari à modesto homine, nec simplicitas suspectari à bono, nec perspicuitas declinari, à sano potest. Nam cetera argumenta, oculatosque testes, monumenta, & quæcunque jam aliis collecta sunt, non attingimus; Accommodantes scilicet nostram Orationem propius ad institutum Inclytæ Reipublicæ, quæ, cum antiquissimis optimisque rebus plurimis ita abundet, perpetuoque suarum rerum in hunc diem incremento eo progressa sit, ut nihil minus quam de claritudine laborandum habeat: eam fortunæ suæ benignitatem tam generose didicit & æstimare, & ferre, ut neque de ceteris suis bonis, neque de hoc ipso, quod nunc celebramus, contendendum cum quoquam, aut ambitiosa vanitate altercandum censeat. Nam nec ignorare, quæ luculenta Dei bonitas nobis contulit munera possumus: nec, quæ aliorum esse voluit, nostra fieri desideramus. quorum & illud stuporis sit; & hoc pæne sacrilegii. Dimicare autem cum homine, imo cum ambitione, de eo, quod sicut divinum est, ita arbitria pariter affectusque humanos excludit: irritum, inane, præposterum. Sicut respondere ei, qui neget te accepisse à divina manu, quod accepisti, & ut scias te accepisse, neminis potius interest, non esse nisi dubitantis de præsentis favore Dei, merito dixerim. Quid igitur opus est, jacere dicteria, detonare minis, probra cumulare in quemquam, qui cum Nostra sibi vindicat, secum potius, quam nobiscum pugnat? Nam aut quod nescit, scire contendit; aut quod scit, aversatur scire. Nobis omissa prorsus consectatione tam inquietæ præstantiæ & imitatione profani moris, hoc agendum est,

est, quod agitur. Ad rem, inquam, & Auctorem rei respicimus, felicemque annum, cujus, qui nunc volvitur, sæcularem memoriam renovat, singulari, novo, inusitato, Dei artium artificis, magisteriorum magistri, munere; adeoque laudibus, gratibus, æstimatione, pietate signamus. Quæ & multa nobis & seria, & magna suppeditat. Si ad fata Civitatis Nostræ, connexamque divina non gubernatione magis quam beneficiis temporum seriem; cogitatione prævertamur: non sæculorum modò, quæ antiquissima civitas haud pauca numerat, sed ætatum singularum ornamenta præcipua; nec, ut iis placet, qui eventuum inania potius, quam caussas auctoremque scrutantur ac observant, vicenarias, tricenarias, quinquagenarias periodos, sed propemodum annos, amplificatis Reipubl. opibus, gloriæ præstantia memorabiles possumus dare. Cumprimis autem postrema duo sæcula, maximis augustissimisque nominibus dicenda sunt: quorum altero, inventi post hominum memoriam celeberrimi felicitas; altero, & hujus & ceteræ felicitatis consummatio & fructus, institutione Scholarum, cum ipsis Reipubl. progressibus strenue efflorescentium, nos beavit. Antecessit integro sæculo Scholam Typographia; illa Scholarum passim plurium mater, & amica & adjutrix futura: antecessit, ut nuntiaret felicioris ævi ortum, civesque nostros de festinantibus ad majora civitatis successibus admoneret, imo ut locum illis metaretur. Antecessit, ut splendore suo, de secuturis talem Dominam pedissequis, quid pedissequas loquor? de opibus, paratu, divitiis, quas, ut in pompa sigillatim traductas, in Schola denique conjunctas stitit consecravitque, publice & in antecessum veluti testaretur. Quanquam potiora sunt, quæ ad communis Germaniæ fatum pertinent, omina. Cujus majestatem Imperii huc translata sedes primo celebravit: mox accessere bonorum, artium, monumentorum præcipua, donec ad summum jam fastigium properantia augmenta, hoc instrumentum sui operis viriumque adepta, facile suo statui adjecere quod deerat: erudi-

eruditionis videlicet & clarissimorum studiorum dignitatem atque copiam, id est, ipsum pignus & robur potentiae ad altissima profectae, quo Romani, quo Graeci nominis magnitudo aestimari censerique olim voluit, cum circulum suae felicitatis complevisset. licebitque perpetua observatione, copulatas florentissimis publice rebus, gentiumque validissimarum opibus literas animadvertere. Atque hic regredimini paulisper mecum, Auditores, à publico Germaniae statu, ad nostram Civitatem, quae iisdem, quibus Imperii totius claritudo, temporum spatiis crevit: nisi potius monendi estis, ut progrediamini ad universae fata Europae, quam nihil aeque ac Typographia illustravit, evexit, nobilitavit. Subest arcani majoris ratio sanctior. Cernitur dubio procul in omni humano orbe satis evidenter, divinae gubernationis administratio: sine qua nihil attollitur, nihil deprimitur: nihil reperitur, nihil aboletur: sed compendium tam diffusae curationis, sive, ut rectius loquar, officina interior secretiorque coelestium operum in Ecclesia quaeri debet. Et, sicut ad ceterum orbem omnia referunt Politici; ita ad hunc selectissimum coetum, tanquam ad verum & totum in orbe isto orbem, Christiani suam Philosophiam exigunt. Quae statim nobis ostendit, instaurationem sincerae Religionis, Lucem evangelicam, discussionem tenebrarum, & quae obsederant Ecclesiam passim, papalium superstitionum. Ut haec conversio fati Ecclesiastici, hoc tantum & tam singulare singularis provisionis negotium, quo DEUS ultima haec tempora beavit, promtius succederet, ut praeparatu facile, instrumentis locuples, praesidiis copiosum redderetur; Typographia opus erat: Haec praelusit operi: haec paravit notitiam, praeparavit industriam; communicavit consilia; publicavit decreta. Ut non minus Bezaleelem in Templo Christiano instaurando, Mentelius Germaniae praesertim praestiterit, quam instruendo Judaico ille fecerat, quem peculiaris ad id coeloque missa sapientia instruxerat. Licet adhuc altius ascendere: & quodammodo pia minimeque curiosa sedulitate

litate

litate coram DEO disquirere, sitne hoc artificiorum inventorumque, quibus humanam tum juvare, tum ornare voluit vitam, fastigium, apex, complementum, terminus? post quem (intelligo autem, & huic suam moram periodumque datam,) finis omnium ut rerum sic artium instet, quoniam reperta est una, quæ omnes juvaret, omnes contineret, doceret, amplificaret, consummaret. Nondum sustineo dimittere utilissimas cogitationes: quæ mihi divinam bonitatem non copiose modo ostentant, sed ex abdito insinuant. Obsederat terras profunda passim barbaries, & post literas suis sedibus ejectas, omnis elegantiæ, eruditionis, sapientiæ amor evanuerat. Audebant paulatim aliqui rem publice neglectam in decus quoddam & cultum revocare: sed privatis aut dispersis conatibus, communis segnities obstitit. Non enim jam vel Principes suæ fortunæ opibus dignam rem esse literarum studia intelligebant, vel hominibus ad adipiscendum tam operosa bona satis constantiæ ac industriæ supererat. Illa enim sicut eruditi sæculi propria virtus fuit, ita ad exortum ignorantiæ & tenebrarum evanuit. Ergo de optimis quibusque omnium linguarum & artium monumentis, de instructis Bibliothecis actum erat: dum vix reliquiæ honore aut cura sustentabantur; adeo de amplificanda ea felicitate nihil consilii susceptum est. Verumenimvero, in quo humana industria partim cessavit, partim desperavit, id DEUS Opt. Max. velut ex machina restituit subito & exornavit. Decreverat nimirum æterna summi Rectoris voluntas, gloriam pariter & bonitatem suam oculis mortalium & mentibus per illustria monumenta, copiosa adjumenta, efficacia instrumenta, si caperent, denuo infundere; si cæcutirent, allucere; si stuperent, inculcare. idque literarum ac studiorum beneficio: quæ à diffusis ambagibus in compendium, ab arduo paratu, in faciles usus, à parca suppellectili in parabilem amplitudinem, ab impensis ingentibus, in moderata pretia, simul & semel missa cælo Typographia vindicavit. Intuemini paulisper mecum, Auditores, bonum vere

cæleſte, vere divinum. Unde enim arceſſemus id litterarum propagandarum arcanum, quam ab eo, qui primus Adamum humani generis parentem litteras edocuit? qui poſtea in Adami poſteritate literarum unitatem conſervavit, usque ad Giganteas Nimrodici agminis molitiones, & immanes prodigioſæ turris ſubſtructiones. Ea enim rebus convertendis occaſio & cauſa fuit: confuſis primum ab irato Numine linguis, mox ſingulari Providentiæ conſilio diſcretis. Inde Linguarum (& quidni etiam Literarum?) varietas ex pœna in donum verſa, ſecundum orbis millenarium illuſtravit. Tertius incomparabile rerum operumque divinorum monumentum, Moſis manu in literas relatum, futuris ad finem uſque temporum, ætatibus transmiſit. Nam quæ ipſius DEI, ſcripturæ omnis auctoris & artificis, digito duabus ex lapide Tabulis inſcripta ſunt elementa, ſicut Moſaicis libris antiquiora ſunt, ita, quantum ad Literas attinet ac lapidem, certo tantum tempore, auctor ſapientiſſimus manere voluit. Hinc conſignari cœpere varia ingenii humani ſollertia, & rationibus ſubinde diverſis, multa ſacra, multa profana. Ferro, cera, in foliis arborum, in libris arborum, in plumbo, in linteis, in membranis, in chartis, iisque non uno modo confectis, varie ſcripturam elaborarunt, tot ſæculorum, usque ad majores noſtros, inventa. Frequentiſſima præſertim & uſitatiſſima denique membranarum volumina librīq; fuere. Hic perennaturi Auctorum labores, magna diligentia deſcribebantur. In his cuſtodiebantur jam æternæ veritatis arcana & fœdera. in his Græcia eruditionem ſuam, in his Latium ſuam famā & opera poſteritati transmittebat. Verum, ut diximus, tantum requirebat ea res laboris, quantum non niſi ſtrenuiſſima ætas ſuſcipere; tantum impenſæ ac ſumtuum, quantum non niſi beatiſſimi erogare poſſent. Temporis quoque mora in ſerum differebat, ſcientiarum pariter & librorum copiam. Hæc & alia incommoda, tam præſenti ope abolevit Typographia, ut omnibus, & cito, & ſemper loquatur, quisquis per impreſſa monumenta in publicum aliquid loqui-


loquitur. Prodere arcanos mentis ſenſus, notarum quibusdam judiciis, & quo vox non pertingit, literis loqui ac ſcriptura, divinum quidpiam eſſe agnoverunt, quicunq; ullum unquam divinitatis ſenſum habuere. At vero tam multa, tam repente, tam compendioſe, tam late diſſeminare, unoque & eodem tempore Orienti, Occidenti, Meridiano, Septentrionibus loqui, quanto eſt divinius, quanto perennius, quanto utilius? Arripiuntur celerrima typothetæ manu, è capſulis, quibus diſcretæ ſunt, literulæ: coaleſcunt in voces, dividuntur ſpatiis, terminantur verſibus; quorum ſinguli contigue ſibi invicem accreſcentes, ubi columnam, ut hodie loquuntur, ſive modum quem facies paginæ habitura eſt, explevere, colliguntur; donec diviſo locis idoneis numero columnarum, formas, quas vocant, clauſtro quodam ferreo, tanquam munimento circumpoſito, arcte coactas, prælum chartæ ſuperimpoſitæ imprimit. Ita quæ in formis ſiniſtra, in chartis dextra apparent: quæ in formis atramento, peculiari arte confecto, non colorata magis quam obſcurata erant, in niveo chartæ æquore, liquido ordinata ac diſtincta lucent & interlucent. Denique ut divinitatis typos quosdam & characteres, verba nimirum & ſenſus, cum ipſa ratione, mens humana ſuſcepit: ita perinſigni artis, quam laudamus, miraculo mentis ipſius notæ in charta repræſentantur. Nil poteſt tam ſubtiliter à quoquam cogitari, nihil tam eloquenter apud audientes pronuntiari, quin exactâ elegantiâ, legentibus ſtatim & ubique exhibeatur. Ut mille exempla publicandi operis, mille hominibus ſtatim diſtribui poſſint, ſimplici, nec amplius, mora opus eſt, dum unum perſcribatur: quod fœcundiſſimo pariter celerrimoque partu in quantumvis numerum multiplicatur. Adeo citius & copioſius diplomata ſua per terrarum orbem divulgat Rex æternus, quam edicta in angulos, ut ſic dicam, ſuarum ditionum dimittunt noſtri Principes. Huc enim, quod jam ſæpius monui, ſemper reſpiciendum eſt. Quicquid laborari, perfici, adornari hujus artis beneficio curavit DEUS, illud auctoris gloriæ

debuit servire. Cui soli si studeant homines, saluti suæ studeant utique: quæ extra Auctoris gloriam nec quæri nec inveniri potest. Porro sicut in grata usurpatione divini beneficii, complementum gloriæ, quam DEO debemus, consistit: ita initium ab agnitione beneficæ provisionis fieri par est. Cujus commentationis in plurima diffusæ, nunc paucissima delibabimus. Frustra inventa erat ars, post homines natos præclarissima, nisi accessisset idonea artis administratio: frustra ad capsulas typothetæ, ad prælum excusores sudabant, nisi eruditi correctoris laborem istum emaculasset emendatio. Fallor an plus incommodi quam emolumenti datura fuit rebus humanis Typographia, nisi divinis auspiciis instincti viri quidam cordati eruditique, omnium librorum partim male scriptorum, partim ab operis typographicis male lectorum, partim ab iisdem inevitabili quadam corruptione temeratorum, curam castigationemque, antequam prælo excuderentur, suscepissent. Illi cum viderent, non labore modo ad eam rem maximo, sed eruditione insuper diffusa minimeque fucata opus esse, immerserunt se in omne genus doctrinæ, linguarum studium singulari cura tractarunt, non omiserunt disciplinarum arcana & penetralia scrutari, ut edendis veterum in lucem publicam scriptis pares essent. Ex hoc genere Manutios, Stephanos, Cujacios, Erasmos, Gruteros, Casaubonos (non enim lubet plurimos enumerare) nominare possumus: quorum absque ope fuisset, non haberemus hodie tot Latina, tot Græca; tot sacra, tot profana monumenta: aut certe haberemus ea corruptissima, & omnino talia, quæ nec legi sine molestia, nec intelligi prorsus possent. Id quod exemplis docere promptum esset: si id jam instituissemus. Talium virorum critica opera, factum est haud dubie, ut non Typographica minus quam literaria res convalesceret. Verum ut præpostero judicio, divina munera mortales æstimamus, quos DEUS ut Heroes altioris fati consiliis destinaverat, per quos ipsam Typographiæ orbi concessæ animam, ut sic loquar, & vigorem voluerat vegetare, hos, cum egregie

egregie & excelſe ſapimus nimirum hodie, probris contemnimus & dicteriis. Quæ res non parum debilitat fati typographici momenta. id quod pauci vident, proh dolor! cum pauci revera ſint, qui videre non poſſent. Sed antiqua ſcilicet & obſoleta eſt illa magnanimitas, qua ſuo quisq; loco, attentus ſemper ad publicæ ſortis fortunam & intentus fuit: nunc dum privata quisque reſpicit, & ambitioni miro ſervitio mancipatur omnis eruditio, publica paulatim, imo confertim, ignorantur. Ex quo enim homines nulla bona arte inſtructi, cœperunt negotium poſteritatis & ſæculorum inepto auſu attrectare, rem totam vidimus degenerare, declinare, id eſt, ſi prudenti & neceſſaria divinatione utimur, ad exitum & barbariem feſtinare. Et quî poſſit aliter? Quæ in ſanctiſſimos uſus concedit terris bona DEUS immortalis, non patitur diſſimilimis rebus inquinari, aut inquinata ſubvertit. Quam juſtitiam fati, cum tot ſæculorum à condito orbe decurſus, per ſeriem nobis exponat: mirandum eſt, pleroſque tam hebetes ad hæc talia & rudes inveniri. Fervebant ab initio præla publicandis diviniſſimis oraculis, ſanctiſſimis doctrinis, honeſtiſſimis artibus. ſucceſſere plauſtra ineptiarum, volumina nequitiarum, libri flagitiorum, calumniarum, contumeliarum. quibus non viles modo & abjectæ animæ, optimis quibusque rebus peſſime uti ſolitæ, ſed eruditi & clari viri operam dedere. Atque utinam præteriſſet iſtud tempus, quo hæc accidere. Speraremus ſane, concuſſam potius rem literariam fuiſſe, quàm converſam. Sed cum nihil hodieque reliqui fiat, quod ad contaminandam nobiliſſimam Typographiæ artem, ad chartas commaculandas, ad eruditionem profanandam, ad eruditos infamia notandos pertinet, exiſtimamus hanc perniciem ad ipſa vitalia tendere, & ſalutis recuperandæ ſpem omnem præcidere. Valde enim infirmum diuturnitatis vinculum præſtat ambitio: cujus aperto furore aut occulta vafritie pleraque ab operum ſcriptoribus ac editoribus geruntur. Acceſſit quæſtus & lucri cupiditas, librariis negotiatoribus fami-

liare malum. itaque ergo, præter alia, quæ hinc ſubnaſcuntur, incommoda, optimorum librorum (qui vel revocandi vel promovendi in lucem ſuo merito eſſent) nulla habetur ratio; quin potius *Annalibus Voluſi* & neſcio quibus deliramentis imprimendis fervent officinæ. id aucupium auſpicatum, is quæſtus habetur maximus. Tales chartæ emtorem mox inveniunt: meliora, raros amatores habent. Dixi aliquid de pravitate & abuſu, quo res Typographica temerari premique ſolet: unde merito, & Divinæ Providentiæ reſpectu, ne opprimatur, verendum habeamus. Superſunt autem & alia in ipſis Reipublicæ viſceribus & temporum fato, quæ hunc metum augere nobis debent. Alterum ex his omen in publica inopia; alterum in publico erga literas faſtidio reponendum eſt. Scimus omnes, quantis opera typographica, librorumque editio impenſis indigeat, id eſt, talibus, quas vix Principes hodie & Proceres (præſertim in Germania noſtra) nedum privati tolerare queant. Hinc eſt, quod ad paulo majoris voluminis mentionem trepidant & tergiverſantur Bibliopolæ: hinc eſt, quod graviſſima Patrum ſcripta, quod Hiſtoricorum, Philoſophorumque opera aliquid amplitudinis habentia nemo, licet diſtractis jam omnibus prioribus exemplis, recudit. Quid futurum porro ſit, nemo eſt qui non animadvertat. præſertim cum literariam rem omnem, non modo non æſtimari amplius, ſed prorſus faſtidiri publice, ſatis conſtet. *Sublatis ſtudiorum pretiis, ipſa ſtudia peritura*, vere Romanus ſcriptor dixit. Quid, ubi cum pretiis, ipſe favor, ipſa tralatitia benevolentia, literis ac literatis apud eos periit, qui auctoritate, ſubſidio, ſed & officii nomine, unica erant rei tam pretioſæ fulcra? Sed quid differo, quod majus eſt, & ad convincendas ſecuras futuri mentes evidentius, exprimere? Invitus equidem id ulcus contrecto, Deumque meliora omina publica voce poſco: verum nimis iſtud verum videtur, quod dicam. Videtur, inquam, Patria communis nobiliſſima Germania noſtra, octo amplius ſæculis ad ſumma rerum faſtigia evecta atque celebrata, nunc

nunc urgeri fatis suis, & nescio quid magnæ conversionis (neque enim eversionis adhuc dicere sustineo) Europæo orbi, quem suis fatis innexum habet, parturire. In hoc rerum cardine, ne id etiam volvatur, quod tantam pace belloque claritudinem Germanis attulit, valde timendum est. Cedunt ornamenta Germaniæ & recedunt: Ornamentorum restat maximum, si recte æstimamus, & pulcerrimum. Restat sane, sed inter pericula, inter minas, inter fulmina. Quæ & cogitationes nostras & orationem, attonita consternatione ad silentium usque exterrent. Nisi quod pietate, precibus, lachrymis, nunquam desistemus, supremum numen pro conservatione tanti boni interpellare.



XII.

ORATIO DE FASCIIS,

Quibus involvuntur Arcana Majestatis.

Habita

Mense Januar. Anni cIↄ Iↄc XLIII.

Cum post ferias Natalitias, & nundinales, ad lectiones publicas ordinarias rediretur.

ORnatissimi Auditores. Non decet nos publicos hujus anni labores, sine auspicio operis, sine voto successus, sine industriæ regula ordiri; ne sine Deo ordiamur, in cujus nomine ista omnia continentur. Sed ut Deus nobis sit, quod quærimus, necesse est ut nobiscum sit, ut in nobis sit, ut noster sit. Noster autem est in Filio: ad cujus præsepe nuper sedimus, & cum

cum simplici pastorum genere, totas divinitatis opes, in nostros artus & angustias humanæ carnis, nobis è cœlo demissas pio stupore demirati sumus. Replicavimus fascias, quas Angelus nobis tanquam quædam reperiendæ salutis pignora demonstraverat: vidimus in humili spectaculo invisibilia, tetigimus in fragibili corpusculo Deum, inteleximus latere in tenuibus fasciis, quæ orbis iste suo ambitu nunquam clausisset, nunquam clausurus esset. Replicavimus fascias, ad reperiendum: convolvimus, ad venerandum. neque replicantibus, quod caperemus defuit; quippe ut capi à nobis immensa possent, fasciis includi voluere: neque convolvendi caussa deesse potuit, ut quæ nec fasciæ, nec cogitationes nostræ caperent, tanquam in conclusarum fasciarum mysterio, reverentia atque consternatione obsignata custodiremus. Replicavimus iterum fascias, ut post ceteram pietatem, hujus anni fata scrutaremur, ut auspicia captaremus. ut colligeremus omina, ut attenderemus præcepta salutis. Deprehendimus, nullam Saturni & Jovis coitionem timendam esse, ubi Sol justitiæ, hujus & omnium annorum præses, è terris nostris & cunis suis, toti cœlo ac sideribus cunctis moderatur. Amplexi sumus, divini fulgoris radio expressum in fasciis symbolum, quod regii generis vates Esaias admiranda Immanuelis appellatione jam olim præmonstratum voluit, ut auspicium perenne credentium, ut tesseram beatitudinis, ut omen & pignus æternitatis. id nobis artem facile persuasit & rationem, qua fascias nobis, nos fasciis implicari liceret, & cum isto virtutis præsidio, in isto sinu securitatis adversum cæli terrarumque minas, tumultus, & (si hoc in fatis foret) ruinas perennare. Animadvertimus, in istis fasciis omnem sapientiam latere: & cum involucro infantis, omnium doctorum volumina permutavimus. Nihil jam scire cupimus, præter fascias ejus qui scit omnia, postquam ex iis, nihil nos scire, intelleximus. Neque hoc dico, ut amorem sapientiæ & studium, cui vos totos consecrastis, eximia Pectora, cujus caussa hunc locum frequenti con-

congressu celebrare soletis, extinguam in vobis aut deminuam: sed ut sub exemplo vobis ostendam, omnia gravioris sapientiæ momenta pendere ab elementis eruditæ ignorantiæ, neque ullo successu contendi ad Palatia Musarum & montes, quæri citharas, ambiri laureas, si prætereatur salutaris spelunca & præsepe fasciarum receptaculum: quarum simplicitate quæcumque non imbuitur sollertia, stultitia est. Nihil Deo, nihil patriæ, nihil nobis sapiemus, nisi hinc sapiendi auspicia repetierimus. Atque, si humano more de sapientia loquendum est, ubi sunt abdita scientiarum, ubi recondita doctrinarum, ubi secreta artium? unus ista omnia pannus involvit, unæ concludunt fasciæ, quæ Sapientiam Dei, sive potius Sapientiam quæ est Deus, conclusere. Inexhausta esse Sapientiæ mysteria, tota gentilium credidit antiquitas: sed periculose credidit, quia haud raro in profundas voragines incidit; sed frustra & vaga fide credidit, quia ad vim & spiritum & usum mysteriorum nunquam penetravit. Quid gentiles loquor & paganos? Electa Deo & dilecta gens præ omnibus, desideravit penetrare quæ nos introspicimus: optavit introspicere, quæ nos palpamus. Vidit fascias arcanorum sapientiæ conscias, & adoravit, sed tanquam in tremendo & inaccesso arcæ fœderalis arcano inclusas. quæ nunc patent omnibus, quæ mysteria sua pastoribus æque pandunt ac regibus: quibus involvi rudes properant, ut discant sapere; quas evolvere sapientes gaudent, ut involutas sapientiæ opes admirentur. Primus ad sapientiam gradus est, admirari sapientiam. Admiratur autem, qui ignorantiam suam agnoscit. à cujus professione, ut antea cœpimus dicere, tota hæc disciplina ordienda est. Meditabimur unum specimen, ut de omnibus erudiamur: & fascias illas nostras denuo complicabimus, ut replicemus; replicabimus, ut complicemus. Qua veluti sapientiæ tessera, miscendam sollertiæ simplicitatem, cognitioni venerationem, judicio stuporem, statim & serio indicamus. Plurimum sibi & splendidissime videntur sapere, qui fastigia imperantium, jura imperii, decora Majestatis & in-

& insignia & *Arcana* interpretantur. hac enim voce libentius utuntur, & crebrius abutuntur; eodem utrobique fine, ut auctoritatem sapientiæ & summam præferant. Equidem sunt omnino regnorum arcana, sunt rationes in alto secreto repositæ, sunt intimi recessus penetralia, quibus majestatis imperatoriæ præsidia & ornamenta custodiuntur. sed illa suspicantur potius quam sciunt, qui extra fascias infantis Regum-regis quærunt. *Hæ sunt fasciæ, quibus involvuntur Arcana Majestatis:* quia eum involvunt, qui majestatis auctor est & conservator; quia eum ambiunt, cujus majestas omne lumen & radios mutuatur majestate fulgentibus. Incipiemus ab auspiciis regnorum: quibus nihil sublimius esse, nihil sanctius, etiam ii observarunt, qui nec sibi nec aliis, quid essent regnorum auspicia, explicare potuerunt. Retineatur in gratiam illorum appellatio sane profunda, & significet nobis illam Majestatis verendam vim & divinam amplitudinem, quæ in omnes actus imperatorii partes valet & splendet, humano orbi venerabilis, sacrosancta, inviolabilis, Deo proxima. Hæc fortunam agentibus, consilia deliberantibus, civibus leges, terrorem hostibus dispensat. hinc jurata obsequii vincula pendent, hinc reip. dignitas & securitas emergit, hinc grande illud societatis humanæ corpus vitalem spiritum haurit. Hæc est illa origo Legum Majestatis, quæ ceteras leges tuentur. Hæc origo jurium majestatis, quorum custodiam profitentur leges majestatis. eo districtiores, quo sanctioris rei patrocinium suscepere; imo eo justiores, quo districtiores: quia nec clementiæ uspiam nec justitiæ locus erit, nisi hoc utriusque fundamentum statuatur. Hæc sunt sacra regni, à quibus consilium in adversis & spem; in secundis decus mutuatur & vigorem respublica: hæc neque odisse hostes, neque non amare cives possunt. hæc faciunt imperatorẽ mille luminibus oculatũ, omnia arbitrari, omnia audire, omnibus intervenire, omnibus adesse, omnibus aliquid sui aspirare. Meministis, Auditores optimi, talia vos aliquando legisse. verumenimvero quæso vos, ne facite,

cite, quod plerique profecto faciunt; ne putate hic subsistendum esse, ubi incipiendum fuerat; ne credite ad summa, ad arcana vos pervenisse, donec arcanorum cubilia in præsepio Bethlehemitico scrutati fueritis. Iterum dico: *Hic sunt fasciæ quibus involvuntur arcana majestatis.* si arcana majestatis auspicia quæris, hæ fasciæ fata & jura regia circumdant, quia regem circumdant, quia Regum-regem circumdant, quia propter reges circumdant. Si arcana regnorum sacra vestigas, ecce & regias & sacras fascias, & sanctitati regum à sanctissimo rege consecratas. Accedamus propius & evolvamus, quæ arcanis fasciis involvuntur. Exemplum nobis præbeat Imperatoris omnium quotquot fuere, maximi majestas: sub quo nasci voluit Deus, sub quo fasciis includi voluit, ut & ipsi & omnibus imperatoribus fascias majestatis accomodaret. Sedet Romæ Augustus; ex illo imperii ac majestatis suæ domicilio, pacem & leges suas terrarum orbi dispensat: timetur à populis, ambitur, colitur, donis & obsequio placatur. & quod nullius unquam arma impetraverant, unius viri nomen efficit, ut servitium orbi pro libertate placeat. Atque hic magnifice jactent scriptores, vim Romanam, Augusti magnitudinem & & artes: quibus omnes, potentiæ tantæ & caussas & vires adscribunt. Adulatio etiam viventi ἀποθέωσιν facit, consecrat conditorem tam diffusæ dominationis, templisque & cærimoniis colit. Qui cautius aulæ & Principi placere cupiunt, divinitatis aliquam opinionem novo Principatui vehementer conducere judicant; sed dum simulacra talis famæ & commenta adornant, nihil ipsi divinum credunt aut sciunt, quasque ad populum phaleras concinnant, domi secum rident. Magistri dominationis illuc tandem deveniunt, ut arcanis facinoribus & flagitiis arcana majestatis tuenda arbitrentur. Ipse Augustus sentit quidem fortunam suæ majestatis, videt splendorem, sequitur auspicia, & pæne intelligit esse ab altioribus auspiciis: sed in ipso magnitudinis intuitu hebescit, & ad se tantum respicit, sibi auspiciorum virtutem tribui cupit, & hoc ipsum inter

arcana majestatis, & auspiciorum excogitat. Inter hæc alibi fasciæ pueriles, majestatis Augustæ & auspiciorum Romanorum unum & verum auctorem involvunt: & infantis subditi auspicio terrarum imperator invalescit. Hoc est illud immanis miraculi arcanum, hoc majestatis tuæ & auspiciorum auspicium, ô Auguste, quod Rex æternus, Regnorum omnium conditor & arbiter, civis tuus nasci voluit, quod in orbe tuo hospitium quæsivit, fascias admisit, è præsepio suo omnes ditiones tuas, omnes provincias, venerationis tuæ implevit. Nunc intelligo, divinum aliquid esse Majestatem, cui Deus se submisit: nunc video auspiciorum sacra, & cærimonias quas nascentis Dei auspicium instauravit. Nunc apparet, cur ministrorum omnium & adjutorum fortuna ad Principem referenda sit, cui fortunam Deus soli destinavit. Non miror jam, impios dici, qui majestatem violant. Deus est enim in regibus, quidquid majestatis & auspiciorum nomine signamus. Non miror jam sacratos titulos, sacrata jura: quæ, cum aliis pluribus arcanis, in sacratis nostri Regis & Dei fasciis continentur. Quas qui non revolvit, jactare arcana imperiorum facilius potest, quam intelligere. Unde tot errores gentilium, qui vel divinitatem, quam non credebant, affectabant, vel, quam suspicabantur in opere, non reperiebant in origine. Et quid mihi arcana dominationis ac domus confingitis? Unum & primum arcanum imperii domusque latet in fasciis ejus, qui imperium domumque Augusto & successoribus descripsit. In illis fasciis longe certiora, quam in libris linteis Romanorum, lego imperantium tempora, casus, seriem, exitia. Illæ fasciæ nihil admittunt tam versutum, tam perplexum, tam involutum, qualia sunt commenta aulicorum, & quæ in aurem Augusti Crispus ille Sallustius & callidissima feminarum Livia instillavit. Quibus dum auscultat Augustus, corrumpit sacra Majestatis, & offendit simplicium fasciarum habitatorem: qui jam pœnas ejus rei meditatur, & arcana tyrannorum longe antea quam fierent prævisa damnat. Machina-

chinatus est postea Tiberius mira arcanarum artium involucra, & velamenta, & facinorum, ut ita loquar, pallia: loquitur ne intelligatur, tacet ne non intelligatur; loquitur, nec loquitur; tacet inter loquendũ & loquitur inter tacendũ, magnoque conatu cum suis verbis & animo luctatur, ne unquam introspiciendum se aut quidquam sui præbeat. Apage tam molestas fascias, quæ nec occultant, quod occultant, nec debent convestire, quod laborant convestire. Nostris fasciis Arcana Majestatis involvuntur, quæ sunt vere arcana, quia profundissimæ meditationis sunt; & sola arcana, quia quidquid in ceteris boni est includunt; & suprema arcana, quia nihil majestate est superius; denique arcana, quæ non cupiunt latere ad fallendum, sed amant recondi ad investigandum. Utinam vobis dux esse possem in ista investigatione, & altissimi eloquii secreta, perspicua stili tenuitate designare. Majestatis enim profundissima est notitia: ut solet in rebus, quæ ipsa magnitudine sua & splendore humani intellectus aciem obtundunt. Multum dicunt, qui de summa potestate & summa dignitate hic pronuntiant: sed utriusque fontem, ipsumque majestatis genium nondum assequitur, qui ista audivit. Nos ut altius ascendamus, rursum descendemus in speluncam Bethlehemiticam, ad eum, qui nostra caussa è cœlo in tam angusta hospitia descendit, ibique denuo fascias admirandi Infantis tractabimus: quæ solæ continent, quod nulla capiunt Palatia, ingens decus majestatis. Illæ fasciæ non regem modo vinciunt, sed qui Rex ab æterno, ex regia stirpe rex in tempore natus est, ut regibus regna daret, & quæ ipsis regnis est augustior, regiam majestatem. Nemo meretur potestatem in alios: nemo dignitatem supra omnes. omnis à Deo potestas, omnis à Deo dignitas sit necesse est. Quidquid autem à Deo homines accipiunt, propter Christum accipiunt: qui homo natus est, ut hominibus omnia daret, sive ut per ipsum omnia possent homines accipere. Magnus ille David non fuisset rex, nisi eundem habuisset dominum, quem habiturus erat filium; ideo


dominum & dominii largitorem, quia filium, id est, quia hominem. cujus nativitas & antequam nasceretur, omnibus omnia dedit, nec minus postquam natus est, omnia omnibus erit in æternum. Neque tantum dedit Regibus majestatem noster Infans, sicut omnia omnibus dedit, sed sicut Rex Regibus, ad exemplar quoddam suæ majestatis. Hinc illi characteres, si hac voce uti licet, magnitudinis, sanctitatis, splendoris: quibus non tam Reges in imperio præfulgent, quam Deus in regibus. Quam cognitionem, si ab ipsa & sola divinitate vellemus arcessere, majestas haud dubie sui vestigatores obrueret. Maneamus cum Deo, qua humanos obtutus admittit, quia homo est, & simul Deitatis arcana nobis revelat, quia Deus & homo est. Hic qui in præsepii angustiis puer jacet, omnes mundi terminos implet ac terminat: regnat in cælo & vagit in pannis: clauditur maternis ulnis, cui angusta sunt regum domicilia: ubique præsens omnia cernit, omnia audit, omnibus actibus, omnibus cogitationibus miscetur, omnia moderatur; in bellis victoriam, in pace fortunam disponit: atque inter hæc ipsa & per hæc ipsa, ut propius ad rem loquamur, Augusti imperio majestatem is addit, qui sine honore inter jumenta projectus videtur: & principis Romani purpuram, infantis Bethlehemitici panni illustrant. Gaudet novo sanctoque nomine *Augustus*: ejusque gratiam S. P. Q. Romano se debere credit. Erras Auguste, dixerunt te Romani, non fecerunt Augustum. neque te fecisti ipse talem: sed qui te Augustum voluit, jussit, nec agnoscitur in tua aula, nec colitur. & interim tamen (vide bonitatem ignorati tibi numinis!) quod orbis pleramque partem sub ditione tua contines, quod nomen tuum gentes venerantur, quod institutum à te imperium non tam annis, quam sæculis numerabitur: id omne munus est ejus, cujus nomen necdum nosti, cujus imperio sic tamen subes, cujus robore totus sustentaris. Quantum & fasciarum & majestatis arcanum est, majestatem in fasciis latere, è fasciis dispensari, extra fascias ignorari? Infaustæ ignoran-

tiæ

tiæ exemplum non tam de temporibus iſtis memorandum, quam in noſtris deplorandum eſt. Adhuc in ſpelunca jacent faſciæ, cum omni ſua majeſtate, non ingrediuntur in aulas, non reponuntur in auguſtale & majeſtatis templum. Quo magis admonendi eſtis, Generoſi juvenes, quorum ſtudia reip. & aulis & majeſtati imperiorum deſtinantur, ut ad gubernacula rerum admoti, aut juxta Principum latera conſtituti, prima majeſtatis ſacramenta & auſpicia & conſilia ex faſciis, quas nunc meditamur, repetatis. Præcipuum boni conſultoris & adminiſtri opus eſt, majeſtatis decori & uſibus ſe in ſolidum dedicare, id eſt, quæ majeſtatis origini & naturæ repugnant, ſedulo ſemper evitare. Malarum artium brevis gratia, infelix præmium, æterna turpitudo eſt. Miſera ſunt arcana, quæ apud male moratas aures, quibus ſolis placere poſſunt, perire optant, nec poſteritatis conſcientiam audent ſuſtinere. Pro quibus Vos, ô mei, arcana majeſtatis ſanctiora ſuggerite Principibus veſtris & demonſtrate: *Dirigere præcipua rerum ad famam, ſed quæ ex virtutis merito naſcatur; divinitatem imperii pietate tueri, juſtitia firmare, clementia ornare: adeoque magnum majeſtatis arcanum reponere in juſtitia, majus in clementia, maximum in pietate; jura imperii, ſeveritate adverſus contumaces, gravitate apud amicos, prudentia ab inſidiatoribus vindicare; neminem unum evehere ſupra præcipuam legem majeſtatis, quæ Principem imperio, imperium alligat Principi; pravis magiſtris accenſere, qui Principem ad ignorantiam privati redigere, ſe vero in arcana Principatus cupiunt collocare; ſolam rationem ſtatus credere, quæ eſt ratio majeſtatis; nihil fructuoſum putare, niſi quod honeſtum; nihil regium, niſi quod magnanimum; nihil glorioſum, niſi quod ſincerum: neminem ſceptro amicum credere, niſi qui Deo ſit amicus; adulatores, ut majeſtatis inimicos, aula pellere, adulationem excludere animo, qui nunquam ſimul majeſtatem, ſimul adulationem amare poteſt; nemini aliquid debere, ut facinorum miniſtro aut repertori; neminem præmio fidei & virtutis defraudare; benevolentiam civium pro muro amplecti, illuſtres viros pro præſidio, ſapientiæ doctores pro theſauro.* Quidni enim hoc adjungam, quod negle-

neglectum nostro ævo, calamitatum Iliadem dedisse, posterorum temporibus barbariem daturum esse, omnes videtis? Revocate in memoriam vestri sæculi, veteres imperatorum pro imperii majestate curas, & *Oecumenicum magistrum, cum duodecim collegis, omnis doctrinæ, & sapientiæ consultissimis*, præcipuum quondam orientalis imperii & majestatis regnatricis ornamentum. unde tanquam ex oraculo, disciplinam rectiorem cives, consilia graviora Principes petebant. Quod sapientiæ sacrarium cum immanis ille & sola feritate mensuram sui nominis implens Leo combussit postea, quid aliud obsecro egit, quam arcanum Romanæ majestatis, & sanctissimas atque in ultimos casus profuturas opes eodem illo igne abolevit? Ostendite in publico tam infames temporum notas, quotiens licebit: replicate annalium monumenta, & vitandorum stimulos objecta male consultorum foeditate adhibete, quicunque principum commodis consulturi estis. removete à Justiniani latere turpissimæ rapacitatis magistrum prætorii præfectum: qui infausto commento quæstus, stipendia doctorum & præmia studiorum sustulit, non alio successu, quam ut orbem Romanum agrestis inscitia & profunda nox ignorantiæ obscuraret. Hæc dehonestamenta sunt majestatis, hæ regii nominis maculæ. Vos, ut majestati & regibus pia suadeatis ac decora, semper recurrite ad fascias, arcanis pariter & insignibus majestatis refertas: inde, quicquid evolvere potestis, conferte ad splendorem & vim imperii. inde diadematum, coronarum, sceptrorum, purpuræ, gladii, Palatii decorem arcessite. Colunt illa insignia imperii, & in sanctitatis speciem adornant ostentantque, quicunque aulas & fortunam Principum sequuntur. Sed plerique nec fortunæ ejus, nec sanctitatis auspicia intelligunt, morem pro ratione, adulationem pro judicio usurpantes. Vobis convenerit venerari Palatium, ut majestatis sedem, quia novistis auctorem majestatis jacuisse in stabulo, ut eodem tempore Palatium Augusti consecraret. Splendeat etiamnum in purpura majestas, quia unus & idem majestatis Dominus sibi pannos, regi-

regibus purpuram circumdedit. Coronentur regum capita, quia ejus regis caput coronavit regum regnator, ex cujus domo ipſe rex naſci voluit. Armet vindicem juſtitiæ dextram gladius, quia eadem opera ſe faſciis, imperantes gladiis accinxit vitæ necisque ſupremus arbiter. Idem nimirum, qui ſua ſceptra, ſuam imaginem regibus inde ab antiquo communicavit. Penetravit quidam hujus arcani ſenſus ad gentilium nonnullos; unde ſceptra à Jove deducit regique ſuo accommodat princeps Poëtarum Homerus. Videbant nimirum ſacra eſſe & divina, quæcunque majeſtatem adornarent, nec videbant, quomodo: quippe qui ignorarent faſcias, quibus religio majeſtatis & ſanctitas conſecraretur. Omnia autem hæc majeſtatis pignora, gloriæ inſtrumenta, venerationis inſignia, ſanctitatis arcana, longe felicius ſuum decus, ſuas vires tuebuntur, cum in generoſi & pii conſultoris fidem inciderunt. Hic faciet, ut divina videantur, quæ non aliunde quam à Deo arceſſit: hic faciet, ut in oculos humani generis exſplendeſcant, quotiens majeſtatis intereſt, oſtentari majeſtatem: hic faciet, ut intra faſciarum arcana volumina cuſtodiantur, quotiens ad majeſtatis decus pertinebit, ſecretiora majeſtatis ignorari. Denique tantum arcanæ ſapientiæ in unico faſciarum noſtrarum volumine inveniet, ut nunquam ei ad conſilium prudentia, ad actum conſtantia, ad miniſteria dexteritas defutura ſit. Satis dixi ſapientiæ cupidis: quorum inſtitutio hinc incipiet, ubi noſtra oratio deficit.



XIII.

ORATIO

habita à J. H. B.

Anno CIↃ IↃC XLVIII. *d.* XX. *Octobr.*

In Brabeuterio Academiæ Argentoratenſis, cum ejus Rector ſecundum renuntiatus eſſet.

ADes ergo propitius & clemens, Benignissime Maxime DEUS! &, quem inclytæ hujus Reipublicæ civem, Academiæ doctorem, & clarissimorum virorum collegam fecisti, atque hactenus mandata pro virili capessentem munia, consilio, ope, successu, contra tot mala sæculi, per memorabilem ætatis humanæ circuitum, potenter juvisti; nunc porro respice servum tuum: ut Rectoris officio, quod mihi venerandi ordinis Academici suffragia, & præsertim augusti Senatus jussa, secundum imposuerunt, fungar ex voluntate tua, pie; ex voto civitatis, decore; ex usu studiosæ juventutis, feliciter! Vos, Auditores, sua quisque dignatione, stemmate, merito, officio, doctrina, virtute, indole splendidi atque honorandi, quin vestras cum meis, pro Republica, pro Academia, preces conjungatis, justissimasque vobis in hæc nomina, necessitudinis caussas existimetis, nullus dubito. Itaque, inter sollennia hujus diei vota, invicem vobis omnibus ac singulis bene precamur, cunctaque fausta & exoptata ominamur. Et quoniam initio capessendi hujus muneris, orationem à me aliquam expectari, intelligo: materia mihi sermonis ad Vos, Auditores, erit, nec à professione mea, nec ab exemplis ævi nostri, neque adeo ab eo ipso, quod diebus præterlapsis inter commilitones tractavi, argumento aliena. Dicam enim de præcipuo boni civis in Rempublicam ejusque statum officio; & expendenda vobis, exempli loco proponam, celeberrima Theramenis & Lysiæ consilia, quibus uterque, circa mutandum aut tuendum Reipublicæ Atheniensis statum, ad eandem optimi civis laudem, via & constantia non eadem, atque idcirco, eventu valde dispari contenderunt. Hinc Therameni, mutabilis consiliorum varietas, ex tegumento pedum, utrique pedi diversoque sexui congruente, *Cothurni* cognomen indidit: Lysiæ vero propositum consiliumque, non in alium dixeris hominem convenire, quam qui sit vere (ut de Græcis civibus Græco elogio, id quod quærimus efferamus) φιλόπολις sive φιλόπατεις, vir patriæ studiosus ac diligens, denique com-

communi voce, sed eximie accepta, optimus *civis*. Qua in re animadvertenda, si exigui temporis audientiam mihi comitas vestra fecerit, Auditores venerandi, operam dabo, ut, postquam prudentiorum judiciis summam totius rei permisero, non inutilia interim profectui studiosæ juventutis videar attulisse. Incidit uterque, & Theramenes & Lysias, in tempora Reipublicæ suæ, omni perturbationis genere inquieta, vereque fatalia. Bellum contumax & diuturnum; pactiones infirmæ aut infidæ; hostis prævalidus, & ad extremum, victor: nulla foris in amicis spes: nulla domi concordia. hæc miseram Athenarum civitatem in eum adduxerant statum, ut malis suis, & malorum remediis juxta laboraret. Tali rerum habitu, gerere rempublicam, ut sit res publica, quàm sit arduum, vix animo concipi, extra præsentis discriminis casum, nedum exprimi verbis potest. Interim primoribus civium, quique civilium rerum administrationi se dederunt, eoque suas curas & officia semper retulerunt, non licet à gubernaculo navis jactatæ diffugere, &, cum agitantur omnia, se ad quietem compressis manibus componere; quo minus omni divina humanaque ope, præcipue quidem in portum, aut, si vi majore prohibeantur, in stationem non infidam, enitantur navem Reipublicæ subducere. Sed hoc ipsum scilicet momentum fati, fortunæque publicæ libramentum, ut sic dicam, satis discerni & notari interdum vix potest. quo fit, ut stationem circumspiciamus, ubi portus nondum desperari debuit; aut nimis ad portum adspiremus, ubi statio pro portu nobis poterat sufficere. Inter hæc ancipitia, cum & flagitiosa desidia, & periculosa est industria, non regulis aut formulis, quibus nec alias semper magna negotia se patiuntur illigari, expeditur reipublicæ tractatio: sed consilio prudenti, animo magno, præsenti virtute, imo, ut semel dicamus sine quo frustra dicuntur alia, divina quadam felicitate. A cujus sensu, magnus alioquin vir & ad negotia reipublicæ quodammodo genitus, plurimum devertit Theramenes: tum in cetero tam periculosi temporis tractatu; tum in iis præ-

ſertim conſiliis, per quæ de ipſius reipublicæ diſciplina ſtatuque dubitatum eſt. Regebatur Athenarum civitas imperio populari: cujus tam ſtudioſa fuit, ut inſtitutam, inde à Regibus, populi potentiam, licet tyrannide Piſiſtrati, & poſt magnum intervallum paucorum dominatione, de qua nunc dicendum erit, interjungeretur, ſemper inſtauràrit, atque, ſub Macedonum quoque opibus, ad vim Romanam usque conſervarit. Unde non aliud temere nobilius exemplum populi liberi, ſcriptoribus doctrinam civilem profeſſis in ore eſt, quotiens de imperio populari diſputant. In hac itaque multitudinis poteſtate, quin multa evenerint, quæ libertatis modum egrederentur, atque id regiminis genus, viris præſertim claris ac illuſtribus grave ac acerbum facerent, nemo inficias iverit. Sicut nec illud obſcurum eſſe cuiquam poteſt, qui literas Græcas attigit: in rebus arduis & creperis, ſæpenumero nihil moderati compoſitique vel conſilii, vel actus, per licentiam multitudinis expediri potuiſſe. Verum hæc atque talia, cum valeret reſpublica, optimus quisque, rerum humanarum fragilitate, & comparatione incommodorum, quibus nullus imperii cujuscunque ſtatus vacat, ſolabantur: ceteros, quibus ſuum dolorem, ante caritatem patriæ ponere, nulla religio fuiſſet, publicæ opes vel deterrere, vel contemnere poterant. Res adverſæ facilius mentes civium alienant, aut alienatas detegunt. id quod Athenienſibus uſu venit, cum in bello Peloponneſiaco, male geſtis in Sicilia rebus opes eorum ſeneſcerent; Lacedæmoniorum autem, cum quibus hactenus de imperio certatum, mox de ſalute certandum erat, augerentur. Hîc enim non diſtulerunt, mutandæ reipublicæ & à populo ad optimates transferendæ, conſilia agitare, ac publicè mentionem inferre, quibus præſentia maxime diſplicebant. Sic effectum eſt, ut ſumma reipublicæ quadringentis viris permitteretur, & jus populi in paucorum concederet arbitrium. Auctor tanti operis inter præcipuos Theramenes, apud priſcum Ariſtophanis Interpretem, & Lyſiam, &, cui hac in re tota plurimum debemus credere,

credere, Thucydidem, memoratur. Licet enim, exul tum temporis & hostium rebus immixtus Alcibiades, Pisandrum Atheniensium prætorem, qui apud Samum exercitum habebat, in hujus rei molitionem impulisset, isque plures sibi adjutores comparasset, Athenis tamen, in ipso negotii tractatu, Theramenis opera magni fuit. Aderat viro auctoritas ex meritis; robur, ex dignitate parentis; fides ad populum, ex civilitate & studio libertatis, quod semper præ se tulit; eloquentia autem, quæ res asperrimas mitigaret, & ingratissimas in omnem gratiarum speciem adornaret. Operæ pretium fuerit forsitan, Auditores Venerandi, rem per monumenta veterum dispersam, summatim cognoscere: ut appareat, quid pro consilio Theramenis, & qui in eadem fuere sententia, adferri, quidque dici contra possit. Exaggerabatur ante omnia periculum Reipublicæ, prope ad desperationem redactæ, & unicum ostentabatur remedium, ex mutato statu: sive gerendarum rerum expeditior ineunda ratio esset, sive externa quærerentur auxilia: esse copiam amicitiæ Persicæ, & quendam veluti è machina Deum, hanc indidisse Alcibiadi exuli mentem, ut suam patriæ offerret operam in conciliando Tissapherne, regiis opibus, quibus Lacedæmonios juvabat, præfecto: ita instaurari posse res prolapsas, si Persarum regis auxilio Lacedæmonii priventur, Attici confirmentur. aliud consilium superesse nullum. Itaque Alcibiadem in patriam revocare studerent, quicunque rem Atheniensem non extinctam cuperent. illius auspicio, fortunam cum insigni munere opum Persicarum, mox in partibus fore. Frustra autem de Alcibiade restituendo ac reconciliando agitari, nisi Respublica ab optimatibus administretur. quippe, ut in partes trahi Persa posset, nomen popularis imperii abdicandum. regibus cum libertate populi parum convenire; paucorum auctoritati plus fidei inesse. Intempestive ac pæne inepte de administratione Reipublicæ disputari, ubi de salute Reipublicæ agendum est. Tempori cedendum, quod civitatis disciplinam adeo sibi attemperat, ut optimum imperii genus

decernat, quod rebus instantibus ordinandis accommodatissimum est. Lacedæmonios quoque multum de hostili odio remissuros, imo in pacis æquæ fidem facilius conventuros, si populus ejurata priore potentia, unice hactenus illis suspecta & invisa, ultimum patriæ casum remittat. Componendi belli tam diutini, tam ancipitis, nullam dimitti occasionem oportere. interim ad subita casuum, & ardua consiliorum, inhabile multitudinis arbitrium: pauciores, & quasi ex intractabili mole delectos, promtius præsentiusque commoda populi provisuros, ac munia Reipublicæ executuros accuratius. Esse ad manum viros, nulla hactenus nisi populari arte spectatos, & civilibus commodis promovendis innutritos, quibus citra hæsitationem committi possint, quæcunque recte curari, Reipublicæ intersit. Ne quid tamen præter salutem civium agi videatur, quadringentis optimatibus præsto esse, & communes curas capessere debere, quinque civium millia, ex iis scilicet, qui non corpore tantum, sed etiam pecunia, adeoque *cum equis & scutis*, ut ajebat Theramenes, juvare Rempublicam possent. Nam in hoc multum sibi placuit ille, magnamque suæ defensionis partem in eo collocavit apud Xenophontem, si temperatæ potius mixtæque, quam eversæ popularis libertatis auctor haberetur. *Semper*, inquit, *ab illis peraque dissentio, qui popularem negant constitui Rempublicam posse, nisi homines servi & inopes, quique ob paucos numos rempublicam proderent, domi militiaque rerum administrationi adhibeantur: & ab illis, qui optimatium imperium nihil esse aliud arbitrantur, quam ubi paucorum tyrannide libertas opprimitur.*

Honesta oratio, si prætextum caussæ potius, quam ipsam caussam intuemur. suberant enim omnino, quæ publica præscriptione rebus privatis obducebantur. Quantum enim ad Alcibiadis promissa attinet, diserte ex Trogo *Justinus* prodit, ea nihil aliud spectasse, quam *ut aut concordante civitate, dux belli ab omnibus legeretur; aut discordia inter ordines facta, ab altera parte in auxilium vocaretur.* Itaque, qui ei suffragabantur, veluti communis spei pactione illecti, *populi*

potentiæ

potentiæ non amicos; *& optimatium fautores* se præbebant, quod in Pisandro, diligentissimum scriptorem Corn. Nepotem non præteriit. Præcipue autem, omnes mutandi status auctores actoresque hac descriptione insignivit gravissima *Thucydidis* historia, quod suæ quisque spei tendere, suæ dignitati & potentiæ locum atque nomen struere, non dubitaverint. In Theramenem seorsum hoc nomine acriter invehitur Lysias: quem caussæ suæ servire opineris forte, nisi oratoris fidem, historia ultro tueretur.

Ea propter in consiliis talibus nulla potuit esse constantia, sive, quam Græci elegantius dicunt, ἐυςάθεια. Occupato enim vi & fraude dominatu, sublatis etiam clam è medio, qui libertatem populi defendebant, populoque palam exterrito, quadringenti non aliis, quam quibus quæsiverant, artibus, potentiam egerunt, multaque impotenter & superbe patraverunt. Hinc occulti primo questus, & perlata ad exercitum in Samo tyrannidis facinora effecerunt, ut egregiis viris, Thrasybulo præsertim & Thrasyllo auctoribus, milites pro libertate vindicanda in tyrannos, conjurarent, Alcibiademque, in omnia paratum & mobilem suis partibus adjungerent. Ita is, qui paulo ante reipublicæ à populo ad senatum transferendæ suasor & auctor extiterat, commutato animo, Athenas mittit, *ex continenti se cum exercitu venturum, recepturumque à* CCCC. *jura populi, ni ipsi redderent.* Erat autem ea de Alcibiade opinio, ut vix dubitaretur, plus momenti esse in ea parte, ad quam ipse se contulisset. Itaque novis discordiis denuo implicita civitate, cum tyrannorum factio omnia pro retinenda dominatione conaretur, milites è Samo, & qui Athenis eorum auctoritatem respiciebant, excutere illud jugum summa ope niterentur, post mala ingentia, foris ab hoste, domi à civibus, inter infaustam contentionem, illata, quadringentorum tandem est abolita potestas.

Qua in re, quomodo se gesserit Theramenes noster, ad quem revertendum est, nunc porro inquiremus: si prius in hoc transitu monuerimus, quid in abrogando populari

imperio

imperio antea sit ab ipso peccatum. Primum igitur, sacratarum legum, quibus Athenis sancita erat libertas populi, major ipsi religio esse debebat, quam, ut vel suæ vel alienæ libidini quidquam de Republica gratificaretur. Indignum certe fuit viris tam gravibus illud commentum, quo novæ legis specie, viam sibi ad antiquanda jura, quibus respublica continebatur, muniverunt. Hoc piaculo, ambigi non debet, quin triste sibi ad res gerendas auspicium, omnisque in posterum successus intertrimentum consciverint. Quæ deinde honesti consilii ratio patitur, in summo Reipublicæ periculo, & desperatione omnium salutis, suas opes privatim extruere, sibique ex miseriis patriæ, auctoritatem quærere? Neque ex Alciabide conciliando, adeoque Persicis auxiliis arcessendis, idonea repetitur defensio. Potuit in patriam restitui, sicut optabat, Alcibiades, & reconciliari, sine ulla reipublicæ mutatione. nam, quod ipse optimatium administrationem postulabat, Regisque in eo votum sensumque prætexebat, id nobis longe aliter *Thucydides* interpretatur, qui, in gratiam eorum, quos jam tum Athenis à populari statu alienos Alcibiades noverat, hæc jactata observat. facilius ille se per viros populo gratos restitutum iri sperabat, si veluti præmium suffragationis honoratiorem in Republica locum, & communis potentiæ societatem, non pro se magis, quam pro ipsis pacisceretur. De cetero ingenium viri & proposita satis testabantur, nihilo pluris ipsum facere statum optimatium, quam populi, dum modo capitis potiretur. Quid? quod prudenter cogitantibus suspecta non immerito fuissent magnifica amicitiæ Persicæ nomina. Quis enim crederet, Regem Persarum, Peloponnenses, hactenus amicos, & diffusis opibus intra terminos regni sui inhærentes, inconciliare sibi velle, ut Athenienses, quibus plurimum diffidebat, conciliaret? Amplecti autem inanem auxilii speciem & umbram, atque interim civitates socias, id est, quidquid supererat auxilii, à se novi status terrore abalienare, à veræ prudentiæ consultis longius recedit. Inprimis animadvertere debuit, cum sociis,

ciis, quod paulo post, sed sero conquestus est Theramenes: non duraturam in statu paucorum, præsertim tam perturbata civitate instituto, vel pro Republica modestiam, vel inter ipsos concordiam. ita optimatium singulis majus è collegis periculum, quam à populi imperio imminere. ibi indemnatos ac indefensos per vim ad necem abstrahi: in populo, agitatis civilius judiciis, certius confugium esse. Hæc si pleraque Phrynichus & alii, ante quam fierent, præviderunt; Therameni, quo nemo sollertius credebatur cogitare, debuerunt utique in mentem venire, ne consilia capesseret, quorum Athenienses publice, ipsum privatim mox pœniteret.

Ordinata enim in quadringentos Republica, donec honore & auctoritate præcelluit inter collegas Theramenes, opus consiliumque suum omni industria tuebatur, nullaque in re novo regimini deerat. At vero, cum Pisandrum & Callæschron & alios sibi præferri; speique partem non modicam intercipi animadverteret, altius jam reputare cœpit, minusque probare, quæ agerentur. Inde, cum accederet exercitus Samii conjuratio, & Alcibiades conjuratis pronior, & impatientia populi, facinora tyrannorum non diu laturi; jam manifesto deseruit Theramenes priores socios, Antiphontem, Pisandrum, Aristarchum ceterosque, optimatibus, quorum pars erant, deditos; & cum Aristocrate aliisque collegis quibusdam, patrocinium populi denuo suscepit, ducemque se iis præbuit, qui de quadringentorum imperio sequius opinabantur. In quo rursum varietas consilii ejus & vafrities deprehensa est. Nam apud optimates, quorum ruenti fortunæ, quamquam collega & auctor ejus status, permisceri nolebat, excusavit durum necessitatis telum; neque Alcibiadi & militibus resisti posse, docuit. Ad captandum vero favorem populi, asseverantius jactavit: mutari præsentia oportere; temperataque paucorum potestate, quinque millia non verbo & specie, ut hactenus, sed reipsa in communionem publicæ administrationis adhiberi: id stabile ad concordiam, id

æquandæ libertati fore. cumque diffisi rebus suis quadringenti, murum in Eetionea loco valde opportuno extruerent, ut vel arcem eam dominationis haberent, classis scilicet & mœnium compotes; vel, si restitueretur populus, ipsi hostes possent intromittere, atque cum iis quomodocunque, certe de securitate sua pacisci: Theramenes mature pericula ex illa collegarum munitione civitati impendentia denuntiavit, & post in diruendo muro, egregiam navavit operam. donec eo ad extremum res deducta est, ut summotis à Republica quadringentis, quinque millibus permitteretur administratio, omniaque in statum ordinarentur bene pro rebus præsentibus compositum temperatumque, sicut *Thucydides* judicat. *Idem*, qui in negotio tam specioso annotat: curam Reipublicæ obtentui sumtam; ceterum Theramenem & socios, ambitione privata optimatum imperii pertæsos, si uni collegæ (nam suo quisque die per vices præerant) ceteri omnes, ut impares, obedire cogerentur; prætulisse libertatem populi, ubi magistratus eligi mos tenet, neque species repulsæ, tanquam à paribus factæ, locum habet.

Sicut autem ille status afflictam rempublicam quodam modo recreavisse visus est: ita post hæc, fractis apud Ægospotamos rebus, dedere se victoribus Lacedæmoniis coacta civitas, in easdem ambages recidit. Jussa enim suis legibus vivere, vix jam se ipsa agnovit: nonnullis, populo Rempublicam permitti, aliis per optimates eam gubernari, verius & antiquius esse, contendentibus. Tandem Lysander, durioribus jam conditionibus propositis, Spartanorum nomine, dominationem paucorum instituit: suggerentibus tamen id consilium, & adjuvantibus nonnullis Atheniensibus. inter quos iterum Theramenes notatur à Critia apud *Xenophontem*; & à *Lysia*; qui singillatim arguit: sponte Lacedæmoniis pollicitum esse Theramenem, se curaturum, ut status Reipublicæ commutaretur; concionemque de ea re distulisse in adventum Lysandri; tum Lysandro, Philochare, Miltiadeque præsentibus, vim & persuasionem juxta attulisse,

attulisse, progressumque jussisse: Rempublicam triginta viris tradi, eamque formam regiminis institui, quam Dracontides præscriberet: nominasse postea decem, qui & ipsi alios decem crearent; parem vero numerum populus ut ex se deligeret, permissum. Adjectas etiam adversum abnuentes, minas, non à Theramene minus, Lysandri eo in negotio satellite, quam ab ipso Lysandro, vim & terrorem victoriæ intentante. Hæc à magno viro & cive Atheniensi, in consessu judicum Atticorum, non videntur dici potuisse, nisi res aliter se haberet, quam *Diodorus Siculus* credidit: qui Theramenem restitisse Lysandro acerrime, & vix mortis metu à tuenda populari libertate deterritum, memorat. Apud *Suidam* certe, disertis verbis, Theramenes XXX. viros constituisse, statumque popularem dissolvisse refertur. *Plutarchus* quoque *in Lysandro*, acceptas conditiones Lacedæmoniorum, auctore Theramene docet. neque desunt aliæ rationes, quibus hæc quoque versatilis ingenii mobilitas demonstrari potest. Verum hic status ipsi auctori fatalis fuit: fuisset & Reipublicæ; ni Thrasybulus cum egregiorum exulum manu, sævissima tyrannide XXX. virorum oppressam civitatem liberassent. Quis hic non miretur Theramenem, quod prioris dominationis oblitus, novam instituit: &, cum institutæ jam particeps esset (fuit enim in XXX rectorum numero) unum resistere se posse credidit tot collegarum sceleribus: quæ ne admitti unquam à paucis possent, antea provisum oportuit? Fuit itaque caussa mortis satis speciosa, quam, tyrannidi refragando, & collegarum facinora coarguendo contraxisse sibi videbatur; sed, qui consilia ejus propius introspexerunt, justas inconstantiæ & calliditatis in gerenda Republica dedisse pœnas; & nisi tum scelere Critiæ occupatus esset, liberato deinde per Thrasybulum populo dare debuisse, existimant. Sicut enim varius in vita fuit, ita sententiis discrepant, qui de eo scripserunt. Infamatum quippe à plerisque, magnopere videntur commendasse *Trogus*, *Cicero*, *Diodorus Siculus*, & *Aristoteles*: qui Niciæ atque Thucydidi, tanquam opti-

mis civibus, & paterna benevolentia populum complexis, Theramenem junxit tertium. Sed *Plutarchus*, qui *in Nicia* id tradit, non esse hunc æquandum ceteris monet, ob versatilem & temporarium in republica gerenda animum, qui pridem ei *cothurni* appellationem peperisset. *Cicero* autem, mortem potius viri, & alibi eloquentiam, quam vitam laudat. Pulcrum quidem dictu, & singularis sapientiæ elogium videtur, quod ab *Aristophane* positum, in proverbii formulam abiit:

Ταῦτα μὲν πρὸς ἀνδρός ἐστι
Νοῦν ἔχοντος, καὶ φρένας καὶ
πολλὰ περιπεπλευκότος,
μετακυλινδεῖν αὑτὸν αἰεὶ
πρὸς τὸν εὖ πράττοντα τοῖχον.
Μᾶλλον, ἢ γεγραμμένην
εἰκόν' ἑστάναι λαβόνθ' ἓν
σχῆμα. τὸ δὲ μεταστρέφεσθαι
πρὸς τὸ μαλθακώτερον
Δεξιοῦ πρὸς ἀνδρός ἐστι καὶ φύσει Θηραμένους.

Viri est sapientis & multis rebus experti, circumagere se & in latus felicius inclinare potius, quam statuæ ritu, uno semper loco, una forma subsistere. Nimirum inter ancipitia converti semper in partem molliorem, viro demum sollerte & Theramene aliquo dignum est.

Sed in deformem clausulam desinit, cum *Interpres* addit: *modo illi, modo isti factioni eorum, qui in Republica versabantur, se applicuit, & temporibus inservivit Theramenes*, τὸ Συμφέρον αὐτῷ τοῦ πιστοῦ προτάσσων, *dum utilitate, non fide officia metitur.*

Atque hic vos convenio, & in Theramenis exemplum inspicere jubeo, Commilitones & Amici carissimi: ut, quocunque studiorum genere, Rempublicam suo quisque loco estis olim ornaturi, boni civis nomen mature discatis intelligere & amare. Ea ad sapientiam pulcherrima, ad conscientiam tutissima disciplina est: cumque cetera partitim singulis comendanda sint, hoc ad omnes pertinet, qui aliquid humani habent. Est quidem doctrina civilis tam liberaliter diffusa,

diffusa, & tam alte recondita, ut nec ab ingenio, nec ab instituto cujusvis studium ejus debeat exigi: sed affectus in Rempublicam ejusque statum, & fides, decretum est naturalis, ut sic loquar, Politicæ; quam Deus mentibus hominum, in civilem habitum formatis, insevit, & latis legibus commendavit. Ab hac quæcunque recedit, non stulta modo, sed infelix sapientia est. Neque tamen diffiteor, rem paucis verbis conclusam, & quasi in obvia facilique intelligentia positam, multis involvi difficultatibus, cum ad ipsa negotiorum discrimina ventum est. Sicut itaque, quibus hanc personam Deus non imposuit, ut civilem statum vel inter ambigua interpretentur, vel inter impedita expediant, rectissime fecerint, si fidem pro Republica semper quidem in promtu; temeritatem vero, quæ se majoribus rebus ingerit, procul habeant: ita quos muneris sui ratio, sive docendo demonstrare, sive tractando sustinere jubet periculosa illa negotia, etiam atque etiam animadvertere oportet, quam officii civilis legem sibi constituant. Loquimur nunc tantum de illis temporibus & negotiis, ubi de forma statuque Reipublicæ dubitatur, sicut aliquoties jam professi sumus. neque enim alia disputatio propius ad civis officium, aut interius ad publicam salutem qua civilis vita constat, refertur. Qua in re ego, non alienam modo sed nullam reor Politicam Theramenis, qui Rempub. suam ingenii sui lusum, & spolium temporis, & materiam alienæ ambitionis, quoties libuit, fecit.

Possit quidem alicui in mentem venire, Theramenem immerito talem censuram pati, fortunæque potius apud posteros, quam culpæ in vita id crimen esse. Rebus publice confusis, optimum quemque & innocentem, in suspiciones & iniqua hominum judicia incurrere. neque ex eventu consiliorum de animo pronuntiandum: multa patriæ juvandæ fieri, quæ privatis rebus data creduntur. de futuro neminem satis callidum; & inter ancipitia præsertim videre semper, quid factu optimum; supra virtutis humanæ modum esse. denique, temporis imperiosam vim obsequio

potius quam contumacia propitiandam, omnium pragmaticorum hominum præcepto contineri. Verumenimvero, quatenus ſe prodat ipſe Theramenes; & quomodo hiſtoria retexat ſubtilem illum & varium ſapientiæ temporariæ contextum; quidque exiſtimaverint ii, quibus cognitiora fuerunt omnia, ſatis ante oſtendimus.

De cetero nimis ſane verum eſt, optimorum quandoque civium conſilia, pro non optimis, imo pro impiis, perturbatione temporum reprehendi. Primum itaque boni civis votum eſt, ut Reſpublica ſibi conſtet ac valeat, neque de ſtatu ſuo vel domi vel foris in diſceptationem vocetur. Proxima civilis officii pietas Deum venerabitur, ut inter perplexa temporum & motus rerum, mentem à ſenſu boni publici, & fide civitati debita, irretortam conſervet. Eſt enim, eſt profecto ſingulare Dei munus, ingenium civile, & prudentia à civitatis amore & publico egregio divertere neſcia; quam nemo ſibi præſtare ipſi poteſt. ex illo fonte vigorem ac ſalubritatem habeat neceſſe eſt, quidquid ſemel inde dimanavit. Hæc ergo demum, à Deo erudita in Rempublicam fides, non patietur te ignorare, quid debeas, & cui debeas. Cum à Deo diſceſſeris, ſanctiſſimum Reſpublica nomen eſt: ſive ſocietatis titulum, ſive formam regiminis ſpectes. Si Regem Deus Reipublicæ cuſtodem dedit, religio tibi ſit plurium exoptare imperium: ſi primores, aut populus ſummam rerum accepere, nefas eſto, præferre formulam, quam Deus non dedit, illi quam dedit. Qui enim inſtituit, ut eſſet inter homines Reſpublica, etiam, ut tali diſciplina eſſet, inſtituit. Igitur in Deum impius, in Rempublicam injurius eſt, qui conſiliis operam dat, cum inſtituto Dei, & munere quod Reſpublica maxime divinum habet, pugnantibus. Inſigne Hebræorum flagitium fuit, quod, faſtidito regimine Dei, quo ipſe rerum arbiter auctorque, veluti ex oraculo, gubernationem omnem peculiariter diſpenſavit, Regem, quamvis dilectum præcipuè Deo, & illi populo jam deſtinatum imperii genus, expoſtulaverunt. neque dubitandum eſt, tyrannidis facinoribus non

non semel punitos esse postea, qui Regnum non pie expetiverant. Sed cum accepissent jam Regis imperium, jussi sunt, hanc formam regiminis colere, neque de illa mutanda, in maximis etiam Reipublicæ malis cogitare. Ejusdem regulæ interpres & auctor, cum in terris ageret, Opt. Max. Servator Noster fuit. nam, cum Cæsari dari jussit, quæ sunt Cæsaris; quis non videt hoc eum præcepisse: ut Romanis Imperatoribus (manebimus enim in exemplo) juxta potestatis, quam haberent, modum, adeoque dum maneret eadem Principatus Romani formula, omnibus eodem modo; at vero, cum distractione imperii aliaque fatali conversione, in novum habitum Principatus ille se composuisset, singulis Imperatoribus juxta disciplinam à Republica institutam & ab Imperatore comprobatam, illi, qui sub ditione eorum, aut ejusdem Reipublicæ membra sunt, honorem, obsequium ceteraque per totum formulæ publicæ argumentum, bona fide præstarent? Quis item neget, Sanctum Apostolum, cum tam distincte tribui vult, quod cuique imperantium debetur, simul improbare eorum studium, qui Deo auctore discreta, confundere, & cui non debetur, quidquam tribuere, aut cui debetur, adimere, non verentur.

Si hæc dicerentur in Museo Politico apud Germanum Patientem (cujus nomen nemo bonus civis sine affectu audire debet) quas ille vobis historias, Amici, & in historiis tragœdias memoraret? Omissis forte ceteris, diceret: Tribus fere ab hinc sæculis, Romani imperii apud Germanos eum coaluisse statum, qui ab antiquiore multum diversus esset. latam super eo regiminis genere legem publicam verendæ sanctitatis; adjecta juramenra, & quidquid inter homines, præsertim Germanos, fidei colendæ validum aut decorum. Hinc civilis officii munia adeo deinceps pependisse, ut civis nomine indignus haberetur, qui latum unguem ab aurea illa formula excideret. Jactas quidem subinde voces ab iis, qui fortunam potius quam utilitates Principum colunt, de laxandis legum vinculis, & intendenda vi

da vi imperii: ſed acceſſiſſe præſertim ex peregrino & late ſpectante conſilio fatalem ſtimulum, quo effoſſæ mentes & inquietatæ parturire cœperint opus, cui totius Europæ ſcena, pro materia incomparabilis, & plusquam tragœdiæ, vix ſufficeret. Ex eo tempore novam Politicam exortam; quæ partim ex veterum, Theramenis, Alcibiadis, & id genus hominum commentis, partim ex nuper repertis artificiis, otioſe diſputaret de optimo reipublicæ ſtatu, & facilius quemvis ei præferret, quo Germania utebatur: quæ ſtilum & formam publici ſermonis commutaret, verbisque & exemplis præteritis, rerum præſentium habitum deſcriberet: quæ ſæcula transferret, & proxima remotis, in eundem cumulum confunderet: quæ figuras & ſimulacra & honoris magnificentiam, longe aliis de cauſſis apud omnes Reſpublicas receptam, de ipſo imperii jure & vi poteſtatis acciperet; atque ex diverſo, veluti mutatis vicibus, ſacra Reipublicæ ad inanem majeſtatis ſpeciem referret: quæ omnem de Rerumpublicarum formis philoſophiam neſcio quibus captionibus eluderet: quæ mitiſſimum Religionis nomen in atrocis teli genus converteret, quo, tanquam Alexandri gladio, omnia divina humanaque vincula diſrumperentur. Huic mirabili Politicæ, cum generoſi cives & homines patriæ ſtudioſi, opponerent preces, literas, monita, libros, lamenta, jura denique Reipublicæ: in diſcordias & arma itum eſſe. ut jam noſtrum fecerit calamitas temporum, quod de ſimili contentione Romanus Poëta extulit:

Heu quantum terræ potuit pelagique parari,
Hoc, quem civiles hauſerunt ſanguine dextræ!

Silentibus deinde inter arma legibus, admirando Dei conſilio tandem factum eſſe, ut, quam externa ſapientia in Res Germanicas induxerat Politicam, externa vis oppugnaret, civisque Germani jura, citra ambages peregrini diſſertarent juxta ac tuerentur. Nunc pacem & leges & priſtini ſtatus morem, in ſpe & oculis eſſe, ſi Deo viſum fuerit: cujus juſtitiam vindicem ſicut nimis ſtrenue in caput noſtrum irritavi-


tavimus, ita nimis ſegniter in hunc diem ſtuduimus placare. Hæc & id genus alia, ille, quem dixi, animo, ſtudiis, fato vere Germanus, vobis, jucundiſſimi commilitones, explanatè commentaretur, ſi attentos auditores nactus eſſet: & magnis experimentis caſibusque collectam de boni civis officio ſapientiam, talibus ferme notis ſummatim inſigniret: noxium publice & minime civilem eſſe morem, civitatis ſtatum, ejusque deſcriptionem, variis interpretamentis, conjecturis, ratiunculis, & privata diſputandi lubidine vexatum ire: Leges de Republica ſanctiores habendas, quam ut ſimplicitas earum, fuco oblini, aut curioſorum civium examine in dubium vocari debeat: impie eos facere, qui cum Theramene vel clanculum operam dant mutandæ Reipublicæ, atque interim ſtudium patrii moris palam jactitant; vel incuſato apertius præſenti ſtatu, commoda alterius & utilioris extollunt; eſſe enim hanc ex illis diſputationibus, ad quas ſine ſcelere perveniri nequit; quæque non controverſiæ modo, ut loquuntur, ſed totius civilis ordinis ac Reipublicæ ſtatum pervertunt. Temporariam illam calliditatem, ac Theophraſti πολιτικὰ πρὸς τοὺς καιροὺς, ſive *Politicam Temporum*, in tuenda Reipublicæ diſciplina ſemel inſtitutá, & ad eam accommodanda omni civili adminiſtratione locum habere; non in diſceptando & debilitando præſenti ſtatu. In quovis ſtatu legitimo, ſi valeat, id eſt, ſi non deſint cives

qui conſulta patrum, qui leges juraq; ſervent,

recte geri Rempublicam poſſe. Tempore autem fatalium calamitatum ingruente, longe alias Ciceronis Romani, quam Græci Theramenis artes obſervari, quibus meruit, ut ab Auguſto, poſt obitum, veriſſimo elogio φιλόπατρις, ſive *optimus civis* celebraretur. Nec majores, nec poſteros cogitare, qui defenſam per infinita diſcrimina Rempublicam, adeoque ſervatam ex atrociſſima tempeſtate navem, in portu demum deſperare inſtituant. Beneficia, favores, opes, honorum faſtigia, & quidquid de Republica contra Rempublicam ſperari poteſt, mera infortunia eſſe. neque

facile civium cuiquam impune unquam fuisse vel cogitata, vel conata, de Reipublicæ statu mutando. Atque hoc ipsum est, quod adeo mihi persuasi, Commilitones, ut credam non deesse rationes & exempla, etiam cum à Theramene discesserimus, quibus aliis quoque, præsertim pio civilique sensu præditis, persuaderi posset, quod sentio, si id agendum foret. Romani ap. *Dionem Cassium* annotant: *per septingentos ab sua urbe condita annos, neminem, qui collegam suum magistratu & honore dejecisset, per unicum annum superfuisse.* posseťque illa observatio fatalis vindictæ, insequentis ævi exemplis augeri. Quid de iis opinandum est, qui non collegæ sed reipublicæ statum violare, quocunque modo audent?

Sed tempus est, sermonis hujus finem facere, & in alium locum differre Lysiam, qui nunc contra Theramenem statuendus erat, ut memorabili civilis officii consiliique exemplo amplius vobis declararet sapientiam, Rerumpublicarum tranquillitati, unice, ni fallor, necessariam. Quam propterea vobis, Commilitones suavissimi, quanto possum opere commendo: atque, ut interea civilis animi rudimenta in civitate Academica, vitæ morumque pietate ac modestia, serioque studiorum profectu, sicut spe vestra & sæculi dignum est, capessatis, omnes ac singulos amice cohortor.



XIV.

ORATIO

De

C. CORNELII TACITI Historia, ac multa scribendi arte judicioque.

Anno CIↃ IↃC XXXVI. *privata Annalium interpretationi præmissa.*

Qui

QUi rerum gestarum memoriam posteris tradidere, Auditores, non paucis semper vel conflictati difficultatibus, vel abrepti esse erroribus deprehenduntur. Cum enim in curanda publicorum monumentorum fide, non eadem sit omnium ætatum industria aut constantia; & vero rerum humanarum plurima non in cortice videri, sed quæri in medulla, nec tam facie inspecta possint agnosci, quam ex umbra debeant interdum conjectari: ideo primum ex investigatione veri laborem scriptoribus nasci existimandum est. Quo cum accedit ex actionum indole orta diversitas, fit adeo, ut nec omnibus ita videantur gesta, quæ ita gesta sunt, & ab ingenio cujusque ac captu formam non unam ac habitum nonnulla nanciscantur. Quæ res miram sæpe scenam exhibet: dum nonnulli de peregrinis, ut de domesticis, autumant; alii de iisdem nihil minus quam eadem produnt; quidam ipsa sequioris sententiæ fuga, ac judicii, cui impares sunt, affectatione, in culpam feruntur. Nam de iis nihil attinet dicere, qui, cum temeritate potius rerum gestarum monumentis incidant, quam ad ea sobrio moderatoque judicio accedant, id plerumque satagunt, ut quo, quemadmodum, progressi sint aut progressuri, & ipsi dubitent denique quærantque, & alii nesciant. Illud satis constat, à judicii rectitudine, ex qua cetera in hoc negotio pendent, & labi plerosque facile, & deflecti nonnunquam cordatissimos posse. Intervenit fors levissimæ cujusdam rei ignoratio: adest credulitas, variis artibus, ipsiusque sæpe modestiæ nomine bonis quibusque conciliata: solicitat ingenii cura ac eruditionis. cujus suavissima est, qua obrepit, fascinatio: denique se ubique ferme inserunt illi ab omnibus libris proscripti, nec non admissi tamen aut retenti callidissimi rerum mangones, amor & odium. Quorum caussas, etiam cum non recentes, etiam cum nullæ sunt, quisque sibi approbat aut invenit. Hæc, inquam, omnia & singula, ut valida sunt ad abducendum à vero scriptoris judicium, ita veterum recentiumque, plerosque impulere non-

nunquam, vel in devia ſubduxere. Niſi quod unus omnium ea in re & abſolvit conatus, & curam eſt ſupergreſſus. Is eſt C. Cornelius Tacitus. cujus nec ſublimius quicquam judicio aut rectius, nec eloquentia gravius, nec ubertate fertilius, tota gentilium habet eruditio. Adeo non hiſtoriæ tantum dignitatem perfecit, ſed menſuram omnis ferme ſapientiæ, qua hominibus licet, explevit. Qua de re, quædam paulo altius hic repetere nobis conſtitutum eſt. Quamquam enim nec laudes ſummi auctoris noſtra capere tenuitas, nec præſtantiam explicare ullius poſſit eloquentia, ſupervacanea tamen videri non debent, quæ veluti quædam initia, quoquo modo poſſunt ad interiorem nitentes prudentiam juvare aut commonefacere. cum & ſera hic plerumque, quanquam ſollertibus ingeniis, ſua cuique induſtria per uſum magiſtra ſit; & multa ideo raro aut nunquam obſerventur, quia jam alia quædam ſunt neglecta, quæ tanquam inſtrumenta obſervandi intelligendique ac adminicula, ante cetera fuerant notanda. Quemadmodum autem, qui è ſubterraneis metallorum ſpecubus pretia rerum ac divitias effodiunt, non levibus ad eum quæſtum impenſis, machinis quoque ac ſubſtructionibus, tum laboris improba contentione, ante omnia vero animo conſtanti ac fiduciæ pleno opus habent: ita niſi quis ad Cornelianum illud prudentiæ aurum inveſtigandum, vividam & acribus habilem induſtriam, cum ingenio erecto judicioque adferat, niſi impendium temporis tantæ ſpei deſtinet, illi ego, ut totis abſiſteret ſacris, auctor fuerim. Perennes venæ, inexhauſta lucra: illæ coli, hæc excoqui volunt; ne in non minora degenerare incipiant damna ac deficere. Quotusquisque enim non in limine impegit, aut propter cubicula tot opum ac receptacula oberravit? quotusquisque in Tacito ipſum invenit Tacitum aut agnovit? Quot autem vel abripuit vel continuit ultra citrave metam opinio, vel majeſtas cæcavit, vel ſeveritas arcuit, vel non admiſit ſubtilitas? Dictio tota ſublimis, ignea, & accuratiore quodam ſtudio exacta. Quam, cum, ambitu

ſtricto,

ſtricto, membris arctis, ſolide compactam, forma ſplendoreque ſuperbiſſimo magnus artifex induit, oculos plerisque aſpectantium ac ſenſus præſtrinxit. Itaque cum paginam cogitas, rem voluminis exhibet; tum vocem, ſententia eſt, monitum eſt, doctrina eſt. Nemo in tam parvo corpore tam robuſtus fuit: nemo tantam vim minore molimine oſtentavit. Egregia, rara, occulta ubique profert, ſed prolatis plura includit. Sapientiam ubique & modis variis oſtendit, ſed magis ſub ipſa & in ejus penetralibus inſinuat ac commendat. Quo artificio, proh fidem prudentium! qua concinnitate? Verba delecta, apta, idonea, rebus paria, quodque commendationem præcipuam meretur, ſumma ubique felicitate promta ac parata. Textum ipſum pari ſeveritate ac rectitudine, magnificum, idemque nativum. in quo cum laboris ſpeciem ſingula videantur habere, omnia rectius ingenio ſcriptoris indolique tribuuntur. Qui cum per ſeriem rem ediſſerit, nullibi magis ſæpe, quam ubi minime videtur, narrationem connectit. cujus non tenorem minus quam materiam prodeſſe voluit. Attentum ob id memoremque ſuo jure lectorem flagitans: qui ut in partibus totius uſum negotii, ut ipſas inter ſe pariter & cum tota re pervideat, ut rerum in ſpeciem minimarum non exigua momenta, in ipſa ſæpe dictione ac ſtilo penetret, ſagacitate inſuper & bona quadam fortuna opus eſt. Cum enim, ut & cœpimus dicere, & poſtea clarius explicabimus, arcanam ubique prudentiam contineat, non admirabile minus eſt & arcanum iſthæc talia exprimendi ſubjiciendique genus. In quo, ni fallor, nemo ei niſi longo proximus intervallo eſt, aut haberi poteſt. Græcorum felicitatem & ingenium, à ſolo ad Latinos tranſlatum dicas: adeo nihil eſt in toto ſermone, quod non vaſtæ illi menti, exactæ illi & pæne pluſquam imperatoriæ ſagacitati examuſſim reſpondeat. Atque hæc eſt illa pompa, quæ antiquis tantopere probata, invidenda huic ſcriptori præconia peperit: Hæc eſt gravitas illa, quam Quirites ſui non capiebant, maximi doctiſſimique viri non ſatis mirabantur.

 Hoc

Hoc est illud instar, ac species, quæ & diffusam Livii amœnitatem lacteumque fontem, & Sallustii splendorem ac numeros, & aliorum virtutes singulas, uno eloquentiæ tenore æquare an superare creditur. In qua, cum asperitatem aliqua videantur habere aut insuetam speciem, nihil majestati tamen officiunt, sed ejus robur absolvunt. Quam hæc talia non minus decere existimanda sunt, quam horridæ leonis exuviæ Herculeos olim humeros ipsa monstri specie commendabant. Rursus, quemadmodum ejusdem Herois cothurnos nequicquam impari aptaveris; ita suum ista veluti dominum agnoscunt, nec alienis tractari manibus, aut judicio dissimili sustinent. Quod ut in eam perfectionem in Tacito excresceret, non oratorem modo clientibus ac patronum, sed egregium præclarumque civem rei commodaverat publicæ. cujus emolumenta, quantum quidem infestis virtuti temporibus res ferrent, cum laude non semel administravit: re edoctus & facto, quæ post illa universos doceret. Quem enim fuisse & quantum credimus, Auditores, cujus non constantia frangi, cum exhaustas clarissimi populi vires & bonorum sanguinem & ingenuos spiritus tyrannis quotidie efferret: nec deprehendi prudentia, cum conquirendis pulcris animabus nimis sufficeret furoris ingenium; nec averti à salute communi & servitutis miseriis, animi intentio, cum non oculis jam, non auribus, non præsagis gemitibus, ut erumperent, usus sui aut spatium superesset: cujus, inquam, immota mens inhiberi inter tot difficultates non potuit, quin in mediis calamitatibus ejus auctoribus æternam meditaretur infamiam; quin ad posteros de tuenda republica in extincta jam, salutaria monumenta destinaret. Quod, affulgente cum maxime nova beatioris sæculi luce, incomparabiliter præstitit. Resumebat itaque spiritus, & toto pectore vires colligebat acris & vivida indoles: ibatque pulcerrimis passibus per memoriam tot rerum, quas in ipsa quiete sua & inertia gesserat, per diffusam omnis vitæ factorumque intelligentiam; quæ à majoribus usque repetita, ac tot casibus

casibus perspectis aut observatis aucta iisdem terminis, quibus vita hominum & actiones, continebatur. Surgebant denique Historiarum primo, mox Annalium exactissima & perennia opera, quibus & consilia reipublicæ & regimen humani generis, tanquam in bibliotheca quadam omnis sapientiæ civilis & armario, utilitatibus sæculorum & admirationi consecraret. Quod institutum, ut capacem tantæ molis æmulum neminem metuit: ita rationes plerorumque ac consuetudinem invertit. Nullam hic larvarum congeriem, aut, inutilem sæpe, rerum nitentium lustrabimus scenam. Bellorum strepitus & triumphales pompas, quibus libri omnes, omnes annales delectationem quærunt, penes otio abundantes & festivos relinquemus: Bellorum tamen jura ac vias, cum honorum insignibus, cum Tacito expendemus, penetrabimus, dijudicabimus. Situs gentium, locorum amœnitates, claros eventus, exitusque varios; & quæcunque specie vel jucunditate valida; aliunde petemus, cum ad ea diverti commodum erit: ex hoc scriptore ingeniorum temporumque sapientiam, & interiora Principatuum, successusque ac fata rerum conquiremus ac pertractabimus. Introspecturi res primo aspectu leves, minimeque fœcundas: sed quæ ad maximarum nobis momenta (quod divinitus ab ipso Auctore monetur) viam sternent. quas, si clarius agendum est, & ipsas continent. Punicæ Romanæque acies, intra scriptoris artem & ingenium ferme subsistunt, in suis sibi campis placent, hic se efferunt, hic exultant: mœsta hæc & tristiora rerum, lætissimo proventu in omne ævum diffunduntur. Manet eadem species ac similitudo: ex cujus occursu quisque se ac sua velut in speculo agnoscit, quisque docetur, laudatur, arguitur. Idque non in aperta tantum & obvia factorum facie: sed per abdita quæque recessuum, per anfractus actionum & contextus, per omnem honesti turpitudinisque ambitum, per noxæ commodique latentes plerunque semitas instrui hic datur ac perfici. Quæ rarissimi mortalium per se capiunt, aut inusitata ac cœlesti prudentia ipsi sibi dictant,

Noster

Noſter autem ſine exemplo mente ac ſtilo eſt complexus. Jam primum, ſupremam ſibi legem ipſum fixiſſe apparet, nihil vile & ad vitam inefficax immiſcere. Quod ut Hiſtoricum inprimis ornat, ita à ſolo expectari Philoſopho poteſt. Cujus eſt de actionibus hominum ac utilitatibus ſententiam ferre, & ad eas omne ſtudium, ſcripta omnia exigere. Quo neglecto, otioſis narratiunculis feriæ expoſitioni locum adimi, aut fœdari ſeriem neceſſe eſt. vitio ut ſatis frequenti hodie, ita decori ſpeciem apud incautos habente. Itaque hiſtorias nonnulli tanquam pueris ſcribunt, aut mulierculis; nonnulli tanquam fabulas legunt. Quos ſi quis de fine ſui negotii interrogaret, dubitare primo inepti mortales & temporis prodigi inciperent, dein neſcire. Cujus ne quid ſimile cuiquam hic eveniat, proſpectum eſt opinor capacibus ingeniis à ſcriptoris tanti dexteritate. Quid enim ille inconſultum, quid alienum narrat? Imo quid omnino narrat tantum? cum ſenſus omnes, omnia loquendi genera, neſcio quid πρακτικὸν ubique præferant: cum informare vel referendo ſoleat: cum factorum uſum ab eorundem notitia ac cognitione nunquam ſejungat. Quam nec obſcuram ulla ex parte aut imperfectam eſſe ſinit. Unde initia rerum ſtructa, quæ occaſio & cauſſæ, rationes progreſſuum ac vias, eventuum æqua aut iniqua, quid debitum ſiniſteritati ac prudentiæ, quid fato & caſibus interruptum turbatumve, denique animata vivaque actuum imago, velut in tabella exprimitur ubique & proponitur. Quis deprædicet ſatis hanc induſtriam? quis item illam? cum in origines intimas ac ultimos rerum fontes ſeſe porrigit oratio; cum parum tradidiſſe ſibi ſummus doctor videtur, ſi tradendum aliquid ſuperſit: cum in auctoritatem doctrinæ habet, nihil erroribus, aut quæ copioſe apud Politicos ſubnaſcuntur, interpretamentis relinquere. Idem qui, cum ratio operis ac inſtitutum fert, aut gravitatem res poſtulat, tanquam ex auguſto tribunali incorruptiſſimus judex ſeveram & idoneam pronuntiat ſententiam. Cujus ideo nec tempus certum, nec locum ſibi præſcribi


ſcribi patitur. niſi quod ubique in tempore, ubique in loco mera eſt concinnitas: ſive ille judicia præmittit narrationi, ſive continuat ac includit, ſive explanationi pondus ſubjicit. Quod cum & aliquando ſuſpendit aut differt, vere ad priſcam illam ſeu modeſtiam ſeu circumſpicientiam accedit, qua non liquere ſibi, in cauſſis dubiis judices teſtabantur. Id quod hiſtoriarum conditori non in ultimis habendum. cujus eſt, nihil veritati detrahere usquam aut officere. Igitur temeritatis notatur, qui in ambiguis facile pronunciat; malæ fidei, qui rem dubiam vel pro certo affirmat, vel pro plano transmittit aut negligit. Quanquam mirificam, & ad argumentum ſui ingenii ſat efficacem, inter hæc præcipitia rationem ac medium quaſi iter ingreditur Noſter: cum tutiſſimo conjecturarum aliquot nomine, una earum & quid ſentiendum ſit, ceu vir prudens oſtendit, & varietate,ut Hiſtoricus, diſſimulat. Ne aut judicare ſine monumentis, aut in factorum nube videatur cæcutire. quod hebetudinis videri poſſit ac imprudentiæ. Ceterum rectius hanc prudentiæ partem in rem præſentem rejecerimus: ubi & ſub exemplis clariſſime hæc expediri, & quomodo nullum varietatis iſtius membrum, etiam cum amovendum à ſcriptoris arcano judicio eſt, etiam cum præter ſpeciem, quam diximus, nihil videtur habere, ſine uſu ſit, oſtendi poteſt. Dicendum jam aliquid eſſet, de narrationum ipſarum artificio, & quam eleganter Græci vocant, οἰκονομία, illa peculiari, illa latente & ad uſum ex aſſe facta; ut & de arcana interiorique docendi inſtruendique ac judicandi ratione; tum de ſimilibus nonnullis; niſi ea eſſet talium ratio, ut obſervari facilius, perſpectis meditatisque probe ſingulis, nec minus contentione ex arte & judicio inſtituta, ac pertendi induſtria poſſint, quam verborum ſubtilitate deduci aut explicari. Dudum enim nos vocat præcipuum majeſtatis Cornelianæ inſtar ac ſpecimen; denſitas illa, inquam, &, ut ſic dicam, complexus ſapientiæ multiplicis, ſive ſapientiam in ſe collectam & ſuo ore loquentem dicere malumus, dignum certe nomen vix aſſi-

gnabitur. Inter cetera, quibus divinum Stagiritæ ingenium censeri visum est, interpretes numerant, copiam sensuum sententiarumque & cumulum. id quod in illo philosophandi genere ac severioribus Musis, facilius sane & commodius poterat locum habere. Eam tamen ipsam laudem quis in Nostro requiret? quis tanta ubertate quæret, aut inventam, quanta est, capiet? Nobili acie & aquilina opus est, ad sustinendum hunc diem, hos, quibus vere magna ingenia explorantur, ignes. cum ex uno radio multiplex & velut numerari metuens offusa prospectui lux, oculos lacessit & fatigat mentem: cum sub uno effato tot alia, sub paucis rebus tot majores emicant. Nisi quod splendorem suum nonnulla minantur potius apud recte suspicantes, quam primum intuentibus ostendunt. Igitur non videndum modo quod adest, sed eruendum quod subest. Ubique enim & illud agit, quod instituit; & aliud tamen innectit, quod cum diversum à re ipsa sit, sine eo tamen rem intelligi noluit. Habet nimirum hoc solida fundataque eruditio, ut ubique sibi occurrat, ut ubique, cum modo tamen & fructu, tantarum rerum fruges exsplendescere jubeat, quantas in suam sibi amplitudinem collegit. Quid enim fuit usquam aut cogitari potuit, quod lateret Nostrum, de quo parum perite & accurate judicaret? Ingenia rerum ac naturam nemo tali acumine penetravit: nemo tali concinnitate ad usum & lucem transtulit. Animorum præsertim prudentissimus, & humanarum molitionum conatuumque ad miraculum sciens. Semel hic monendum est, non exiguum in hoc Auctore, ut & in omni vitæ sapientia esse momentum, perspectas habere in plerorumque eventuum similitudine mentes, habitusque animorum, & cogitationum solitas in iisdem rebus vicissitudines. Hinc fontes imperandi regendique multitudinem detecti, hinc consilia in futurum præcepta, hinc natæ personarum descriptiones accuratissimæ; ex quarum una plurium sæpe rerum momenta petantur, quam ex integro præceptionum libello. Huic perspicaciæ debemus, deprensas passim artes domi-

dominationis ac fraudes,& occulta aulæ,quæ egregie Tacitus in apricum protrahit. Atq; hic si vellem orationi indulgere, vereor, ne, dum ad singula respicerem, universa nunquam exhaurirem. Communissima nostra ætate regiminis forma Principatus est. De eo multa multi; aliqui præclara, aliqui subfrigida, aliqui imperfecta. omnia autem & absolute & graviter & utiliter complexus est Tacitus. Idem qui de aularum bonis pravisque, prosperis vel adversis omni commentariorum mole opulentius peregit. Denique, si cui scire curæ est, quid intersit inter hunc & Politicorum vulgus, primum quidem vix tulerim tam indigne eum comparari; rem tamen ita æstimari posse auctor fuerim, si Apellis alicujus aut Protogenis tabulæ proponantur. Accedent pictorum plurimi: alii ne judicare quidem de impensissimo artificio poterunt. nam quid præclarum in eo esse? figuram ubique notam aut obviam, præter obscuritatem & implexum quiddam, novi nihil habere. hic addi aliquid debuisse, hic lucis plusculum, ibi parum. Modestissimi secum murmurabunt, sibi quidem hoc artis hactenus non liquere. Plane quod Nostro usu venit. Nemo tamen, arbitror, cordatiorum, ob aliorum imperitiam, præstantissimo artifici artem denegabit potius, quam soli sine exemplo & comparatione adscribet. Sed enim isthæc cuilibet pensitanda relinquo. Redeundum enim est in viam. Quam priusquam decurramus, obiter delectationis alicujus, & quæ lectores condimenta laborum hic maneant & diverticula, mentio est facienda. Inter quæ orationes illæ, variis de rebus institutæ, quam disertæ sunt, quam graves, quam fœcundæ? severum aliquem & prisca illa majestate gravem senatorem, sententiæ loco in curia perorantem audire mihi videor, quotiens in illas incido. Adeo grande quid spirant omnia, & cum sua sibi magnitudine veluti certant: exhausta semper, quam pertractant, materia. Argumenta valida, pulcerrimo aggestu cumulata ac disposita: rationes intimæ, penetrantes: pondera quovis stimulo acrius fodientia animum. Sed & lineas

tantarum rerum duxisse, nonnunquam operis instituto satis est. In quo, mira felicitate, paucissimis verbis non materiæ tantum amplitudinem ostendit, sed absque omni eloquentiæ affectatione ejus exornandæ rationem insinuat. Omitto varia omnis prudentiæ scita, opportuna subinde illustratione animis legentium conciliata: tum renovatam passim non sine utili interpretatione veteris ævi memoriam. Quod si perfunctorie fiat aut inconsiderate, oneri ac impedimento esse incipiunt, quæ non nisi ornamenti locum in hac scena possunt sustinere. Jam ubi à rerum ordine paululum declinat, quod raro, & minime ex quæsito facit, nihil aptius, jucundiusque reperire est usquam ac videre. Necessarii speciem induunt, quæ ut requiem animo aliquam præbeant, dignitati tamen rerum & loco exigenti reservantur. Tum ea plerunque discuntur, quæ cum ad omnem operis cœpti historiam hoc pacto conducant, lætum ac bonæ spei plenum ad reliqua lectorem dimittunt, aut ad priora exactius imbibenda revocant. Cujus rei nec providentia paucis explicari, nec fructus laudari jam totus potest. Nec enim ignorare quemquam velim, unum illud mihi hac oratione quæsitum esse, ut prægustum aliquem tanti Auctoris minus expertis præberem: ne in graviora opinione cuncta delati, aut obhærescendum scopulis, aut indicata difficultate, sine obfirmato adversus eam animo ingrediendum hoc iter, possent existimare. Claudemus igitur pariter ac repetemus dicta, gravissimi in politiore literatura viri, deque Tacito Nostro optime meriti, judicio. Sic autem ille: *Non est in Græcis aut Latinis, & fidenter dicam, non erit, qui prudentiæ omnigenæ laude huic se comparet: adeo non veremur, ne quis anteponat. Singulæ paginæ, quid paginæ? singulæ lineæ dogmata, consilia, monita sunt: sed brevia sæpe aut occulta, & opus quadam sagace mente ad odorandum & assequendum. sicut non omnes canes, feram; non item lectores virtutes hujus dotesque aut indagent, aut captent. Viris opus est, & cum ingenii quadam subtilitate, judicii rectitudine: &, ut verbo dicam, naturæ bonitate. Qui non habet, me audiat, & alias res agat.* Quod tanti viri judicium ne sero credatis, sua cuique cautio aut industria præstabit.

XV.



XV.

ORATIO

Anno Christiano CIƆ IƆC XXXV.

privata

VELLEJI PATERCULI

interpretationi præmissa.

VELLEJUM PATERCULUM, politissime eloquentem virum, & brevitatis eruditissimæ Historicum, etiam eo tempore suspicatus sum, quo credere aut judicare nondum potui, id est, cum primum legissem. Rapiebat me per scriptores quos sæpe laudari audiebam, puerilis cupiditas: ita enim potius dixerim, quam industriam, quæ in ætatem istam nondum competere poterat. factumque est, ut uno ferme tempore *Florus* & *Vellejus* obtingerent. In illo timidius, & cum horrore quodam profundioris genii versabar: in hoc lætiora erant pleraque, faciliusque admissurus videbatur meam cogitationem, etiam cum non admisit. In Floro oratoris gravitatem panegyricam, quia capere fas non erat, ut sunt animosa & in longum jaciuntur puerorum vota, audebam optare: In Vellejo latere videbatur omnis diligentia Historici & artes; quamquam animo ad elegantiarum novitatem prono, supra historicum placebat. Hærentem ergo inter voluptatem, quam suavitas gustata commoverat; & desiderium, quod variæ opinio artis excitaverat: transversus, ut sic dicam, turbo plane de statu, quem moliebar, repulit. Frustra & inepte amoris & judicii rationes erant subductæ, postquam in summi Viri & Criticorum ferme principis censuram Vellejus pridem, ego ex quo æstimare Vellejum cœperam, incidimus. Nisi quod, tacite &

plus miserabar conditionem optimi doctissimique viri, qui cum primus Vellejum edidisset pariter & laudasset, industriæ præmium apud omnes, culpam laudationis apud præcipuum judicem adeptus est. Exercuerat jam frequens ejus rei cura meam disquisitionem, nec comparare eruditorum sententias interim aut detrectare decebat: cum ex nec opinato mitiorem factum, quem reverebar, Censorem, notamque prioris severitatis, alibi elogio plane magnifico inductam animadverti. *Serium, doctum, quantumvis opus*, eo magis serio, quia sero, appellabat, quod antea nulla magnopere laude dignabatur. Igitur Rhenani quidem vicem impensius lætabar. quem licet fortasse aliquando officiosæ obsequium manus & in confragoso nitens opera amplius quam optabat evexerit: tamen cetera viri virtus, &, cujus vel inter errandum ostendebat vestigia, judicii rectitudo, *risu, explosione, convitiis* haud dubie superiorem alias quoque debuerat fecisse. Verum, ut Lipsiani stili aculeos, toties in tam melleis scriptis obvios inquirerem, non permisi mihi: quippe cujus profectui utilius videbatur ac convenientius, in ipsius rei momenta animum intendere, & quicquid in Vellejo laudaretur, paulatim judicio delibare, commentando excogitare, observatione penetrare, ratione complecti; adeoque ad primi affectus mei propensionisque accuratum examen inter summorum hominum approbationes legitimo quasi tramite procedere. Crevit cum ætate ac disciplina id studium: quæque in Historicorum præcipuis commendabant eruditi, ea clanculum ad Vellejum contendere, & pleraque accommodare institueram. Quamvis enim usitatas majorum operum conditoribus artes, angustioris scripturæ modus excludat, neque ostendi tam copiosa eruditio posse videatur, ubi non potest explicari & quodammodo expandi: vix tamen licuerit aliquid nominare, cujus hic non reperiantur specimina, eximia propositi sollertia, velut in compendio concinnata. Quod ut amplius intelligatur, ante cetera totius formam operis & consilium indagabimus. Brevem sane, ut prædiximus,

ximus, ambitum designavit Auctor: sed quo tamen amplissimæ commentationis ubertas concluderetur. Non ut in angustias, diffusa per terrarum orbem Romana celebritas arctaretur, scriptionem contraxit: sed, ut in unum collecta æstimaretur populi principis magnitudo, scribendi nervos & momenta compegit. Nimirum, ut alii splendoris Romani decus, cum pompa & paratu in oculos humani orbis dispersferunt: ita Vellejus lucis ipsius utilitates, cum cura & arte, prudentissimi cujusque industriæ accommodavit. Qua in re prorsus miror, dissociabiles laudes, artis quodam commento ita copulatas, ut, cum rerum compositioni solum videatur vacasse, nihil omiserit ornamentorum: neque magis compendio expositionum alios vicerit, quam exponendi genio instructuque æquarit. Jamprimum ipsa rerum series, quam est accurato ordine distincta, quam facili tenore continuata, quam utili opportunitate interjuncta, quam diligenti designata notatione temporum? Quæ ut providè & ex usu lectoris dispenset, aliquando eruit ex abdito, nonnunquam scrutatur ex vestigio; alicubi antevertit, est cum differt aut suspendit. Neque ita *turbare temporum seriem aut negligere* dicendus est, quod nonnullis animadverto in suspicionem venisse. Cur dispergeret temporibus, quæ cognitio argumenti connectit? cur misceret describendo, quæ nec describi nisi sigillatim possunt, neque misceri, nisi confundere instituas, debent. Scilicet non tempus, sed indoles gestorum; non intervalla actuum, sed affinitas negotiorum; non eventuum supputatio, sed cognatio principiorum, caussarum, momentorum, conjungunt aut separant, aut miscent historiam. quæ si in diversa tendit, cavebit ne unum videatur finem præferre; sin ab ejusdem generis primordio ad eandem metam proficiscitur, melius miscebit narratio, quæ proposito cohærent, neque tam seorsum conferendo aliena, quam vicissim propria ordinando, stabile continuumque opus persequetur. Utriusque rei exemplum in Nostro habemus. qui non magis carpi debet, cum in diversis, rerum integritatem tempori anteponit, quam
cum

cum attinentium cohærentiumque membra temporis respectu serieque discriminat. Quod ille quidem tanta præstitit dexteritate, ut inter consummata ejus artis exempla esse mereatur. Sicut & in ceteris. Inter quæ non minimæ rem curæ semper arbitratus sum, constituta recte & decenter aptata historiæ principia. Nostis, Auditores, quid in Sallustio desideret summus Criticorum Fabius. De aliis nil permittemus nobis hoc tempore, vel suspicari, vel judicare. nisi quod omnino paucos prisci recentisque ævi eo nomine mirari possumus. Equidem, qui accuratiorem ab alto notitiam moliuntur, facile superflui aut molesti apparent: sicut rursum, qui propiore ingressu opus ordiuntur, aliquando de gratia pariter & prudentia periclitantur. Verum adhuc facilius incipitur hæc tela quam pertexitur: fitque haud raro, ut à laudabili origine petita principia per anfractus aut ambages morose potius circumducantur, quam ad institutum constanter deducantur. est ubi saltus & præcipitia observes, nec rariores lapsus. quosdam crassior per suscepta rapit spiritus; nonnullis delicata mollities generosæ aggressionis impedimentum adfert. Et, quandoquidem à longinquis aliquorum molitionibus non abhorrere talis comparatio videtur, post reductam ex alto naviculam, sæpe in ipso portu naufragium aditur. Dicas, prorsus in irritum ardui laboris exorsa recidisse, quotiens invita concinnitate operi adhæsere, aut in ipso connectendi articulo obhæsere. Noster, sicut nec alienum suo volumini principium arcessivit, ita nec novum affectavit: sed, unde plerique Romana cœperant, à gentis nobilissimæ conditoribus Trojanis, eorumque post excidium demigrationibus, ita progressus est ad institutum, ut in simili conatu sic tamen plerosque præfandi nobilitate superaret. Cujus consilii rationes sigillatim arbitrari potest, qui advertit, quam & gentis ipsius admirationi, & Historiæ totius usibus propositoque singula conveniant. Ut constaret de admiranda fatorum provisione, in excitanda urbe regnatrice, quædam tam efficacis curæ præludia, ut sic dicam, sparsit pru-

prudentissimus scriptor, dum tot urbes, tot gentes, ex ipsis Trojæ cineribus, unde caput urbium gentiumque Roma tandem emersurum erat, suscitatas exortasque commemorat. Jam ipsi gentium, quos subtexit, casus, translationes, profectiones, exilia, unam sedem, unum quærunt in Latio terminum, ubi non *regna* modo *Trojæ resurgerent*, quod poëta ait, sed regnorum fata, ut in domicilium & officinam, coirent olim indeque terris dispensarentur. Æquum enim erat, ut qui maxima omnis fortunæ exempla erat daturus populus, è mediis fortunæ casibus, &, si cum ipsis gentilibus hic loquendum esset, è lusibus fortunæ variis, post alternatas sæpe vices, post mutata sæpe discrimina, denique ut miraculum omnis ævi & humani generis stupor, existeret. Vix tempero mihi, Auditores, quin in hoc limine subsistam parumper, & libero cogitationis prospectu in altum istud & tremendum Providentiæ æquor intuear; in quo alii per mille mortis specimina ad vitam & salutem tendunt, alii inter ipsa faventis cœli ventique beneficia gurgitibus hauriuntur; quidam errant, plures fluctuant, plerique aliquid timent aut patiuntur, neque pauci interim in errore patriam, in fluctu quietem, in formidine securitatem inveniunt: adeoque, ut ad institutum redeamus, non Troës modo ex ruinis suis spem mutuati, ejusdem auspicio, per varios metus, *Ilium in Italiam portant victosque penates*; sed Romani, Trojana propago, expletis potentiæ fatis, Italiam suam, ad Iliacas origines & communionem sortis revehunt: ut vel sic natalium sinceritatem parentibus probent, à quibus fragilitatis exemplo non degenerassent. Fallor an præcipua, certe prima hæc est Historicæ disciplinæ philosophia: ex qua nisi cetera intelligantur judicenturque, nulla sine nube cognitio, nulla sine vanitate utilitas procedet. Quo illustrioribus notis signandum sibi hunc tramitem Vellejus existimavit. cujus Principium, non rumorum fabularumque varietatem, neque otiosas super consilio fabulatorum disputationes, sed eminentissima quæque civilis sollertiæ meditamenta, sic ad

Romanam dignitatem accommodat, ut alii verborum honore eam exornasse, hic argumentorum splendore videatur ostentasse. Quod si aliquis, plura quam necesse erat huc conducta forte conjectare velit, eum ipsa totius operis tractatio in progressu ad ingressum reducet, atque ita docebit, præmunitionis verius necessariæ, quam jucundæ præfationis id consilium fuisse. De quo neque nunc dubitare audebit, qui de sola temporum ratione & notis cogitabit. quæ cum egregium historiæ lumen commodent, singularis prorsus hic Velleji cura elucet. qui ut Urbis epocham, quam dicunt, certa designatione posset constituere, à Trojæ excidio, id est, à solenni & omnibus usitato charactere auspicandum habuit: ne in multis hæreret lector, quæ non aliunde deducuntur. Sicut & ab Olympiade. cujus primordia ignorare, est Romæ paulo post nascentis tempora ignorare. Cumque fato quodam singulari hujus studii, inde ab antiquo, summa scriptorum in notandis temporibus occurrat dissensio: veluti filum quoddam Ariadnes putari debet, ætas aut exitus magnorum virorum, mutatio rerumpublicarum, successio imperiorum, instauratio urbium; quæque alia vel annis definiuntur, vel comparatione ordinantur, vel indiciis investigantur, vel argumentis disquiruntur. Quorum nil omisit Vellejus in exordio, donec per tam cognatas utilesque notas ipsa Urbis & suæ historiæ initia non tam accedit, quam continuat. Solemus in eximiis rerum conditoribus non parvi æstimare, interposita de gestis judicia, insertas opportune sententias, ostensam graviter disciplinam, eruta solerter arcana, caussasque & consilia eventuum non minus, quam eventus, explanata. hæc enim ut ardua cumprimis philosophia est, ita non potest aliunde melius peti, quam unde historia prodit; è pectore, inquam, plus peritia quam litteris, imo sic litteris, ut peritia fœcundo, omnisque civilis ac militaris actus artibus instructo: quale nimirum ad scribendam historiam adferri debet. Hinc profundæ Taciti gravesque sententiæ, hinc Sallustii incitata severitas, hinc Livii disertæ interpretationes,

nes, hinc ſuaviſſima Curtii & tempeſtiva diſciplinā, hinc eximia monita, ut è fonte, manaverunt. hinc Vellejanæ quoque prudentiæ accincta & nitida inſtitutio derivanda eſt. cur enim eum omitteremus, qui ut apparatus, quem dixi, ubertate à ceteris vincitur, ita habilitate compendii & ſapiendi nervis, omnium artem aſſequitur aut æquat, nonnullorum etiam antecurrit? Dicta jacit, ut quædam fulguris tela: quæ & lumen & vires ſuas in animo capacis lectoris relinquunt. aliquando geminat, interim cumulat. Atque licet ſæpe id faciat, nec defatigat legentem, nec ſatiat. namque ne tædio locus ſit, opportunitas efficit; fatigationi, dulcitudo & agilitas, ſi permittitis ita loqui, Auditores, ſententiarum obſtat. Subeſt ſecretioris prudentiæ defenſio: &, quod ſeveris operum judicibus vel in diffuſioris ſcriptionis corpore ipſa frequentia diſplicere poſſet, in hoc transcurſu rerum non poteſt non placere: quia pars narrationis, dicam amplius, pars compendii eſt, ſententiarum diſciplinæque aſſiduitas. Quam & tum profitetur, cum perſonas nihil aliud quam deſcribit. Hujus laudis propria quædam excellentia Vellejo debetur. qui, quod accurate & ad morum ingeniorumque ſapientiam accommodate viros memorabiles velut interpretatur, communione artis aliis jungitur: quod autem una eademque opera tam ſignate, tam lucide per moris boni pravique notas & characteres, adhibito inſuper quodam novitatis, inventi, elegantiæ commento, facies, ut ita loquar, vitæ morumque diverſas exprimit deformatque, ejus rei exemplum non inveniſſe ſed feciſſe credendus eſt. Multis obtenditur unaquæque natura involucris: & in tanta moris humani varietate crebra aberrandi occaſio præbetur. Dixerim, non Ariſtotelem philoſophando, non Theophraſtum notando, non deſcribendo Hiſtoricos eam prudentiam exhauſiſſe, non longævorum vetuſtiſſimos vivendo eas obſervationes impleſſe. Hinc eſt, quod ingenio & ſagacitate doctorum quotidie plura eruuntur: in quorum ſcriptis inter argumenta profundioris ſapientiæ pono, quicquid tale obſervo. Cum-

primis autem singularis industria requiritur, ut civilis vitæ proprietas ubique attendatur, ut ab ethico commodata Politico serviant; ut quæ illi originem debent, huic debeant faciem & imaginem. quod negotium rursus periculo non vacat. nam & arte profundiori opus est, & nitore civilis cultus. unde videas interdum alteri studentes alterum dimittere, id est, ipso suæ scriptionis decore excidere. quæ nisi conjungat talia, auctoritas Historiæ obtineri non potest. in qua nihil humile, scholasticum, affectatum, sed nec ineruditum quid aut rude locum habet. Accedit nova ex temporum fortuna & fati publici habitu difficultas. quo perturbato, ut pleraque alia, sic hominum ingenia studiaque obscurantur aut occultantur. unde bonus aliquando apparet, cujus inter malos astutia est occultior: aut vitiosus suspectatur, cujus vel in latebris securitatem quærit virtus, vel in minus grato opere invidiosa fatigatur industria, vel sublimitate instituti non intelligitur prudentia, vel adjutorum solitudine caussa proditur. Sed nec à privatis morum notis, publica æstimatio satis ubique distinguitur: cum tamen in personis ipsis, hominumque indole ac studiis, omnis publicæ rei semina reponant necesse est, qui ad fœcundam civilis peritiæ frugem votis ac opera contendunt. Semper sunt in magna civitate aut imperio aliqui, quorum spiritu publica inflantur, impetu præcipitantur, ardore incenduntur, motu agitantur, vi sustinentur. hos cum Vellejo notasse, & suis quibusdam lineamentis discrevisse, est ipsius status viscera inspexisse. nam cetera multitudo, pars sequuntur antecedentes, pars fluctuant circa conspicuos, rarissimus quisque sibi aut suæ reip. seorsum sapit. Licebit nobis, Auditores, in hac Vellejanæ prudentiæ parte, ipsam clavem totius disciplinæ constituere, atque ex tam accurata ingeniorum descriptione, non actus modo ipsius indolem propositumque condiscere, sed ingentia illa & nunquam modicis sideribus agitata Romæ fata, ex his veluti primordiis surgentia & progredientia animadvertere. Hic Paullos & Scipiones, viros in tantum laudandos, in quan-

quantum intelligi virtus poteſt, ipſam Romanæ potentiæ magnitudinem non illuſtraſſe modo ſuis ingeniis, ſed condidiſſe obſervabimus. Hic Gracchorum optima, ſed inquieta ingenia, nihil immotum, nihil quietum in Repub. cernemus relinquere. Hic non Druſos citius & Sulpicios à laudata indole, quam remp. à ſua pace degenerare reperiemus. Hic Pompejus & Cæſar ſui ingenii fortunæque magnitudine laborantes, in ſocietatem morbi remp. trahent; quæ ut tantam indolem fidelius ac ex more ſequatur, premi & ipſa volet ſuæ magnitudinis onere. Hic aliquis vana & ſtolida pravitate, alius ingenioſa nequitia, miros publice ludos dabunt. Denique ad Octavii ingenium omne imperii corpus circumagetur, movebitur & quieſcet. Verum hæc ſuis ipſa momentis conſpectiora,longe eminent. cetera per ſingulares morum variorum notationes,deſignata perite diſcrimina; etiam per comparatas inter ſe ſubtiliter naturas, in ampliorem ſapiendi circulum patent,quam ſine exemplis & extra rem præſentem dici aut intelligi poteſt. Faciliorem habent intelligentiam egreſſiones, & hiſtoriæ quædam diverticula. quod proprium alias majoris operis ornamentum, utiliſſima ſuavitate mutuatus Noſter, res cognitione admirandas, temporibus involutas aut diſperſas, opportuniſſime collegit & ſub veram ac genuinam æſtimationem dedit. Ita enim ſatis fortaſſis non ad defenſionem modo, ſed ad commendationem hujus induſtriæ dixerim. Nam qui prorſus eam Hiſtorico adimunt, ſemper mihi parum vel comiter vel eleganter opinari viſi ſunt. ſicut aut delicati eſt aut importuni, prudentiam ac ingenium ſcriptoris, poſt unum & ſi forte alterum excurſum, in ordinem redigere atque ad reliqua coërcere. Quæ nequaquam ideo monemus, ut ineptos rudesque nonnullorum conatus, qui alieniſſimis nugarum ambagibus utramque paginam opplent, excuſatione & venia dignemur: ſed ut maximorum virorum auctoritas, quæ ſi non invenerat, certe fecerat rationem, citra invidiam nec extra laudem con-

constituatur. Vellejo ipsa observationis & annotationis novitas gratiam addit. Quam est enim jucundum, modo conducta in unum ingeniorum artiumque miracula contemplari? modo indagare congregati ejus, ut sic dicam, fati caussas, ambitum, terminos? modo colonias, modo provincias, ex omni memoria & tot veterum commentariis, velut ex fuga recolligere? Quo factum est, ut nec in vulgari aut nota aut inani expositione videretur tam seria festinatio scriptoris hæsisse; nec posterorum quisquam carpere auderet, cujus soli Vellejo deberet notitiam. Ac cetera quidem, quibus majores illi perfectæ historiæ scriptores vel ornamenti vel artis & disciplinæ caussa usi sunt, imitatus est felicissima dexteritate, & in minore forma non minus tamen ad vivum expressit omnia. nisi quod orationibus inserendis sibi temperandum duxit. idque eo magis, quod nec contextus arctatæ narrationis, pertingit ad occasiones habitarum ultro citroque orationum, sed factorum eventuumque apices directo transcursu stringit. Neque interim eloquentiam ostendere non potuit: quæ undique exsplendescit. Miratur diligentissimus Rhenanus facundiæ nomine, erumpens illud è Vellejano non affectu magis. sicut ipse veniæ petendæ præfatur, quam judicio, orationis telum, pro Cicerone in Antonium tanto vibratum impetu, tamque efficaci ictu infixum, ut cum ipso, quem vindicat, certasse videatur, si quid post infestas Philippicas, infestius jaculari in parricidam liceret. Equidem oratoris facultatem, quam in Historico requirunt eruditi, non hic tantum, sed in omni scriptura Vellejana, valde otiosus sit qui non agnoscat. Quare & verbis hic parcendum arbitror: nisi velimus ea commemorare, quæ nostræ commentationi propiora sunt: nitorem eruditioni, gravitatem suavitati, simplicitatem arti tam permista commode, ut novum quodammodo dicendi genus, & proprius venustatis character inde concinnatus, simul ævi eloquentissimi genium spiret, simul scriptoris ingenio, reperti tum primum decoris gratiam debeat. Videor mihi in eo reperisse specimen

timen dictionis, quod prudentissimi oris Politicus optaret, quoties ad elegantiam & novitatem quandam apud teretes & eruditas aures accedendum, nec à civili tamen dignitate discedendum est. Multi post ipsum idem cupivere, idem tentavere: sed quantum interest, inter facultatem sapientis & conatum rhetoricantis! Quo plerumque corrumpitur purior eloquentia: cui nullum majus, quam ab imparis imitatoris studio, periculum imminet. Namque, ut semel hoc experimentis temporum notetur, non tam quæritur solicitudine scribendi & arte, quam in ipso scriptoris ingenio nascitur diserta & victura oratio. Quare, cum nihil ex arte ignoret, qui ita scribit, sæpissime, tanquam ignoraret, scribit. Ut vel ideo frustra sint, qui serviliter in ordinem cogunt scribentis calamum, & modo aliquid demtum verbis aut sententiæ, modo additum vellent. Imo quod volunt, audent aliqui: & quoniam illud potius probant, hoc ex suo ingenio reformant. quasi Vellejo id agendum olim fuerit, ne à cujusquam consuetudine & judicio uspiam recederet. Longe generosior est mascula & civilis Historici eloquentia, quam ut ubique scholam & rhetorem metuat. cui nisi subducat mature manum, tam longe à robore & virili cultu, quam prope ab artificio & mollitie aberit. Suffocatur, si non spiret libere, vivida indoles: & si ubertatem omnem excludas, maciem induces: sicut contractior facies, ampliando in monstrum diducitur. Atque hactenus quidem tum laudari abunde, tum optima ratione defendi meruit Vellejus. quamquam in utroque ita simus versati, ut parce & rudiore Minerva (quippe qui nec ipsi libertatis in scribendo & simplicitatis immemores simus) pleraque delibaverimus. Veniendum nunc est ad nævum tam pulcri corporis, tot jam doctorum probris infamatum. Cum enim illustres sane & magnificæ sint in Historia prudentiæ eloquentiæque laudes: Veritatis tamen decus interius est, & antiquius. Ut propterea parum suæ existimationi consuluisse videatur Vellejus, dum ceteris dotibus præcellere maluit, quæ propter unam placent, quam neglexit.

Adulatur Tiberio, sub quo scripsit, sub quo domi militiæque dignitates adeptus est: adulatur Liviæ Sejanoque; sed his propter Tiberium. in cujus gratiam, immortale etiam ejus temporis decus Germanicum parum honorifice, id est, parum ex fide & merito memorasse creditur, si ita scripsit, sicut vulgo legitur. Male id factum: quis enim bonus vir dissimulet injuriam veritati in ipso regno, ut sic dicam, suo illatam? sed bene habet, quod non amplius, quam dictum est, patet hæc deformitas: cetera incorrupta venustate præfulgent. Nimirum hoc non tam Velleji, quam humani generis vitium est, præsentia & nostra cum prudentissime pensitamus, non sine studiis partium affectuque æstimamus: aut cum recte judicavimus, metu temporum judicium abscondimus. Itaque Historicum in hunc diem novi neminem, qui principis sui superstitis, ipse superstes, vitia evulgarit. nisi quod prudentium nonnemo in eo sibi cavit, ne, quod liberius litteris consignaverat, ante suprema sua publicaretur. Dicam quod res est: Nemini, qui res suæ ætatis scripsit, usquequaque & adeo credendum est, ut odio & amore, spe & metu plane immunis, id est, homine major habeatur. Neque potius absolvenda credulitas hic lectoris videtur, quam scriptoris infirmitas. Qui si errore magis quam consilio verum corrumpit, jam veniæ locus est: sin contra sententiam animi falsa pro veris tradidit, tum vero sicut legentium reprehensionem merito incurrit; ita simplicitati rarius imponere potest. præsertim ubi aliorum opera, rerum fides ita in lucem vindicata est, ut facilis veri falsique sit dijudicatio. Id quod in Vellejo etiam accidit. qui non minus irritis quam vanis encomiis ornat, quos severiora & plura publicæ auctoritatis monumenta gravius notavere. Unde hæc talia etiam alias potius petenda fuerant, quam ex eo scriptore, cujus & opera aulæ obstricta, & veneratio Principi debita, & affectus, ac per hunc ipsa ratio judiciumque, ad Augustæ domus splendorem inclinatum, neque silentii neque expositionis planam facilemque viam habuit. Nam quod Vir doctissimus hic excipit, *Neminem*

silentii caussam reddere: fortasse vix locum habet in scriptura Velleji. qui in hoc historiæ ambitu propositoque si omisisset Tiberium, haud dubie suspicionem in se principis & aulicorum, non sine periculo concitasset. At cur operi suo, inquis, non posuit angustiorem modum? non enim credam fore, qui increpet, cur non plane omiserit historiæ totius consilium? Equidem, si breviarii alicujus indolem cogitamus, rursum aut indocta aut suspecta est partium temporumque detruncatio: nec videtur consultum, ut propter pauca, quæ non audet retegere, ceteris quoque abstineat Historicus, quæ visa sibi aut perspecta, præ aliis accurate potest interpretari. Debent hæc vestros quoque animos admonere, Auditores, & circa præsentium studia temporum erudire. Nihil magis in ore, in votis, in conatis hominum est, quam historia nostræ ætatis. Eam cum rerum amplitudine, consiliorum judiciorumque varietate difficillimam, hoc quidem reipublicæ statu ne tentandam quidem autument prudentes, & ob amota jam bellorum vastatione non pauca subsidia, vix in pace, & subvenientibus partium commentariis ac auctoritate publica, sine periculo processuram credere possint: imperitissimus quisque, nec minus literis quam modestia vacuus animo agitat, & mox certatim attaminabit. cujus vanitatis præludia jam & specimina habemus. Verum his nos extra considerationem nostram rejectis, de idoneo tanti operis conditore videbimus. qui facilius optari quam reperiri poterit. Etenim ex iis, qui rerum actu splendescunt, quotusquisque satis eruditionis ad hoc institutum adferet? Ignoscent spero viri summi (quorum artes non minus alias & æstimare & venerari soleo, quam eorum quisquam, qui ex propinquo quidem, sed fortunam plerumque non animum res illustres gerentium intuentur aut intelligunt) si tot artium, quibus ad posteros valere consuevit Historia, cultum copiamque, vitæ tam occupatæ rarius existimem convenire. Non dico, nullum ex hoc genere esse talem: sed an, qui talis est, suscepturus sit in se id onus; an partim potius quam univer-

ſim ſuſcepturus ſit; an, cum ſuſceperit, ſufficientibus partium inſtrumentis uſurus ſit: hæc & talia non minimam habent dubitationem. Superſunt ergo eruditi: qui in ſtudiis vitam, non quibusvis ſane ſed talibus potiſſimum, agitant. Inter eos, ſi hoc ævum ſpectes (nam quid poſtea futurum ſit nil attinet divinare) non deſunt forte, qui ea, qua hic opus eſt, benevolentia adjuti, induſtrie uſurparent id muneris. niſi quod ævi genio & civilis vitæ faſtu quam ſolicitiſſime ab ejusmodi opera removentur. Quo fit, ut alii omnibus rebus impares, ſed Politicis nominibus tumentes, præferantur inſtructiſſimis viris. quorum ſolida & ex puris fontibus hauſta prudentia, à convitio & probris tam hodie abeſt prope, quam olim ab honore & præmio. Id quod non tam ipſorum quam poſteritatis intereſſe, ſciri debebat. Dicamus interim: non deeſſe viros animo, ſtudiis, ſtilo noſtris temporibus dicendis pares; num exiſtimamus, tam invictæ veritatis ullius manum fore ut æque ſecus geſta ſummorum principum, quam præclare factitata; æque arcana aularum, quam ſpecioſa interpretamenta, plane pleneque deformet? nam hoc Velleji cauſſa, cœpimus quærere. Non fiet iſtud, ô mei, non fiet. Etiam cum non ſupererunt, quorum auſpiciis conſiliisque omnia geſta ſunt, poſteritas eorũm timebitur. Atque ut cedat timor, ut deſint adulationis ſtudiique & odii nomina: ipſa ſæculi indoles non capiet hanc ſimplicitatem. Aulicarum aurium animorumque quotidie delicatius fit judicium: atque dum honeſtiſſimis titulis & gravi ſupercilio, majeſtatem imperiorum in ſublimius & majus interpretantur, qui ex officii decoro id facere poſſunt, prudentiſſimus quisque, cum ratione mavult obſequi ad majorem ſceptrorum reverentiam vocantibus, quam cum periculo modeſtiæ novum quidem ſed plauſibilem morem detrectare. Ita crimen paulatim habere incipit, quod aliquando in laude ponebatur: atque ut olim adverſus veritatis, qua poſteritas & totus orbis erudiri debebat, privilegium, nulla majeſtatis exceptio valebat; ſic, poſtquam majeſtatem in multis ipſa revereri

veritas


veritas didicit, nemo ſcribentium, publicarum & aulicarum offenſionum tam erit avidus, ut quæ inter nova regnorum ſecreta hodie aſſervari novit, eliminare in publicum contendat. cum præſertim pro inepto & imprudente ſpernatur, qui à civilium, ut volunt videri, magiſtrorum, & virorum eminenti auctoritate publicas res tractantium ſapientia diſcedit. Ita paucis, ſi modo cuiquam, adverſus ſæculum mens conſtabit. Neque enim Poëtarum tantum & Rhetorum ludus, aut ſub tyrannis metus eſt, ut Nerones & Domitianos, mera monſtra inſolentis potentatus & prodigia, bonorum principum laudibus honeſtent; ſed mollitie temporum & imbellia animorum, à virtute & veritate ſub ipſa virtutis opinione deficitur: ſuccedunt novi mores, nova ſapientia, nova eloquentia. cui nec ſimulationis jam & negligentiæ ſupereſt occaſio: cum in partem officii publici recepta eſt, quæ olim adulatio dicebatur. Eum ſane nec laude amplius arbitror nec venia dignum Hiſtoricum, qui ſub ſpecioſæ commendationis velo, rerum turpium deteſtationem aſtute abſcondere inſtituat. quale commentum in Poëta Lucano, ingenioſius ſuſpicari quam gravius perſuadere, ſummo Viro libuit. Faciendum ergo non minus in noſtris, Auditores, erit, quod ſæpius memini monuiſſe, in antiquis tenendum eſſe. ipſe ſcriptorum diſſenſus & à vero diſceſſus, ad verum nos deducet: præter Cæſarem, Diones, Tranquilli, ceterique liberioris ſtili homines conſulendi erunt. in quibus ipſis tamen ſupra aut intra veri fidem aliqua obſervabis, ut ſic ad genuinam veritatis faciem ipſa comparatione diverſitatis pervenias. Nimirum qui adipiſcendæ cauſſa prudentiæ memorias rerum & annales tractat, non contentus erit unius partis tradita cognoviſſe: ſed adverſæ etiam aut diverſæ partis commentariis ad ipſa conjectationis & judicii civilis fundamenta conſtituenda indigebit. Sed hæc commentatio longius nos incepto abduxerit. Igitur ad Vellejum redimus: qui eam operis ſui, de qua diſſeruimus, labem multis magnisque redimit virtutibus. Quarum adhuc illuſtrior erat fu-

tura admiratio, si totus ad nos pervenisset. Quam ille nobis ingenia regum artesque luculente notaret! quam accurate momenta institutæ libertatis, & semina certaminum publicorum, suis quæque locis disponeret! quam animosse festinantem ad victorias externas populum sequeretur, quam provide victorem admoneret! quantum in ipso felicitatis cursu latere periculi animadverteret! Quam ubique fortunam suæ civitatis & indolem in numerato haberet; easque veluti per gradus vigoris & potentiæ ad fatalem excisæ Carthaginis terminum deduceret! sicut ab hoc momento relabentes, in iis, quæ habemus, per singulos lapsus, celeriter quidem sed notanter præcipitat: & quæ non sentientibus Romanis clanculum obrepserant, aut veloci frequentia perculsos cæcaverant, in apertam ordinatamque vindicat notitiam. cujus rei caussa subsistit aliquando, & observationis civilis epocham, ut sic loquar, unde in posterum processura sit fati publici disciplina, statuit. Ita Gracchanum tumultum cædemque gravissima nota signat: *Hoc initium*, inquit, *in urbe Roma civilis sanguinis, gladiorumque impunitatis fuit. initium* ideo, quia exemplum. quod non ostendit modo flagitia, sed auspicatur. Ab hoc initio maxima quæque & continua mala pendebunt: ab hoc initio ad calamitatum extrema fiet progressus: ab hoc initio ad finem status ac securitatis publicæ proficietur. Eo celerius, quia impune. nam ut malorum, ita *impunitatis* hoc initium est: qua non ad turpitudinem morum, ad petulantiam, ad luxum, ad contumaciam coñivetur per indulgentiam; sed qua supervecta suppliciorum auctoritati scelerum atrocitas, emendari per imbelliam non potest. *Gladiorum civili sanguine* rubentium impunitas est: quam temporis necessitas commendavit primo, mox depulsa necessitate civitas retinuit, sive expellere non potuit. Ex hoc sanguine natæ sunt quædam civiles Furiæ. quæ nihil sanum deinceps, nihil intactum reliquere. Abominamini fors tam diram imaginem: verum ut comparationem molliam, in argumento nihil occurret modicum. Est morborum quoddam genus,

quos

quos acutos vocant medicorum filii. hi ſtatim nobiliſſimas quasque corporis partes ipſamque vitæ ac vigoris ſedem invadunt: jecur incendunt, cerebrum onerant, cor debilitant. atque hæc omnia celerrime, & tanquam ad mortem feſtinandam, videmus fieri. Prorſus tale aliquid Roma ab hoc initio, de quo diximus, experitur: dum *jus vi obruitur*. ipſe ſpiritus vitalis, quo ſalus publica vivit vigetque, ipſa virium & roboris origo, haud dubie in jure & legibus intelligitur. juris beneficio eſt reſpublica: jure ordinatur, jure regitur, jure ſtabilitur, jure conſervatur, jure continetur. Quamdiu juri ſua auctoritas, tantiſper civitati ſua conſtat ſanitas. Igitur quantum à jure diſceditur, tantum à republica degeneratur. quæ amittit ſe ipſam, cum jus amiſit. Ab hoc niſi vis omnis diligentiſſime arceatur & validiſſime, mora nulla eſt, quin una oppreſſione confeſtim obruatur. Ex eo tempore nihil ordinatum, nihil moderatum, nihil honeſtum ſupererit. quos merita virtutis contulerant honores; dignitates, quas judicia conſenſusque bonorum tribuerant; Magiſtratus, quos ſuffragia civium demandarant, vis in poſterum dabit, *priorque* ceteris *habebitur* ac ad principale in republica faſtigium aſcendet, qui opibus, factione, audacia, *potentior* erit. Nemo jus dicenti auſcultabit: nemo feret monentem. neque minus conſilium ſapientis, quam legum auctoritas, repudiabitur. Itaque ergo *diſcordiæ civium, ante conditionibus ſanari ſolitæ, ferro dijudicabuntur*. id eſt, bellis omnia ardebunt pariter & miſcebuntur. Quid enim inter violentos unquam concors? quid inter eos moderate diſcors? conditiones rationis & juris filiæ ſunt: ſicut ferrum ab omni ævo miniſterium violentiæ infamavit. illis obducuntur vulnera, hoc reſcinditur: illis ſopiuntur lites, hoc exaſperantur. ſed præplacebit tamen ferrum bellumque, poſtquam ſemel jus diſplicuit. Sufficiet imo ipſum belli nomen, ut pax & quies ſpernantur. neque quiſquam, cujus cauſſam ſequatur, ſed cujus vim & prædam, cogitabit: ſicut nec ſuſcipiendi belli cauſſæ expectabuntur, ſed ſpes & cupiditas arripientur.

hæc ſunt Velleji noſtri, *bella non cauſſis inita, ſed prout eorum merces fuit.* Quibus verbis ipſam morbi ad perdendam rempublicam properantis vim & impetum, expletis jam augmentis, toto nocendi inſtrumento vehementem, demonſtrat. una ſcilicet interpretatione centum circiter annorum fata complexus: quibus in mutationem ſui demerſa respublica vix tandem in novam faciem emerſit. Sed quid uni exemplo hujus curæ prudentiæque immoror, quaſi non ſatius eſſet in ipſo Auctore communi obſervationis & commentationis ſtudio, omnia complecti? Huc enim potius nos vocat inſtituti ratio & induſtriæ noſtræ: quam, omiſſis ſive dilatis laudibus Vellejanis ceteris, in rem præſentem ſtrenue transferemus, auditores.



XVI.

EPITAPHIUM

Illuſtris & Generoſi Baronis,

WOLFGANGI JACOBI de GERA, &c.

MM. SACR.

E

Principibus Juventutis Academicæ,
Perilluſtris & Generoſiſſimus
WOLFGANGUS JACOBUS
Dominus de GERA,
LIBER BARO,
Argentorati Kal. Novembr. CIↃ IↃC XLVI.
letho datus eſt:

Et San-

Et Sanctorum omnium festo;
sanctissimis cœtibus officiisque
matutinum auditorem,
socium, collegam
in cœlo sistendum se præbuit
Servatoris sui manibus,
quibus beatum spiritum
moriens commendaverat.
Nimirum
dum Ecclesia ex ore summi Doctoris
Beatorum elogia, & spes
& titulos,
cupide audit aspiratq;,
ille in libro vitæ coram legit
suam beatitudinem;
in domicilio vitæ
beatitudinis vitalis præmia auspicatur;
in origine & caussa vitæ,
æterna beatitudine acquiescit.
Beatus ille, qui Beatis omnibus
nexu salutis jungitur!
Annos vivendo explevit XXII.
menses pæne VIII.
atque ita in ipso maturæ juventutis vigore,
omnia ætatum humanarum spatia,
vel complexus est virtute,
vel fortuna emensus.
Post præparatam majoribus studiis pueritiam,
Soræ primum,
inde Rostochii,
deniq; Argentorati,
optimis litteris, scientiis, artibus
operam dedit,
pie, cordate, laboriose:
Hostis otii, amicus modestiæ,
socius sapientiæ,

verum

verum & magnum Academiæ nostræ
Ornamentum.
Ita faustum est,
quod vixit:
Perenne, quod vivit.
sive est aliqua famæ perennitas,
sive hoc est sola nomine digna
æternitas.

Vos, quibus eximios solidæ virtutis amores
Vis alta mentis suscitat;
Gratibus officioq; pios celebrate supremum
Manes, & ultro dicite:
Non opus est planctu dare justa, nec omine tristi
Turbare ritum funeris;
Quod lugubre nihil, sed plenæ munera laudis
Sortisque faustæ vindicat.
Floreat hic tumulus, reviviscant ossa, resurgat
Illustre corpus denuo:
At pius in cœlis exultet Spiritus, orbem
Laus nominis perambulet.

Debui hoc, qualecunque est, officium Generosissimi Juvenis memoriæ, quæ mihi semper erit venerabilis. Impressit hunc affectum animo meo, non tantum cultus tam illustribus familiis debiti studium, sed quotidiani insuper commercii & literatæ familiaritatis consuetudo: cujus recordatione nunquam non jucundissime perfrui licebit. Possem, si id nunc agendum esset, interiorem excellentis ingenii præstantiam, & rectissima bonæ mentis proposita, quatenus è propinquo introspicere datum est, deprædicare: neque sane ullo officii genere rectius, quam per verissimas laudes & memoriam virtutum, celebrari tam acerbum funus potest. sed quia partitim Academia confert sua elogia, nihil adjiciam publicis laudibus, præter pauca quædam privatæ notitiæ monumenta, nullis tamen inter nos aliis, quam publicis
caussis

caussis usurpata. Cum enim se totum iis dare constituisset artibus, quibus illustre ingenium ad Reipublicæ pariter ac Familiæ usum decusque excoleretur, non potuit non vehementer incitari, ubi nostram ingressus Academiam, & exempla nobilissimorum juvenum, præclara studia æmulantium, & faciles Musarum aditus, omniaque discentibus prona & gloriosa offendit. Interpretabar tum è cathedra Suetonium: his ille recitationibus assiduus auditor interfuit. Lectionibus extraordinariis, ut nostræ mos Academiæ tenet, Taciti annales ipse flos Academicæ juventutis mecum tractabat: inter horum primores rursum Generosissimus noster Baro præfulgebat. Publicabant persæpe sua studia tam strenui commilitones, atque nunc perorando, nunc more certaminis literati disputando, auditoria frequentabantur: nunquam defuit Noster, quin vel præsentiam congressui, vel operam exercitationi commodaret. Biennium amplius fluxit, quo in hunc modum invicem nosci & noscere potuimus: cum contracta propioris commercii consuetudine, pæne quotidie domum meam ventitavit, atque privatim suas mecum horas partitus est, donec totum absolvissemus Curtium. Nihil hic dicam de attentione ejus singulari (quam, nec immerito forte, inter artes numerare soleo) nihil de studio sciscitandi, de cura meditandi: quæque sunt id genus alia, sine quibus non vigor studiis, non anima, ut sic loquar, constare potest. Illud saltem non omiserim, quam nostri laboris regulam, quam profectus legem sectati simus. Inter mala sæculi nimis eruditi est, quod veræ eruditionis vel natura ignoratur, vel salubritas non percipitur. cujus labis originem ita poterimus æstimare, si quantum à disciplinæ studio (nolo enim nunc cum nonnemine Veterum, *discentiam* appellare) curiosi moris vanitas absit; aut quid à bonæ mentis proposito discrepet, securus sui operis successusque animus, pensitaverimus. comparasse sibi notitiam quorundam librorum; audisse varia hominum, de variis studiis rebusque judicia; alieno ore, mente interdum nulla, o-

 mnium

mnium eruditorum censuram profiteri; declamare, quæ nunquam legeris; ostentare, quæ nunquam habueris; suo se arbitrio suffragioque novum auctorem facere: hæc profecto plerumque sunt, quæ homines ab omni seria doctrina alienos nec ullius disciplinæ penetralia ingressos, in tantam de sapientia sua persuasionem adducunt, ut propediem nomina sua aureis litteris inter elogia Pansophorum (ne plus scilicet cum modestia Philosophorum veterum, quam cum doctrina commune habeant) dedicaturi videantur. Hæc una nostri fundi calamitas est. accedit altera, quod à sciendi cognoscendique studio, omne boni moris propositum, & sanctioris sapientiæ præsidium adeo sequestratur, quasi sine virtute Respublica, sine divina ope Reipublicæ gubernatio stare posset. Adversus istas seculi pestes, cum mihi jam ab annis non adeo paucis, ratione publici muneris, decertandum sit, magnum sane operæ pretium visus sum fecisse, postquam capaci & sponte ad rectissimas sententias tendenti animo, tam alte, quæ cupiebam, insedisse animadverti, ut non possem non eximia omnia Generosissimæ familiæ, & communi patriæ de excellentissimo Juvene ominari. Erat nobis in manu argumentum, quod dixi, fœcundum, ac plenum interiore prudentia; de Imperii Persici destructione, de vitiis, quibus affliguntur Respublicæ, de casibus, quibus agitantur, de vicibus, quibus permutantur. Videbamus Dei opera, in iis quæ cadebant: nec minus in aliis, quæ resurgebant. heroicas Alexandri dotes à cœlestibus auspiciis arcessebamus: fortunam in tot miraculis edendis occupatam, ea parte intuebamur, qua gentilibus non datum est intueri. Aulæ ambages, elegantias, artes, arcana, mores, flagitia, pericula, sub tam accuratum stili acumen venisse mirabamur: sed non semper nihil nobis permisimus ultra gravissimi Scriptoris judicium. qui sicut profundam subtilitatem politici actus nobis interpretari potuit: ita aliquid esse, quod ab ipso frustra expectaretur, satis memineramus. Narravit ille nobis fata aulicorum: nos fatorum caussas, non ex Stoica illa serie, quam Curtius

texit,

texit, ſed ex divina ordinatione, quam ſacer Codex deſcribit, indagavimus. Libuit ſubſiſtere, ubi aliis libet prætetire: nec pœnituit introſpicere, quæ pleriſque vix aſpiciuntur. Vehementer fallor: aut viderat ille Noſter, in ſtudio civili, viderat profecto viam, quam ingreſſos Deus ducit, prudentia comitatur, ſucceſſus non deſerit. Nec latebat eum contextus ille ſapientiæ & vinculorum ſeries, quibus mutuo ſibi innectitur profundior rerum intelligentia. quo tamen inſtrumento diſcendi utebatur, non ut ex omnibus aliquid audaci jactantia & quodam vehementis ſapientiæ impetu imperitis venditaret; ſed ut generoſa profectus gravitate bene conjungeret, quæ male disjungi conſtat. Quo factum eſt, ut in unoquoque diſciplinæ neceſſariæ genere, de idoneis ſolicitus eſſet auctoribus: quorum ſub ductu qui ſemel fideliter meruit, ei facile ſub manum cetera militiæ hujus munia ſuccedunt. In juris Romani ſtudio, laboris bene diſpoſiti aſſiduitate, ad egregios profectus aſcendit, ſub explanatiſſima inſtitutione celeberrimi noſtri JCti GREGORII BICCII, cujus etiam hoſpitio fortuna eum affixerat. Debentur plenæ quoque gratiæ JOACHIMO PRÆTORIO, qui non modo rectoris prudentiam, & comitis fidem, ſed unicum & ſupra hæc nomina affectum, Baroni Suo præſtitit, prorſus qualem parentes optare fas eſt, cum liberis animo ſuo, opera aliena, cupiunt conſulere. Dum in hunc modum res apud nos geruntur, dum induſtria & ſpes, mutuis ſtimulis incitatæ, ad pulcerrimarum rerum fructum contendunt: Deus operum noſtrorum inſpector & arbiter, ſubito laboris & expectationis mortalis hactenus terminum eſſe juſſit, cariſſimumque ſibi pignus ad beatam immortalitatem tranſtulit. Magna luctus ac deſiderii materies in orbitate Generoſiſſimæ familiæ, in jactura publicæ ſpei, in calamitate Academiæ. Sed, quam felix eſt ille, qui feſtinatæ immortalitatis præmio honoratus, ampliſſimum privilegium accepit, quod æternum immunem præſtat ab infinitis periculis & fatis noſtris: quibus cum genio poſtremiſſimorum peſſimorumque temporum tam ini-

qua conditione luctandum est, ut non pietas, non virtus, non doctrina, nisi quatenus superioris nomina sunt, quemquam ab invidia, injuria, contemtu vindicent. Nunc pietas tua in portu est: nunc eruditio perficitur: nunc modestia extollitur: nunc spes expletur: nunc fulget nobilitas, eminet magnanimitas, coronatur justitia; nunc, ô beata anima, incipis vivere, postquam mori desiisti. Vixit satis, qui sic vixit, ut nunquam intermoreretur. nec de Supremi Numinis voluntate queri possumus, quod cœlo vindicavit animam, terris autem reliquit bonam recordationem, memoriam & exemplum vitæ per virtutes actæ: quæ suprema mortalis ævi præmia creduntur.



XVII.

CONSOLATIO

Ad

Generosum Nobilissimumq́,

JOHANNEM SILBERSTERN,

Secretarium Regium, Holmiæ;

cum

Filio unico GUSTAVO, ex Academia Ubsaliensi in cœleste beatorum consortium evocato,

Exequias iret,

Anno Christiano clↄ Iↄc LI. *m. Maj. d.* XI.

ETsi Te, Vir Nobilissime, exequias Filio euntem, neque consolatione, neque sapientia aliena indigere, explorata firmitudo animi Tui, & gravitas morum, egregiis adjuta literis abunde declarat: tamen

tamen & ſocietas pæne ægritudinis, & eximia tua erga me benevolentia, non deſiverunt me hortari, ut fungerer illis officiis, quæ huic tempori tribui oportere, ipſo etiam humanæ ſortis commercio admonemur. Ut autem te nunc referas ad placita eorum, qui præcipuo quodam dolore neminis animum hominis angi in vulnere domeſtico debere, arroganter & moleſte diſputant, non ego certe ſuaſerim: qui expertes veræ gravitatis ſpiritus & ignaram ſolidæ virtutis elationem, pridem didici non tam in auctoribus ſuis, hominibus paganis, quam in declamatoria imitatorum vanitate odiſſe. Neque fieri poteſt, ut ſacramento melioris ſapientiæ rogatum deceat, relicta & faſtidita Optimi Auctoris ſanctiſſimæque diſciplinæ formula, ſemper oſtentare & occinere decreta illius Scholæ, quæ quidquid boni habet, à noſtris acceptum oraculis, faſtu & ignoratione divinæ humanæque conditionis depravavit. Videmus maximos omnis memoriæ Deoque conjunctiſſimos viros, Jacobum, Davidem, alios, valetudine exceſſuque liberorum graviter indoluiſſe: quorum mœrorem non incuſatum profecto, ſed levatum à Deo perſanatumque, nemo, niſi cui temeritas pro ingenio eſt, imbelliæ molliſque animi convitio verberaverit. Sive enim rebus adverſis & triſtibus, caſtigari nos à ſummo parente credimus; quis laudaverit ſtuporem non ſentientis plagam, quæ imponitur? Sive inter munera divinitus accepta reputamus liberos; quî convenerit, amiſſionem rei tam caræ absque omni deſiderio veluti negligenter transmittere? Nam quod illi ſubinde crepant, dolorem nec decorum viro ſapienti, & præterea inutilem eſſe, id more cavillatricis ſectæ magnificis verbis inanem veri ſpeciem ementitur. Quam ſi quis melioribus oraculis eruditus nolit ejerare, is, non video, quomodo non, poſt infamata cetera ſanctiſſima nomina, ipſi Servatori Optimo Maximo vel fictæ ſimulationis vel admiſſæ culpæ dicam impingat: cujus dolores & mœſtitiam & lacrymas, non uni cauſſæ datas, ſub honore exempli legimus ac veneramur, quotquot tam ex diſciplina,

quam ex usu feriæ pietatis compertum habemus, CHRISTIANORUM sapientiam dolendo plurimum adjuvari. Non mirum ergo, si mœrorem admittas animo, præferas vultu, quando unicum acerbo funere filium eff.rs. Hunc Deus Tibi ante XVI. amplius annos, spem familiæ, delicias domus, & hactenus materiem pulcerrimæ semperque in majus proficientis expectationis indulserat. Ingenii dotes, per jucunda pueritiæ rudimenta, in adolescentioris ætatis cultum feliciter emersæ, modo recti probatique moris, modo studiorum liberalium speciminibus, in dies magis efflorescebant. Jamque Deo & Sueciæ debitas fruges, paterna cura provisuque in formam & habitum componere, quantulo minus quam parabas? Suffragabatur tuis votis Academia, favebant amici, gratulabantur omnes: cum exorta velut ex insidiis valetudo, omne industriæ speique argumentum Parentibus & Filio præcidit. Jacet demessus amœnissimæ gratiæ flosculus: & in ipso Veris regno, vernale decus injuriam patitur. Mœrent, qui plantarunt: anguntur custodes: hortus ornamentis suis se orbari, tantum non lamentatur. Ubi sollenne & debitum tempori carmen hortulani: *venite, qui amatis naturæ superbientis spectacula, ut eamus & videamus, si floruerunt lilia?* Imo vero unde illa nescio cujus rei tristis nuntia vox accidit auribus: *Floruit flos agri: & pertransivit ventus: & ager florem ignoravit?* Opportuna nobis florum mentio evenit, ut ad solatia Te vocem, ex illo horto repetenda, qui plantis semper virentibus recreat oculos, confirmat animos, componit affectus. Hactenus nec Patris, nec Christiani nomen dedecere dolor potuit: nunc patrio vulneri, Christus ipse medicinam faciet. cujus saluberrima divinis tradita literis ratio, nullum adversitatis genus sine solatio reliquit. Et, quandoquidem similis fortunæ casibus non semel exercitus, ne pietatis quidem arduis operibus intentæ sensa, momenta, vices ignorare debeo, in hujusmodi fere statum cogitationes tuas componi arbitror: *In muneribus tuis, mi Deus, quæ largâ semper manu in me contulisti, Patris nomen ali-*

quoties

quoties partum, jucundius mihi etiam tempora facere debuerunt, quibus pars domesticæ civilisq; fortunæ fuit, educare Optimæ Principi cives & servos, nullo verissima libertatis bono cariturus. Gratias tibi ago immortales, quod filio ingenium, amorem scientiæ, obsequendi studium, & eos mores tribuisti, unde tibi devotum, patriæ deditum, familiæ utilem futurum, confidere potuimus. Jam, quod visum est tibi cum nostrâ spe & filii fortunâ, compendio transigere, id quoque benignitatis tuæ fidem nobis facit: qui, sicut divulso tam suavi pignore non possumus non ingemiscere, ita absit à nobis (& profecto aberit) ea mentis perturbatio, quæ gratas tui consilii recordationes solet obtundere. Quidquid in filio amavimus, & speravimus, eo fine stetit, ut Tibi viveret, Tibi moreretur, Tibi æternum jungeretur. Ut huc perveniret, nos longiorem viam, ignorantiâ futuri, & more dicam an errore humanæ opinionis, animo concepimus. Nunc breviorem, quæ Tibi placuit, etiam in hâc caligine positi, subductis ex omni parte rationibus, censemus utique præferendam. Multum erroris habet circumductum per humana iter: multæ in vitæ ambagibus insidiæ: multa in cursu temporum præcipitia, multi casus. Quantis gaudet privilegiis, qui in adolescentiâ portum attingit senectutis; & Servatori suo ex ephebis sociatus, neque necessitate peccandi alligatur, neque consuetudine vivendi occallescit, neque mortalitatis fluctibus involvitur? Non ego præposterum naturæ morem, non sinistrum fatorum cursum criminabor, quasi filio faciam, quod filius mihi debuisset facere. Relinquerem Te, Fili, quandocunque Deus jussisset, superstitem: sed in periculis & tali conditione constitutum, ut plus tibi timerem, quam gratularer. Quis est enim ille tanta sapientiâ & virtute præditus, qui virtutis & sapientiæ deliquio se immunem arbitretur, in sæculo confusæ calamitatis, & desperatissimæ improbitatis? Quid nobis tandem agendum est, quos hæc scena tot prodigiis, tot terroribus exercet? Religio, virtus, modestia, in bonis, criminum nomina; in malis, turpitudinum velamenta sunt. Fanaticorum deliria, impostorum publicorum flagitia, discordiæ gentium, nescio quam novam malorum Iliada ævo nostro portendunt. Et quid conor dicere, quæ vel cogitatu tristia ac formidolosa, semel evasit Filius, qui nunc in tuo sinu, ô benignissime Deus, & proficit, in quibus nos deficimus; & cernit, in quibus nos caligamus; & possidet, quæ


nos

nos concupiscimus. Ita sentis, nec dubito, Vir Nobilissime, de excessu Filii; ita parentas manibus carissimi capitis; & hanc necessitudinis pariter ac pietatis regulam, quam ego attigi, plenissimo affectu studioque exequeris. Unum superest, ut in lacinia memoriæ funebris, amoris mutui, qui me filio tuo conjunxit, qualecunque monumentum statuam, sepulcroque brevem titulum inscribam.

S. S.

Hoc tumulo
quiescit corpus
jucundissimi Adolescentis
GUSTAVI SILBERSTERN.
Huic
nato ex Parentibus Optimis,
nobilitas,
ingenium,
mores
abunde contigerant.
Quibus
dum poliendis
&
ad usus publicos adornandis
in Academia totus vacat,
Legis Annariæ veniâ
cœlitus impetratâ,
supremo omnis laboris studiique humani
præmio
beatur:
cum numerasset mortalis ævi
annos XVI.
mens. VI.
Tu, qui legis ista,
Felicitatis immortalis
Auctorem
&
Compendium
meditare.

XVIII.



XVIII.

Cum Nobilissimi Adolescentes,

Fratres REMCHINGERI,

Depositionis, quam vocant, Academicæ ritui se subjicerent.

Serenissime ac Celsissime Princeps ac Domine, Domine Clementissime.

Viri Generosa Nobilitate, Meritis, Auctoritate, Dignitatum titulis Præclarissimi: Nobilissimi Præstantissimique Studiosi: Et vos, quibus nunc demum vera oris habitusq; species redit, titulis postea decorandi, Adolescentes.

BONUM FACTUM: Regina Sapientia edixit, NE QUIS IN SUUM REGNUM ADMITTATUR, NISI DEPOSITA OMNI ALIA SERVITUTE ITEMQUE DEFORMITATE ET ABSURDIS MORIBUS. Id Edictum primo per orbis terrarum Regna, per provincias, per oppida promulgavit: Denique ad valvas Academiarum perenni schemate proposuit, ut tanquam apud templum suum & officinam secretiorem accedentes statim sui veneratione imbueret, & de symbolo aulæ sollenniter admoneret. Factum ergo à vobis præclare, Adolescentes eximii, quod hujus Edicti reverentia concupivistis mereri, ut in sedem liberalis Musæ reciperemini: quam non profanus aliquis Apollo, non illa ex Poëtarum potius quam Jovis cerebro nata Pallas, sed, ut dixi, Sapientia cœlo missa, quæ vitam hominum non pateretur inhumanam esse, habitat. Itaque jamjam se componit Janitor ad aperiendas fores, si tamen quædam vobis, ut rite intretis, ut ordine ambuletis, monita suggesserint, qui ab exterioribus sunt admissionibus. Fecit sane id

ex parte is, qui vos ad hoc limen deduxit, ſed ſub ænigmate & imaginibus, à quibus nunquam plane abhorruit erudita & Sapientiæ operata Antiquitas. Expoſita ſunt in conſpectu veſtro inſtrumenta neſcio cujus fabricæ: dolabræ, aſciæ, forcipes. Oſtenſa ſunt vobis & corpori veſtro applicita, quæ vix hominis, certe non ſani hominis perſonam vobis relinquerent. Ingeſta ſunt auribus veſtris nomina, nullius linguæ ingenio à barbarie redimenda, communi ſenſui adverſa, abnormia, bacchanalibus denique quàm feſtivitati literatæ convenientiora. Quid hæc aliud ſunt, quam ſymbola ſervitutis, quam ſervit vulgus hominum, vulgus, inquam profanum & quod procul abeſſe hinc jubetur? ſervitus vitiorum eſt, quam dico: cujus habitus deformis, conditio miſera, exitus triſtis. Equidem *vitia ſola inducunt ſervitutem hominemque, perſonis & rebus, indebito famulatu ſubjiciunt; & licet ſervitus perſonæ quandoque miſerabilior apparet, vitiorum ſervitus longe ſemper miſerior eſt,* inquit nonnemo è nobilibus Reginæ noſtræ familiaribus. Quæ quoniam ipſa eſt optima, ut quam optimis imperitet, providere cupit. Nemo autem bonus eſt, niſi qui liber ab hac ſervitute, quam non vox modo Sapientum veſtris animis, ſed ludus ille, quem modo luſiſtis, oculis quoque ſubjicit. Eſtote ergo liberi: liberiſque corporibus & animis, ejurata omni ſervitute vitiorum, ad ſerviendum ei Reginæ, quæ ſervos non alios agnoſcit, quam qui vere liberi ſunt, vos comparate. Abſit arrogantia à vobis, abſit faſtus, & contemtor animus, quem non capiunt palatia Sapientiæ: abſit protervia & impudentia mentis, quæ agreſtium tuguria quoque dedecet, adeo non decet regiam tam nobiliter inſtructam: abſit luxuria & ingluvies; nam ſobriorum hæc aula eſt: abſit licentia & petulantia; nam compoſitæ diſciplinæ hæc ſedes eſt: abſit inſanientis ſapientiæ vel impietas vel pravitas; nam in ipſam majeſtatem reginæ noſtræ injurius eſt, quiſquis inſignia ejus quocunque falſo habitu, mentiri audet. Macti eſtote hac libertate, ô juvenes: macti hujus libertatis ornamentis & inſtrumentis, quæ nunc amplius


amplius vobis commendo. Delicati ſunt Reginæ noſtræ oculi, accuratum ejus judicium: qui in conſpectu ejus ſerviunt, elegantiæ morum periti, oreque, & habitu corporis toto ad exprimendam honeſti imaginem exerciti eſſe debent. ejusque rei gratia, fidas vobis magiſtras, præſtantesque ordine Muſas diſpoſuit, quæ vos per commentarios & inſtrumenta hujus aulæ circumducant, & ex actis regni condiſcere jubeant, quicquid elegans, quicquid honeſtum, quicquid eximium, quicquid publice aut privatim utile aut decorum. Hæc ſi vobis cordi ſunt eruntque, jam exterioris officii admiſſionales nihil vos morantur, quo minus ad propioris admiſſionis officium pergatis. Ibi breve ſed magni momenti præceptum eſt, quod haurire fida aure, & mente alta reponere vos oportet. Quia enim generoſo & nobili ſanguine & egregiis majoribus orti eſtis, Regina noſtra ſtudioſe vos monitos cupit, ne tam claris natalibus quicquam indignum aut male conveniens cogitetis faciatisque, nec minus virtutis præſtantia quam genere ceteros ſtudeatis anteire. Alias vix erit, ut tueri, quem vobis ipſa tribuerit in ſua aula locum, queatis. Sed ventum nunc eſt ad proxima. Itaque, quod felix & fauſtum ſit inclytæ veſtræ domui atque vobis, ego vos, auctoritate ac vice viri ampliſſimi, jurisque peritia & virtutum eximio ornatu præfulgentis, *Gregorii Biccii*, quem valetudinis cauſſa nunc abſentem, in Academia Argentoratenſi, tanquam in aula ſua, magnifici Rectoris nomine, hoc tempore præeſſe juſſit Sapientia, ab omni nominum morumque turpitudine, quam neſcio quis detorta & barbara voce *beaniſmum* vocavit, libero; & in ſtudioſorum, ſive eorum qui Sapientiæ ſuam dicare conſtituerunt operam, numerum recipio. ejusque rei pignora vobis adhibeo *Salem Sapientiæ, & Vinum Lætitiæ.* quorum illud ſymbolum de nomine ſuo dici, hoc de munere ſuo commendari, utrumque de regni ſui majeſtate voluit intelligi Regina noſtra. Qui habet Salem, nihil inſulſe facit. Sale vita conſtat; Sale virtus conditur; Sale mores cuſtodiuntur. Qui cum grano ſalis accipit, quæ gravia

 ſunt,

ſunt, levius digerit, ſalubrius percipit. Turpe illud Epigrammatiſtæ: *nulla in tam magno eſt corpore mica ſalis.* Sapientiam voluit dicere, cum ſalem dixit: quia Sapientia ſale vires ſuas, ſalibus amœnitates ſuas vult æſtimari. Jam vero quantum eſt, quod vobis ſymbolum vini pollicetur? Lætitiam enim cum dicimus, vitæ animam, fructum virtutis, felicitatem conſcientiæ, munus & donum Sapientiæ dicimus. Antiquum illud non fallit: *ſolum Sapientem ſemper in gaudio eſſe.* Quot aularum ſplendidiſſimarum mœrores, luctus, tragœdias denique, Hiſtoria vobis memorat? ſed aula Sapientiæ, abſque tumultu, abſque planctu, veluti cœleſti quodam hilaritatis genio omnia recreat, fovet, permulcet. Ecce, quod fruſtra inveſtigant Medicorum filii, ecce vobis nepenthes Homericum, primum Reginæ noſtræ munus, quod tranquillitatem vobis & à doloribus immunitatem pollicetur. Dictum ſapienti ſat eſt! Nunc enim tradam vos Reginæ noſtræ: illa ſuo conſpectu animis veſtris ad præclara omnia natis vigorem & alacritatem aſpirabit: illa ſuo nutu veſtros mores actusque moderabitur: illa vos amplexibus ſuis, ſi merebimini, admotos omni ſecretiſſimarum artium inſtructu adornabit. Sic politos formatosque in aulas magnorum Principum dimittet, & jubebit decoris obſequiis majeſtatem ſceptrorum propitiare, ornare cultis moribus auguſtarum gravitatem domuum; fidem conſilio, induſtriam actu, modeſtiam animo approbare: modo publicis utilitatibus dignum os commodare, & ſacra regni gentibus interpretari; modo apud aures potentis domini ſalutis publicæ myſteria, nunquam exitura in vulgus ſollertia inſinuare: ubique autem & quacunque occaſione ornare patriam, certare meritis, non pace, non bello deeſſe civibus, ſemper denique Sapientiæ, id eſt, Reginæ veſtræ meminiſſe, ejusque inſignia non niſi cum vita deponere. Id precor & ominor vobis, Generoſi Nobiliſſimique Studioſi, quos primus hoc nomine compello, atque adeo nunc ad ſpes præclaras erigo. Surgite, & qua vos monſtrata ducet via, ite: auſpicatique ominis loco, illu-

ſtrem

ſtrem hunc conſeſſum & in eo genita ad omne decus Sapientiæ & utilitatum publicarum nomina flexo poplite veneramini. Ita non poterit non in animis, in votis veſtris eſſe vetus illud & ſtrenuum à Lacedæmone ſymbolum, ut vobiſcum ipſi cogitetis: *quales hi ſunt, tales erimus, ſi Deus vitam bonæque mentis conſtantiam ſuppeditaverit.* Accipite ratum, & in Exempla, quæ nunc colitis, ſuccreſcite.



XIX.

Poſt abſolutum, in privata Annalium Taciti interpretatione,

Anno cIↃ IↃC XXXVI,

PRINCIPATUM TIBERIANUM,

velut

Επικειτικὴ ἀνακεφαλαίωσις.

POpuli Romani, quo nullus in terris majora utriusque ſortis documenta tulit, ſi quis libertatem conſideret; ut ex humili initio in immenſum ſe ſuſtulerit, ut munita opere ac ingenio ſteterit, ut oppugnata varie, dein expugnata, denique ſubverſa jacuerit ac proculcata: arci cuidam robuſtiſſimæ non abſimilem inveniet. Surgebat poſt ejectos Reges pulcerrimum ædificium. Concordia popularis & virtus fundamentorum explebant vicem: deteſtatio regiæ libidinis & injuriarum memoria pro vallo erant: acceſſerant tribunitiæ munitiones ac tela, quæ vim arcerent, quæ in perpetuitatem arcis proficerent ac excubarent. Hanc aſtus & ambitio optimatium adoritur, nec capit. quamquam longo tempore, nec impetu modo, ſed fraudibus omnia experta. Atrociſſime conflictatam conſtat, cum jam munimenta quoque in cu-

in cuniculos, & præsidia in eversionis instrumenta vertissent. Nam sub tutorio nomine plus nocebant, qui præclaram modo potestatem, sibi gerere occœperant. Sed & ipsi, qui custodiebantur, non moderationis sæpe, non industriæ memores, fidem denique & manus pretio ac emptoribus permisere. Secutus est Marianus Cinnanusque furor, &, quæ longe lateque stragem dedit, Syllana tempestas. Et quod fuisset periculum, si quantum impetus isti homines, tantum habuissent vel calliditatis vel perseverantiæ? Hactenus non vincitur libertas, sed ab ipsis plagis animos ac opes ducit. Donec fatale humano orbi nomen Julius, immensas vastissimi ingenii artes, cum non minore potentia primo, mox cum oppressione Reipublicæ conjunxit. Expugnaverat tamen libertatem, nec ultra victorem suspiciebatur. Augustus moderatione & prudentia paulatim dominum pati docuit, qui aspernabantur modo dictatorem. omnia sic adgubernante fortuna, ut in ipsa servitute, læta tamen publici status facies maneret, nec quisquam ejus detrectaret imperium, cujus non capere satis ac mirari virtutes universi poterant. Ultima igitur servitutis post Augustum sensit Roma. Non satis erat, occupatam præsidio, libertatis arcem obtinere: subrui cœpit, & everti, & sanguine, ferro, dolis exæquari. Nullum ejus vestigium, nullæ superesse reliquiæ. Agnoscitis opinor, Auditores, Tiberianas artes, quibus instructus Proteus ille pari exitio Romanæ rei viguit ceciditque. Qua de re ex Auctoris nobilissimi, qui hactenus nobis in manibus fuit, prudentia & judicio pauca jam repetenda sunt: Vobis, ut existimo, non abnuentibus, ea penitius ac veluti uno sub aspectu posita intueri, quæ collegisse passim dispersa curæ pridem habuistis. Qui Augusto destinari successores poterant, duo admodum erant, Germanicus & Tiberius: ille virtutibus, hic ætate præstantior. Ille vigore, animo, sanctissimis artibus, & virtutem Julii & Augusti prudentiam æquaturus sperabatur: hic merus tenebrio, quid expectandum omnes haberent, nemini patere volebat. nisi quod

pru-

prudentissimus quisque, quantum esset malorum, quod tam inusitatis artibus tegeretur, secum ipsi cogitavere. Ille verus Augusti sanguis: hic licet adoptione ascitus, prævaluit tamen in animo tanti Principis. manifesta fatorum ira: quæ in Rhodiensi secessu tempestatem hanc & fulmina pridem populo Romano conflaverant. Præteritur spes unica Romæ, id est, quid nisi ipsa salus despicitur, ac veluti reverentia quadam à contactu mox interituræ gentis removetur. Eligitur Tiberius: sed electionis iniquitatem eligentis arguit excusatio. Eaque quo acerbiora essent, muliebris ambitio poterat. ut omnibus constaret, non meritis evectum, sed ex uxorio sinu immissum Reipublicæ principem. Sive nec illud de nihilo erat, quod optimus ille quidem, sed idem famæ ac posteritatis longe studiosissimus Princeps facile prospiciebat, æternum clarumque suum nomen non alia magis ratione fore, quam si, ut desideraretur ipse, dissimillimus successor efficeret. Certe non latuit sollertiam viri hic sanguis, hoc lutum, in quo obhærescendum deinceps Romanis esset. Et jam antea socium curarum non delegerat, sed admiserat. Nisi hæc ipsa fortasse pertendendi, quæ occœperat, caussa fuit: ut judicium videretur, quod necessitas fuerat. Sueto principibus more, ut errori dissimulando, sapientiæ de lapsu gloriam concinnare satagant. Præceperat animo Tiberius, quanta invidia, digniore repulso, ipse esset Principatum aditurus: igitur suo ingenio ut jam uteretur, tempus esse secum reputabat, simulandi dissimulandique summus post homines natos artifex, fraudumque omnium ac offuciarum abyssus. Recusare incipit Principem, Augusti judicium deprecari, excusare imperii molem, tenuitatem suam ac modestiam. idque tam continuo & pertinaci instituto, ut nec occulta jam occultatione nimia cupiditas esset, & adulatio tamen per infimas obtestationes genibus ejus adfusa, sic imperanti quasi vix imperaturo supplicaret, reique Romanæ & sibi pereundi licentiam denique impetraret. Non immoramur multam admirationem pariter ac risum præbituræ materiæ, nec

nec putidam histrioni larvam cum Asinio Gallo detrahere instituimus; majora enim & plura sunt, quæ ut locum suum in oratione hac nostra queant tueri, parsimonia quadam dicendi in plerisque opus esse video. Nisi quod obiter tamen cunctationis hujus caussas introspicere lubet. Tumultuabantur milites (nam de Germanico omnibus ad imperandum ut virtutibus ita viribus instructo diximus) aspernabaturque adeo novum Principem pars Romanæ rei validissima. Eventus in incerto: & deteriori jure nixi raro meliora sperant. Quærendum itaque spatium fuit, ut nec victus tam succumbere aut pelli videretur imperio, quam privatæ studium vitæ sponte sequi; nec firmatus parum auctoritatis ad Principatum adferret, qui inimicorum quoque suffragio denique esset prælatus. Annotatum est, vulpeculam viri crebris per id tempus vicibus morbum simulasse, ut domui, veluti speluncæ affixus, ex occulto fortunæ momenta specularetur, nec quidquam agendum dicendumque ei tale esset, quod nisi perpetuitate gloriam non auget, & majorem postea creat contemtum. Sed & fraudibus ac iniquo juri omnis iniquitatis, omnis fraudis suspicio obstabat. hæc amovenda fuit. id est cogendus fuit vir, si quisquam, imperium aversatus, ac supra omnem ambitionem prisca quadam modestia constitutus: quam nec philosophi in Principe quondam agnovissent, nec in illo quisquam hactenus quæsiverat. Forte interim plerique ex misera plebe, seu præsagio quodam imminentium malorum, seu studia sua etiam in iis blandiuntur populo, quæ nec spem admittunt, nec reliquere spei caussas, indignari, aversari Principem, & quia alterum mallent, sperare hunc cessurum meliori caussæ. quam incauti generis simplicitatem cunctatione ista, ex destinatione ac voluntate Tiberii, totam satis constat. Nisi quis credere mavult, *æqualem potius civem quam eminentem agere* voluisse *Principem: solique huic contigisse pæne diutius recusare Principatum, quam ut occuparent eum, alii armis pugnaverant.* Donec *ratione tandem magis quam honore victus sit, cum quicquid non suscepisset tuendum, periturum*

periturum videret. Quam ſcriptoris Romani, indignam Romano homine adulationem cum lego, prorſus triumphum Tiberio gratulari mihi videtur. quaſi ſi planius quis ita ageret: Auguſto ad ſuperos muliebri fraude promoto, iisdemque artibus Germanico depreſſo, regnoque ac regni ſpe excluſo, optimis quibusque deceptis, patribus deluſis, excæcata plebe, ſapientibus tædio ac mora ſuſpenſis, TIBERIUS, quod felix fauſtumque æternæ ſervituti ſit, imagine regni ſimulanda exſolutus, ſibi ſuisque artibus regnare incipit, brevi virtutibus ac libertati ex ordine funus, pro facultate ea, qua poteſt polletque, facturus. Adeo nihil eorum vaferrimus ille omittebat, quæ omitti à ſe omnes credere volebat: multumque facta nihil minus quam cunctabunda, à ſuſpenſis & eluctantibus verbis disjunxerat. Itaque non ibat in flagitia ſed ruebat. primumque facinus novi Principatus ac ſpecimen, Poſtumi Agrippæ cædem Tacitus narrat. argumentum ſcilicet eorum, quæ deinde multos per libros continuarentur. Adeo, ut cum alii facta Principum deſcripſiſſe, hic ſcriptor regna narraſſe latronum videatur. Inter quos primas merito ſuo Tiberius tenet, cujus cruentum perpetua civium ſtrage imperium, non mitiora potuit habere auſpicia. Scilicet, ſimpliciſſimi hominis exilium, callidus bellicoſusque Princeps metuebat. victima igitur ſecuritati Tiberianæ cadit, ſed ut inferias nepotis iſtas ſibi Auguſtus mandaſſe diceretur. Nec enim ingenium ſceleris, quam audacia, minus eſt. Sed averſamur tam dirum omen, neque in limine triſtitiam induemus: ad quam neque ſero nos hic Principatus deducet, neq; parum detinebit. Conſiderandum nunc eſt, quid animi Tiberio aut artis ad imperandum, Romæ ad ſerviendum fuerit. Quorum utrumq; partim in ſimulatione Principis ac vafritie, partim in adulatione Romanorum ac ignavia habemus. neutrum, quod videbimus, cum modo. qui ut plane excluderetur, fatali tantum ope factum dicunt, qui cauſſas inveſtigare negligunt. Jamprimum magiſtratibus ac ſenatui fucus objectus reliqua vel traxit, vel in ſe jam continuit.

Oculos enim si eripias corpori aut obveles, nullum à trunco periculum est. Persuadendum, inquam, erat Reipublicæ, ut se esse, quod nec esse jam posset, & crederet & lætaretur. Quo ludo nec fabulæ quicquam ineptius habent. Et apparabatur tamen studiose ac ornabatur, comtuque immodico prostabat, illud arcanum pariter ac fundamentum omnis novæ dominationis, imago antiquæ. Quod à Julio & Augusto in artem, ab hoc in artis perfectionem redactum est. Ex cujus præscripto, consulibus honor, senatui auctoritas, civibus jus & humanitas adesse visa. Assurgebat Consulibus; Patres multo verborum honore percolebat: *dominos* denique appellitabat, qui servorum munere prompti volentesque jam fungebantur. His auctoritatem, his prudentiam adesse dicebat; horum ad sententias minima vocare Principem & maxima, inde consilium petere debere, inde præsidium. Atque sic libertatem sentiendi, quæ vellent, dicendique incautis velut offam objectabat. Certabatur sententiis, & rixæ curiam personabant: *Audiente Tiberio ac silente.* Audiebat: sed ut hac occasione in animos quorumlibet ac sensa penetraret; ut falsa adulationum ad materiam sæviendi conderet altissime servaretque. Silebat, ne intercedere cujusquam verbis in præsentia videretur, qui mox intercessurus intimæ mentium libertati erat. O silentium quavis objurgationum superbia immanius nocentiusque! ô senatorem, nulli minus quam senatui faventem! Quod ut occultaret, non sententiam modo suam post reliquos sæpe promebat, in suffragia ibat: sed sperni etiam, quæ censuisset, hactenus gaudebat, quo sensim eo perveniret, ubi nec nutus ejus aut cogitata impune negligi, nec pro sceleribus sperni scelera possent. Jam levissima quæque operose senatui excusata, maxima autem facinora, nec incusationem invenisse, nec eguisse excusatione, somnii simile est. Adeo nec ad oblivionem tam sciti histrionis, nec ad incogitantiam applaudentis scenæ commode & penitus potest referri. Nemo enim eorum, quæ semper & ex summo studio agit, parum memor est: nec libertatis amissæ, id est, spiritus vigoris-

que

que intercepti parum penetrat conſcientia. Niſi quod omnis philoſophia ac ejus uſus, ubi ab uno dominationis ergo, à reliquis morbi cauſſa & fatalis ignaviæ, omnia dicuntur aliter, aliter fiunt, penitus exſpirat. Atque hoc eſt illud ſcilicet, cujus ope niſi quis pleraque in Tacito ſub hoc Principe geſta ſibi explicuerit, non video quomodo ulla in re intelligi aliquid poſſit ac videri. Talia ſunt, cum ſubinde inania adornat Tiberius, & minimis quibusque magnam induit ſpeciem, ut volentibus Romanis imponat. qui nullo magis vim imperii ac majeſtatem eminere credebant, quam relicta ſibi pro corpore intercepto umbra. Diceres utrinque certamen conſtitutum, ut alter callide falleret, cupide alteri fallerentur. Itaque miſeri mortales, & quod fœdius ipſa miſeria eſt, miſeriæ ſuæ amantes, honorem ſibi addi & opinabantur, & affectabant: principatus autem vim minui ac poteſtatem, ne non credere viderentur, ſtudioſe dabant operam. Qualem enim hujus viri modeſtiam eſſe? honores tot repudiatos, quot ab aliis vix impetratos: Patris Patriæ cognomentum ex officio & meritis decere Principem: id deprecari quid niſi majoris humano animi argumentum? civicam quoque coronam per conſuetudinem Palatio additam, nunc per magnanimitatem habitantis Principis abeſſe. Cæleſtes porro religiones neminem juſtius uſurpare iis, qui cœleſti in terris proximi eſſent majeſtati. Recuſatos igitur merito dolori eſſe, ne modeſtia tanti Principis ingratum Romani orbis animum damnaret. Fruſtra multiplicari honores & reperiri, niſi ſit qui inventos, qui cumulatos recipiat. Hæc erat ſolicitudo Romanorum, indigna vel Perſa homine, aut ſi qui addictius olim regnabantur; tum decora, & pæne neceſſaria Principi terrarum populo. cujus ſcilicet intererat, ne minus ſtudioſe illud Princeps ageret, quod unum inſatiabiliter, ſine exemplo, ſupra vota ſingulorum. fidem omnium, vulpes iſta parabat. Vobis, Auditores, rectius iſta intuentibus magis propitia fuit intelligentia. Nec enim imenſa honorum cupido ſub profunda affectatæ modeſtiæ ambage latens, vos

fefellit; nec progreſſus non docuit, anxietatem iſtam conſcientiæ ſeſe reformidantis fuiſſe. Non enim factus eſt demum Tiberius in firmato imperio cruentus, ſed quæ ante acceptum occultaverat mala, poteſtas illa patefecit. Pridem ille everſionem libertatis, & cædes, & licentiæ omnis ſævitiam hauſerat animo. cujus rei documenta & indicia nec exigua nec pauca juvenilis quoque ætas & Rhodienſia imitamenta dederant. Igitur talis jam animo, qualis poſtea factis extitit, facile per ſe providere poterat, tanto plus ignominiæ à poſteritate metuendum, quanto plus honorum præſens ætas in immerentem & mox manifeſto futurum, qualis latuiſſet ſub diſſimillima facie, cumulaſſet. Utut enim gloriam venturi temporis famamque cupiebat captabatque, fiduciam ejus, qui ſui non haberet, concipere animo non poterat. Egregio ſcilicet præmio poſt illa mactandus: ut quem Patriæ Patrem laudatum conſtaret, publica execratio pro monſtro traduceret: ut per adulationem ſervatorum gloria civium circumdata, in æternum publici hoſtis monumentum tranſiret: ut templa pro ſepulcris, ſtatuæ pro Furiis, religiones pro diris omnibus mox ſpernerentur. Porro ad demerendum populare ſtudium, fallor an haud alia res efficacior jure & juſtitia, ſine ambitu & oppreſſione humiliorum ac innocentium adminiſtratis. Quippe rem ab omni ævo ſanctam omniumque pectoribus alte inſculptam, illud quoque hominibus commendat, quod nullo acrius plerique, quam contemtu ex inæqualitate orto, tanguntur atque irritantur. cujus ſenſus quo tenerior in animis multitudinis, eo eſt diuturnior. Nec de jure ultionis ambigendum cenſet, qui ſuo jure per vim & iniqua eſt depulſus. Quare nullo non tempore magnum inde Principum ſecuritati ac famæ vel ſubſidium acceſſit vel periculum, ſi jura dicerentur diligentius, vel infra injurias eſſent conſtituta, quæ ſupra omnes injurias, Deus & natura conſtituere. Atque ſatis conſtat, quosdam imperantium haud parum profeciſſe, ſi ex ipſorum ore ſua quisque merita pronuntiata acciperet. nam miniſtros &

affecti-

affectibus privatis magis obnoxios credi par est, & eorum peccata in Principem deinceps competere. cujus tota hæc est invidia. Quorum gnarus Tiberius, non Patrum cognitionibus modo adesse, sed *judiciis assidere in cornu tribunalis:* neve quidquam temere statui videretur, Consiliarios, Augusti exemplo sibi asciscere. cujus & in ceteris imitator videri magis quam esse volebat. efficaci in publicam fraudem arte, si pessimus Princeps optimorum ubique nomina & exemplum præ se ferat. Igitur in omnium ore & oculis erat justitia, & Princeps ejus patronus: quo coram non ambitum, non potentium preces quidquam valere reputabant. Verumenimvero ut nihil in hoc Principe & Principatu sincerum est reperire: ita hoc quoque veritatis patrocinium aliud tegit, quo non ipsa in posterum juvanda. non jus præsidibus juris in præsens integrum. Pridem audivistis inter artes expugnandæ libertatis non extremam, munia magistratuum, legum, ad unum delata, quæ pluribus debebantur. Quod cum specie ac imagine juvandi populi ac innocentiæ tuendæ fit, nullo adversante compos fit omnium, qui auxilium omnibus ostentat. Non audiemus igitur mirantem Romanum adulatorem, *quanta gravitate ut senator & judex, non ut Princeps, caussas pressius audiverit* Tiberius: incorruptius Noster, *Dum veritati,* inquit, *consulitur, libertas corrumpebatur.* Dum senatorem, dum judicem simulat, insidiatorem juris publici ac senatus agit. Nam populum alio quoque visco illicere fategit. Faciles accessus, obvia humanitas, ceteraque populariter facta, hominem nihil minus quam civilem aut comem, in speciem faventis plebi benignique Principis ad tempus composuerant. Matrem quoque homo mitissimus, ab arrogantia muliebri ad populi gratiam captandam traducere visus, latibulum sibi quæsivit, ex quo magnitudinem ejus paulatim ad humiliora detraheret. Omnes ineptias superat, quod populo histrionis manumissionem petente, domini voluntatem caussatus, longe à se, ut in alieno servo quidquam ipse statueret, absuturum professus est. Idem, qui

interea, optimo scilicet jure, unicum populi Romani peculium, ipsamque adeo vitam, cujus sine libertate manca est possessio ac infrugifera, deprædabatur. Inter enim tam speciosas bonitatis, clementiæ, fidei simulationes, inter tam occultas regni ac dominationis dissimulationes, nihil eorum, quæ firmando regno sunt, omitti. vis principatus ubique intendi, & sub recusatione inanium vera potentia augeri. Ab initio statim, post excessum Augusti, miles ascitus conciliatusque, in forum, in curiam comitabatur: nec excubiæ, cetera aulæ posthabita: exercituum fides litteris postulata: cuncta ut in imperio, ut ab imperatore gesta summa ope ac parata, priusquam de utroque cogitare credi volebat. Postea, magistratus qui & quales essent & quamdiu, Tiberii erat arbitrium. Horum creatio impediri, munia distineri, dignitas differri, vis alio transferri. Senatus in rebus gravibus nihil aut parum posse; cujus inclinatio adversandi irritamentum Principi esse, dissensio pertendendi: & lex omnium, quæ gererentur, ac finis, voluntas unius. Quæ ad miraculum usque anxia & suspicax, nusquam sibi sine oppressione aliorum satisfacere visa. Hinc adeo factum, ut dignissimis dignitas, sapientissimis censendi facultas, eloquentissimis sermonis usus negaretur. Notaveratque cum cura Noster, quoties diu expectatione honorum ac imagine suspensi plerique ac delusi, nullam ob caussam sint, nisi quod omne eximium dominanti periculosum, & intutus sibi pessimus quisque videtur inter meliores. quibus ob id nervi incisi, manus alligatæ, animi depressi, ex arte & præscripto, ut iniquo, ita pridem recepto, impotentiæ regnatricis, passim leguntur. quod etsi non obstarent dominanti, tamen obstare existimarentur. Quare nec innoxia clarissimorum virorum paupertas, miserationem aliquando aut præsidium invenit his temporibus, quæ ceteris omnibus proculcatis aut jacentibus, nihil erectum tulerunt, nihil erigi aut surgere passa sunt, præter absolutam dominationem. Quæ ut altissimas radices ageret, ac incrementis augeretur non modicis, quidquid usquam liberum occurre-

currebat aut ingenuum, premi cœpit ac exhauriri. Cujus rei fundamentum in adulatorio dedecore, quod malorum ultimum Roma tum tulit, quærendum est. Fidem pariter atque admirationem excedit, quantum adulationis sub hoc Principe ingenium, quod ejus os, quæque detestanda fuerit fœditas. Igitur non tanto studio, agitatus olim injuriis fessusque regio furore populus, ad libertatem vindicandam est annixus, quanta tum cupiditate, quibus festinationibus Romæ in servitium ruebant *Consules, Patres, Eques.* dum sua cuique claritudo, ut olim libertatis, ita tum serviendi instrumentum erat ac irritamentum. Qualis ejus diei facies? cum novo more, velut in Lanistæ verba plebejæ ac crudelis voluptatis victimæ solent, Tiberii sacramento juratum caput certatim populus Romanus alligaret: cum de magistratibus veluti gladiatores, de civibus redigerentur mancipia: cum publici pudoris ex coactione veniam, voluntas quoque servientium præveniret atque corrumperet. Ab hoc tempore, & facere & pati turpia, Romanum est. Sedebant jam in senatu, non amplissimi viri, & majestate sua exteris timendi, suis venerandi, sed unius servi, ex vultu, ex nutu domini ambitiose pendentes: censebant non quid Reipublicæ, quid imperio, quid foro ac judiciis, quid domi forisque conduceret; sed quid unus his perdendis mutandisque natus fieri vellet, aut ne quid, huic fini impetrando, non vellet. Quod si quid egregium tyranno patratum, si subversa claritudo innocens aut depressa, si placuisset uni, quod in omnium perniciem erat iturum, grates conquiri ac honorum nova inveniri: eodemque tempore urbs injuriis ac facinoribus, curia plausibus gratibusque compleri. certante in eo solo ingenio Patrum, quis ad palatum domini quidquam excogitaret aut condiret. Nonnulli timere videbantur, ne vel umbra Libertatis forte fortuna delicatissimi Principis conspectui oblata, parum ex dignitate dominantis & securitate servientium esset. Itaque veluti arcentia sacra fieri cœperunt, ut post rem suspicio quoque rei tolleretur penitus ac expiaretur. Nisi quod erant

erant tamen, quibus imago libertatis, pro adulationis artificio incrementoque placeret, generosi mortales, illoque sæculo, illo Principe prorsus digni. Quamquam ipsum quoque projecta adulationum fœditas & patientia multiplex tædio denique affecit ac nausea. Quod prodigio proximum. Quæ enim illa servitus, quod erat obsequium, cujus eum, qui hoc unice agebat, piguit? Qui, veluti dedignaretur victoriam statim paratam, nec ex auctoritate viri tam imperandi veteris crederet, in vacuam possessionem sine vi ac labore induci, non semel efficaci ad ignominiam istorum temporum voce, simul *homines ad servitutem paratos* miratus exosusque, simul flagitii sui ac iniquæ dominationis confessionem mortalium admirationi objecit. Non deerant quidem inter hæc, qui auderent liberam nonnunquam vocem mittere, sed sua eos paucitas, & imperatoris compescuit sævitia. Tanquam enim si in scopulos impegissent, tanquam coti allisum ferri acumen, ita cum dolore nec sine noxa voces retundebantur, & auctorem suum in præsens periculo, in posterum formidine cumulabant. Unde nova mentium trepidatio, & tutandi sui potissima cuique cura. juxta periculoso, seu tu quid ex mente Principis, sive ab ea diversum quidquam censuisses. Nam mirificus morosusque dominus, & indignabatur, à quoquam suas cogitationes intelligi; & adversa tamen illis si decernerentur, in deminutionem sui accipiebat. Neutrum cum mediocri commotione, aut periculo paucorum. cum in altero securitatem sibi fundasset, in altero periculum ejusdem suspectaret, in utroque sæviendi instrumentum, quotiens & ubi vellet, inveniret. Sed nec silentii minima libertas cuiquam concessa: atque ut loqui periculosum, ita tacuisse noxium erat. Denique & *nullis adulationibus* & *nimiis* ex æquo offendebatur, & cum libertatem nollet, servitutem sæpe aversabatur. Quæ omnia solitis sibi ambagibus ita implicabat, ut & ipse in ceteris omnia intelligeret, ut erant magis, quam ut dicebantur; & ceteri neque quæ diceret ipse, neque quæ vellet, possent penetrare. Atque hoc

hoc est mirabile illud caput, in quo ἰδιωτάτην τὴν φύσιν recte Dio agnoscit, quam & exactissime describit. Lubet hic miserari conditionem earum gentium, quibus non leonina crudelitas, non feritas barbara, sed nocentius his certissimoque sed lento generis humani exitio repertum genus, *vulpes rabie & viribus belluarum immanium instructa* imperat. Nihil ibi cuiquam certum gnarumve, nihil tutum. omnia fallunt, omnia pendent. plurima fraudum imagine territus animus spem metuendo, metum sperando corrumpit. ubiq; Principis terror, nec ubiq; terroris species. fata non modica sæpe, nec minor fatorum occultatio; & morte omni, omni cruciatu miserabilius, expectatio utriusque. Quid enim tu credas, imo vero quid non credas, ubi lex omnium occultatio singulorum? Nec immerito erecti acerrimique animi Heros inferorum limine nocentius increpuit malum, linguam actionesque à mentis secreto discrepantes. Et certe ut quisque majore animo, ut quisque generosi spiritus haud parum possidet, Achillem in ea re aut Alexandrum imitari mavult, quam Philippum aliquem aut Ulyssem. Nam Tiberius & conatus ceterorum & malitiam longo post se reliquit intervallo. Talem si velle aliquid putas, non vult; si nolle, discupit. odisse credis? amat; amare? odit. Ita apparet? latet; tranquillitas. æquitas ostentatur? invidiam tegit ista species ac indignationem. Blanditur iis, quos evertit, & in venia offensæ gerit imaginem, neque amicum vultu neque inimicum discreveris. Quod si in istas fraudes penetras, exitium erit penetrasse: si aberras, erroris quoque culpa nocet. Quæ omnia denique in infestissimam & exquisitam sævitiam tendunt. quæ quo lentior, hoc acerbior; quo occultior, hoc existit nocentior. Id quod in Tiberio plus satis agnoscimus omnes ac videmus. Sumto enim à necessariis ac propinquis sæviendi initio, supra hominem efferari paulatim cœpit: & ut feræ quædam semel gustato humano sanguine in majorem asperantur immanitatem; ita ille sitim cruoris penitus receptam non nisi inundatione quadam ejus potuit restinguere. Nam de Ger-

de Germanico quid aliud dicam? quam, quod verum Augusti germen, unicum antiquitatis specimen, meritis in rem Romanam, fide in Tiberium invictus, dissimillimus denique Tiberio, tantarum rerum præmium invenerit ac finem, odium & percussorem Principem. Acerbitates ceteras cum insidiis, quæ miserrimam ei vitam, mortem vero concinnarunt pessimam, vel ex ultimis ejus questibus, vel ex historia repetere, ignoscite Auditores, si per mollitiem quandam animi non possum jam, aut nolo, si possim, per indignitatem. Non rudes post hoc scelus, non segnes ad omne facinus manus Principis esse poterant: tantumque jam sævitiæ adolescebat Tiberio, quantum superstes Germanicus pridem formidinis ausuro injecerat. Ibatur itaque in cædes clarissimorum virorum, & cum maxime innocentium. Quidam protegere suas virtutes servili obsequio ausi, vix ad tempus requiem, plerique usitatum ea tempestate boniviratus (ut scriptoris Afri voce utar) præmium tandem reperere. Divitiæ quoque, & promptus animus, ante omnia autem egregiæ sanctissimæque artes, & magna aut prospera ex meritis fama, à suspicione in exitium petebatur, nec tutus quisquam erat, ex quo vel concupiscere aliquid vel timere tyrannus posset. Nihil eminens, nihil clarum, nihil virtuti simile aspici jam usquam aut nosci poterat: adeo omnia, veluti per lusum, unius libidini ceciderant. Qui inter hæc, tanquam papaverum calices excuteret, adeo nihil pensi habebat, aut eorum formidabat quidquam, quæ mox abunde est expertus. Itaque excidium omnis boni moris meditanti, virtute monstratos infringere, inter artes erat. Hi officiis arceri, aut ostentato honore deludi: hi velut in custodia ætatem degere, denique è medio tolli. Inertia interim & segnities, & deterrima quæque præmiis attolli ac dignitatibus, solique perpetua felicitate mactari, qui infelicitatis publicæ se ministros præbebant. Ventum jam eo erat, ut nec obscuritas cuiquam sua latendi fidem faceret; satisque clarus esset, quem virtus ulla, suspicacissimo homini fecerat formidabilem.

bilem. Cœpit inde observari, ingentis fore consilii, multique ad eam rem momenti, *sicam majestatis*. quæ, veluti paria cum suspicione ac immanitate Principis faceret, ita quosvis eo meliores ruinæ destinabat: multique, cum se reos ignorassent, pœna sunt experti. Erat crimen istud, quod *impietatis* novi sycophantæ appellitabant, & *majestatis*, veluti sepes ac custodia injusti Principatus. Quod agitari primum à vilissimis hominum ac inquietis cœpit. qui cum bonis artibus non possent, calumniis sævo Principis ingenio adrepentes, clarissimis quibusque periculum primo, mox exitium machinabantur. Tum vero, varia accusationum nomina strui, clam deferri, in majus & maligne augeri: frivola, & inania, (quibus nec memorandis vocem aut tempus impendere libet) quæstione tam atrocis legis tractari, nullumque jam certius innocentiæ signum esse, quam incusatum istud crimen. quo simplicitas familiarium sermonum, & jocus, & natura, & virtus, gravia majestati Romanæ ac iniqua censebantur. prorsus quasi imperatoria magnitudo cladibus, & terrore, & dolis, regiis videlicet facinoribus, ostentanda esset. Inde in urbe ipsa, nefas! miserum, atrox, inexpiabile. sine hoste tamen bellum. cui ciendo non tubicines, non faces deerant. Exorta enim vis illaudatissimorum hominum audacia, improbitate, mendaciis omnia opplebat: omenque mortis ac pignus erat repertus delator. Quos flagitiis commaculatos suisque involutos fraudibus, in publicum exitium saginabat pariter atque illiciebat Tiberius: & *ut quisque districtior, ita sacrosanctus veluti habebatur.* Versa ex eo omnia: emebatque quotidie ac vendebat fata cujusque, venalium grex nebulonum, quibus pejus nulla vidit ætas quicquam, nulla timuit. Horum simultatibus innocentiam dedi, horum sceleribus civium sanguinem hauriri, carcerem præclaris viris impleri, uncos carnificum fatigari, jam inter mores esse cœperat. Nihil questibus omnium, sententiis singulorum profectum. custodes legum, fulcra disciplinæ, firmamenta Principatus dicebantur. quæ omnia si salva quisque vellet,

tanto accusatores foveret. Qua re factum est, ut miseriâ in degenerem malitiam versa, ipsi Senatores, virique dignitatibus compotes quæstum jam eum ducerent uberrimum & sequendum sibi, quo ceteros ad interitum agerent. Sed nec propinquus sanguis aut caritates à mutuis delationibus quosdam absterruere, quin omnes ad suos opprimendos artes conquirerent: annotatusque accusator filius, & senio fessus pater in squallore & sordibus. Atque satis constat, nullum ab insidiis locum, nullum à pœnis diem vacasse. Igitur in Tacito, per hæc tempora eunti, non tam diligentia ac judicio, quam obfirmata adversus continuam mæstitiem patientia opus est. Vix prætervecto, quibus nihil adjungi potuisse crederes, miserias, occurrunt priores metus, dolorumque ut numerus sic atrocitas crescit, & cum tempore scelera festinant aut proveniunt. ut in levibus habenda jam sint maxima illa quidem, sed solita tum tyrannidi facinora. Equidem si bellorum incerta & fœdas subinde clades noscentem, fatigari quodammodo animo necesse est ac perturbari, quanta existimamus solicitudine obtundi mentem ac velut restringi, in continuis innocentium funeribus, publicoque ipsius, ut ita dicam, virtutis parricidio? Qua in re ut qualecumque levamentum sibi aliisque prudentissimus Scriptor pararet, ipsam nonunquam temporis seriem interrupit, anticipataque externarum rerum commemoratione, quietem à domesticis malis aliquam captavit. Quorum assiduo tamen conspectu nondum Tiberius, nondum accusatores fatiscebant: cumque quodam quasi incendio, extantia quæque & obvia pervagatus esset furor ac populatus, non frangere se denique, quod alias solet, non cadere visus est. Omnes pœnarum modos, omnia irarum genera expleta satis liquet, cum nondum iræ, nondum pœnis modus adderetur. Quare in ipsa morte mortis compendium miserrima denique sollertia invenit: felixque vocabatur, qui sua manu, suo jaceret gladio. Ut perpetuos timores & inevitabile odiũ, ut publici exitii faciem, ut perplexam criminationum acerbitatem, ut carnificem ac contumelias,

melias, ante omnia autem ſævum Principis ingenium effugeretur, ſemel cum vita tali & moleſtiis tranſigendum, ſemel communi omnium bonorum & plusquam hoſti mortes ſuas rapiendum multi cenſuere. Spectaculum immane, horrendum: tot fortiſſimi viri ſuimet ipſi interfectores, ſui carnifices, quodque omnem diritatem ſuperat, ſibi percuſſores ipſi, ſed à Principe immiſſi. Ut enim pretio quodam emercaretur plures adverſus ſeipſos, bona talium publicari poſt mortem, quod in damnatis ſolebat, prohibuerat. quaſi vel damnati non eſſent, quibus in timore, in periculo certum jam erat exitium; vel abſolvi ab eo potuiſſent, qui pridem ſemel atque uno veluti edicto innocentiam omnem condemnaſſet. Adeo cruenta bellua, in ſuas cuique manus redundaturam mortis invidiam, inepte putabat, quæ non illo tempore eum deſeruit, non ullo apud poſteros deſeret. Conſumta erat jam ſævitia, ſi ingenium malitiæ metam ex ſe aut terminos, ante quam fato cohibeatur, noſſet. Maximis igitur majora, triſtiſſimis ſuccedunt triſtiora; cædibusque quod ultra cædes, ultra mortem malum eſt, ablata moriendi facultas. Horribile commentum! parcebatur morti pereuntium, ut tempore diuturnior, dolore eſſet acerbior, ut ſentirent ſe mori atque viderent, qui nec mori poterant. Illud quoque miſeriis acceſſit, quod non dolere jam liberum, non gemere; facinusque vocari cœptum, quidquid natura erat. Inter quotidianas tempeſtates & tyranni fulmina cum nemo inveniretur, cujus non commota domus eſſet aut convulſa, nemo quin aliquam lugeret mortem, nemini tamen aſpicere ſuorum mala, nemini in medium deflere licitum, lacrymæque matris in nece filii morte multatæ. Trahebantur corpora, onerabantur Gemoniæ, opplebatur Tiberis cadaveribus eorum, qui confoſſi, lacerati, truncati, varieque in ipſa morte erant fœdati. quid ad iſta civitas? ut tutius mœreret, laudabat. De cetero enim injectæ mentibus ipſique naturæ compedes, morte ignaviorem effecerant vitam ſuperſtitum. Quisque omnia & omnes, ſe vero maxime timere:

mere: ne pietatem vultu proderet, ne adsisteret perituris, ne colloqueretur, ne misericordiæ ulliusve humani affectus daret indicia. ultimo quoque sepulturæ officio, quod nec hosti hostis invidet, consanguineorum pietas arceri: eripique adeo *sortis humanæ commercium*, urbsque ipsa velut in custodiam data premi undique ac teneri. Nam & ipsa ædium secreta plerisque in periculum verterant. nullo sermone tam arcano, nullo tam semoto loco, quin perfida custodum sollertia rimaretur ac deferret. Ut jam solitudo ubique infausta, ubique tacentes loci, & in tanta urbe mera appareret vastitas. Non devenio hic, quod forte expectatis, Auditores, ad enumerationem insigniorum calamitatum; nec Agrippinæ, Drusique miserias, criminationes, mortes, probra post mortem, deploro: non Sabini casum miseror aut Arruntii, non infelicem Nervæ constantiam adduco in medium: quæ & facundissime Noster est executus, & vestram absque dubio recenti memoria conscientiam verberant. Et quis in perpetuis non mortibus, sed cladibus & multiplici strage, ad singulos sufficeret? Adornati tamen interim prætextus; neque tam injustnm quidquam patratum, quin velamento justitiæ publice prostaret. Cœca enim perpetuo furore crudelitas, fidem, quam omnibus fallit, à plerisque vano rumore & specie exigit. Et latibulum à loco accedebat. Abditus enim in Capreensi secreto Romanus Princeps, & meditandis acerbitatibus magis sufficiebat, & audacius ex longinquo feriebat, ac ut ipse putabat, tutius. Nam libidinibus ejus & infanda Venere, nolo castas aures offendere: cum in tenebris suis inter stupra & mollitiem Romano orbi Romanisque exitium moliretur, neque ad voluptates unquam ita esset intentus, ut tyrannidis oblivisceretur. Possunt Sejani quoque flagitia, id est, præcipui furoris Principalis administri, brevitati nostræ condonari: quod & alibi ista rectius tractantur, & ex ingenio domini simillimus minister facile æstimatur. Superest, ut peculiaria quædam in Tiberio, & vel admiratione vel dignitate materiæ valida addamus. Nam & annosa

nosa vulpes callidusque cautor (ut antiqua voce utar) nonnunquam captus est: & prudentiæ gnarus aliqua parum prudenter, imo ad delirii usque infamiam imprudenter gessit: & ea denique passus est, quæ partim ab ingenio, partim à quiete omni & securitate eum demoverunt seu projecerunt. Neminem non decepit ipse, decipi à nemine diu potuit, denique à Sejano circumventus & pæne subversus est. Cujus rei tanto majus est miraculum, quod deprensi quoque conatus & artes novæ, quod affectata matrimonio Principali magnitudo, perstrinxit quidem animum suspicacem, sed priori fiducia non dejecit. quo cum præsertim casus paulo post accederet, idem erat rursum Sejanus, quem cupiebat esse Tiberius & haberi ab omnibus volebat. Scilicet multum potest è morum similitudine nata familiaritas: animusque scelestus, ut sceleribus suis adrepentes, sed impares mox dejicit, ita validos simillimosque propiori sibi fide copulat. sive non potuit jam cautum tectumque ei se præbere, qui genium omnis nequitiæ, & suæ, possideret, ac, nisi demerendo, ad mutuam fidem obligari non posset. Possunt & alia intervenisse, de quibus in præsens sermoni non indulgeo aut frena laxo. Illud insaniæ proximum vulgus quoque judicavit, cum homo obtegens sui & occultator, denique flagitia sua & manifestabat, & manifestari gaudebat. Adeo quos flagrans sævitia sceleribus suis obtenderat parietes, eos vecordia scelerum ac amentia in publico dimovit. patuitque in Senatu, in populo, quidquid oculis utrorumque secessus Capreensis semoverat. Sive enim libertatis alienæ illa ostentatio fuit, sive famæ post infamiam nulla cura, sive aliquid aliud subest; nemo non videt, quantum illa res odium populi plebisque Romanæ asperarit. Itaque eo tandem ventum, ut nemo esset, quin carnes Tiberii dentibus suis discerptas laniatasque cuperet. quod ad miraculum posteritatis scriptor Græcus annotavit. Ferunt morsu canis rabidi, ipsam quoque in corpus violatum rabiem transire: idem tum accidisse videtur Romanis. qui cum cædibus continuis quasi

infecti

infecti essent, nihil quam mortes, & funera, & præcipue cædentis interitum agitare poterant: cum interire & interficere non scelus, non miseria, sed jam sæculum esset. Verumenimvero non ita odium publicum, non detestatio singulorum vellicabat Tiberium, ut internus ille tortor & implacabilis. qui jam immanitate cum ipsius Tiberii indole certare instituerat. adeo continui in animo tyranni ictus, nec intervalla doloris aut spiramenta, & sæviores quotidie, quam cuiquam ipse inferre poterat, mortes. singulaque jam flagitia in carnifices, in supplicia auctori suo verterant. ut non in ipsa quiete quies, non in voluptatibus voluptas, non in latebris securitatis fides superesset noxio: denique ut pessimis se exemplis perire senatui quoque literis testaretur. Prodigiosos vero dolores, qui tam horrendam occultissimi pectoris vocem elicuere seu potius extorsere, ut suas ipse pœnas infensis & majora imprecaturis aperiret! Nimirum quantum nocuerat, tantum timebat. &, quid circumspicienti aliud poterat occurrere, quam scelera quæ fecerat, nec minus quæ facturus erat? quibus plenam conscientiam mirum non est sæpe timuisse mortem, sæpe optasse, invisiorem sibi quam servientibus. Quo factum est, ut & de Rep. tradenda, quemadmodum sero ita frustra cogitarit. cujus rei exemplum Sullana quoque historia habet. Scilicet anxius suis vitiis animus metuere vim aliorum, non evadere deponendo suam potest. id quod propterea in Sulla, dictatori Cæsari notatum constat. Tiberium huc quoque redegit conscientia tandem, & senium, & minores fama vires, ut Getulici arma formidaret, & tueretur potentiam; minime id quidem facturus, si per publicum odium aut opes proprias obviam ire potuisset. In fine sermonis hujus lubet cum Tacito mirari, cur *meliorum gnarus & quæ fama clementiam sequeretur*, *tristiora tamen* & infanda *maluerit* Tiberius. Vir erat, artibus egregiis non minus in bona validus, nisi deteriora prævertissent. Prudentia diuturnis ac insignibus experimentis in immensum pæne provecta; nec moderari non poterat, cum vellet. Denique

que regnandi artes ei non defuisse, primis imperii speciminibus deprehensum. Ivit tamen in præceps: abruptaque & inhumana maluit, quam laudata & tranquilla. Caussam si quæritis, ambitionem dabo & summam regnorum licentiam. quæ convellendis mutandisque animis valida, memoriam virtutis & studium obscurat primo, mox ejicit. Nam & in universum crudelis ac sæva indoles, frenis temperata virtutis speciem induit, potentia ac felicitate detegitur amaturque: & Tiberius, superstite Germanico ac Druso meliora gessit, Principeque digniora, donec eorum morte cuncta verterentur. Plus enim jam pudore remoto ac metu, ei licebat, qui ad licentiam sponte nitebatur. quam adeptus suoque ingenio redditus bellua fuit, quem intra humanum jus quædam quasi vincula continuerant. insigni documento, quanto pronior in mala & fortior sit vis humanis mentibus, quam in bona studium. Itaque cum magnas virtutes implere Tiberius posset, vitiosissimus esse maluit ac consceleratissimus. ex Principe tyrannus; ex judice calumniator, *novique juris repertor*; ex tutore publico publicus hostis factus. ut jam pro curis imperii mœsta adesset vigilantia & meditatio injuriarum; pro clementia subversio innoxiorum ac cædes; pro fide perfidia Romæ ac latrocinia grassarentur. Donec morte, seu naturali sublatus, seu Macronis officiosa in herum fides maturavit ἀποθέωσιν seni, ne iis quidem luctum reliquit, quos & ministros scelerum habuerat, & approbatores. Nec mirum populare gaudium, quod Tranquillus tradit, non continuisse se, quin *Tiberium in Tiberim* plerique clamitarent, quin unco trahendum, quin in Gemonias rapiendum censerent. Scilicet *hostis patriæ, parricida senatus, qui innocentes occidit, qui innocentes occisurus fuit, unco trahi dignus erat. Unco trahi dignus erat, qui omnes occidit, qui omnem ætatem occidit, qui utrumque sexum occidit, qui suo sanguini non pepercit, qui testamenta delevit, qui filiis abstulit hæreditatem, qui omnia sæve, omnia crudeliter fecit & facturus fuit.* Quæ talia & plura, non minus tum de Tiberio usurpari poterant, quam sequior ætas de

Commodi increpuit tyrannide. Nos à callidis initiis, per ambigua & fallacia, ad infandos Principatus Tiberiani exitus delati hic subsistimus: nullo clariore exemplo unquam docendi, quantum larvæ virtutis ab ipsa, bonus Princeps à callido domino, clementiæ fata à fine sævitiæ disjungantur.



XX.

Sequuntur Poëmata quædam.

CHRISTI SERVATORIS FASCIÆ.

DUm furit, ac totum quatit aut circumtonat orbem
Mars, unus plerisque Deus, Martisque sorores
Impietas, Turba, Confusio, dira Cupido
Omnibus excludunt populis jus fasque Deumque,
Et Te, nate Deo JESU; cui tecta domosque
Non iterum Bethlema suas, sed plurima passim
Terra, tuis licet aucta bonis & nomine, claudit:
Dum sibi, dum nobis discordia publica mundi
Pugnat, & ipse mihi vix inter tanta relinquor
Turbamenta; tuis advolvor, maxime, cunis,
Infans, plena Deo venerans præsepia, plena
Cœlo: quod jungi terris non distulit, ex quo
Junctum homini vidisse Deum mirantibus astris
Contigit, & grandis sæcli novus ordo cucurrit.
Hic ego, quæ sperare pius, quæ cernere felix
Atque tenere potest, teneo cernoque, nec ævi
Mortalis curas inter tot pignora cœli
Curo, interque meæ tanta instrumenta salutis.
Hic mihi, quæ nullis spatiis potuere vel oris
Claudi, quæ nitidis æterna supervehit astris

Majestas,

Majestas, angusta suis cunabula monstrant
Finibus, & parvo capiunt immensa recessu.
Hic me multa simul mundo, hic mihi plurima mundum
Subducunt, rapiuntque mihi me singula totum.
Singula quid memoro? mea mens vix sufficit uni,
Atque inter Pannos, *quæ te Puer Inclyte, texit*
Fascia, quæ tenerum cinxerunt lintea corpus,
Involvunt mea vota sibi sensusque morantur.
Excipiat Regum subolem sua purpura, cunis
Intactam ac habitu privatæ sortis; at istum
Vulgaris telæ circumdant vincula Regem:
Vincula sic augusta tamen, potioraque magno,
Quo summi convexa poli velantur, amictu.
Sit diadema sacro populis venerabile cultu,
Candida purpureos distinguat fascia nexus,
Splendeat in toto majestas tota tiara,
Et pars magna Dei: nemo Deus editur & Rex,
Hunc præter, qui regna Deus dedit atque tiaras
Regibus, & cujus panni diademata sacrant.
Imperat Augustus Romæ, pacemque togatæ
Gentis in obsequium mundi dispensat, & inter
Agmina sidorum Reges videt aula clientum.
Hoc tibi pignus erit, qui magni Principis aulam
Et sedem cupis imperii ac penetralia nosse.
Hic etiam extremis Indus memorabit ab oris
Obsequium, & Parthus regum rex esse modestus
Incipiet, regemque pati. sublimia cuncta,
Cuncta decora tibi signent dominantis honorem
Augusti, & rerum fastigia tanta loquantur:
Interea meus in stabulo Rex nascitur, ille
Augusti dominus, sæclorum conditor, auctor
Regnorum, & regum moderator, pignore nullo
Imperii, verum pannis noscendus, & ipsa
Paupertate thori. Notabunt lintea Regem,
Lintea, quæ partum primo involvere recentem,
Signa dabunt natæ vobisque orbique salutis.

Angelus hæc memorat Pastoribus. audiat orbis;
Audiat, & læto moveatur ab omine terra;
Audiat, & festos nunc cœlum alluceat ignes:
Dum cæcis oculis caligat. & auribus ista
Transmittit surdis dea gentium & arbitra Roma,
Dum stertunt altum populi, dum vana profanos
Ambitio fumos & fucos vendit emitque.
Me quoque (proh tenebras vitæ!) vagus error in istam
Abriperet turbam, medio ni rure locatum
Inter pastores reperisset fulgor ab alto
Missus, & in pannis docuisset quærere Regem.
Hos ego dum simplex tracto spectator, ad ipsa
Regnorum penetro prima & verissima sacra,
Infantisque rudi video à velamine pictas,
Prætextasque togas, diademata, sceptra, coronas
Pendere, & Pueri de cunis surgere totas
Majestatis opes. Dum grandis cura fatigat
Mentem, Auguste, tuam; quo sit moderamine victus
Orbis in obsequio retinendus, quisque legendus
Successor, domui quæ munimenta paranda;
Dum tibi secretas tua Livia suggerit artes,
Ipsaque calliditas tibi Crispi voce probari
Affectat: nil ipse tibi, nil consulis orbi.
Sed qui te terris, tibi terras servat, in orbe
Vix reperit sua tecta tuo, vagitque juvencos
Inter, & obscuris sua lumina fundit in aulas
È laribus, legesque tuis ac tempora ponit
Consiliis, ferrum Cajo, finemque Neroni
Atque tuæ domui jam nunc decernit eundem,
Romano durante tamen per sæcula regno.
Quamvis ille feros jam cernit cuncta tyrannos,
Adversum lectos cœtus & sacra suorum
Moliri. quos exilio variaque trementes
Clade, suis penitus cupiens involvere pannis,
Perpetuæ præsepe sinum jubet esse salutis.
Huc veniant lacrymis persusi & sanguine: panni

Abster-

Abstergent lacrymas, siccabunt sanguinis imbrem.
Huc veniat sapiens & cælo deditus: ipsa
Et cœli & terræ latet his sapientia pannis.
Huc veniat rudis & simplex: mysteria primum
Simplicibus pandent, quæ celant maxima panni.
Quem sua majestas involvit nubibus olim
Et flammis circum vestivit, fulminibusque
Terribilem supra mortales extulit ausus
Conspectusque Deum; nunc audeo adire, videre,
Tangere, complecti: dum panni cuncta revelant,
Quæ velant. O magne Puer, Deus & Puer, Infans
Et Deus, & cognate mihi, idem frater & auctor,
Incola præsepis, mundi arbiter, Inclyte JESU,
Quanta tui documenta dabunt, quos volvere pannos
Cœpi! declarant hominis cunabula panni.
Humanum est, quidquid tegitur. primordia nostra
Nascentumque ætas se tali tegmine munit;
Tegmine, quod fragilis præsentia pignora monstrat
Naturæ, ac inopis vitæ præludia signat.
Involvit pannis homines, exutus amictus
Justitiæ: dirum panni mortalibus omen
Et pelles fuerant: ni nostris claudere pannis
Justitia ipsa suos artus, corpusque sacratum
Ipse Deus voluisset: homo Deus, & Deus Infans,
In pannis homo & in pannis Deus, unus & idem
Sarcina pannorum sacramentumque. Notavit
Angelus in pannis mundi recubare salutem.
Quod recubat pannis, hominem indicat: arrha salutis,
Præsentis dat signa Dei. Præsentis adoro
Numen & amplector. nam cum mortalibus, orbi,
Cœloque & terris nullo non tempore præsens,
O JESU, fueris; mihi præsentissimus esse
Incipis in pannis, mea quos fiducia tangit,
Explicat, involuit, replicat, scrutatur, honorat,
Diligit, & totis includi tota laborat.

Spirent aſtra minas , eructet terra cruorem
Aut ſitiat , diras peſtes diſſeminet orcus ;
Non penetrant pannos , quos incolo , cuncta nocendi
Ingenia ; in flammis mediis ſuaviſſima pannos
Guttula , Chriſte , tuos , cœlo irrorante , tuetur.
Quid foliis nudi prætexere corporis artus
Eois coner , cum me vocat atque requirit
Et Deus & Judex ? pannos conſpexerit ille ,
Et Deus eſſe meus , nec judicis ora tenere,
Sed faciles vultus volet uſurpare Patroni.
Jam dixi cauſſam , cum te dixiſſe probavi.
Qui mihi victricis cauſſæ documenta dediſti
Pannos : non quales luctum ſordesque reorum
In pullos habitus involvunt , ſed quibus almi
Pignus & innocui candoris ineſſe videmus.
Queis indutus ego contemnere ſingula poſſum ,
Quæ ſplendent gemmis , quæ cultu ornata ſuperbo ,
Mirantum retinent oculos animumque morantur.
Purpura regalis (pietati ignoſcite reges)
Pulcra quidem , ſed pulcra minus , quam faſcia ſimplex ,
Quam mihi ſunt panni , quos intra vivere vitam ,
Cum quibus in tumulum condi , tumuloque redire
Surrectus cupio. Da JESU , da mihi tuto
In ſanctis latebris per tempora ſæva receptu
Fulmina bellorum vitare , dolosque maligni
Infeſtos Satanæ , qui totum opponere mundum ,
Meque ipſum mihi , non ceſſat. Deſæviat extra
Hos , quibus incingor , pannos , quodcunque furoris
Vel parat invidia , vel dira calumnia conflat :
Donec ad æternas ſedes , & candida cœtus
Agmina , CHRISTE , tui pannis ſubvectus in iſtis ,
Mortales pannos pariter gemmasque triumphem.

Anno

Anno sæculi à nato CHRISTO septimidecimi quinquagesimo S.

Anne, decem lustris titulum impositure beati
Temporis, & sæclo fata dature novo,
Sic tua per celebres signentur nomina fastos,
Et referat faustas qualibet hora notas;
Ut te CHRISTINAM *studio servasse perenni*
Obsequiisque juvet demeruisse tuis.
Hanc faciles Horæ, placida cum Pace, quietis
Auspicium terris consiliumque locant.
Hanc colit alma Fides; hanc pleno Copia cornu
Consequitur; nec abes, juris amice, Pudor,
Hanc latis, solito Sapientia cultior, ulnis
Stringit, & æterno fœdere Musa ligat.
Anne, decus rerum, tibi cœlo mittitur omen,
CHRISTINA *ut felix auspice totus eas.*
Quicquid amat pictis Fortuna reponere fastis,
Materies unum splendida nomen erit.
Anne, sacros propera diademate cingere crines,
Officioque prai sæcula cuncta tuo.
Non alias simili decus hoc in vertice fulsit:
Nec, quod huic nomen comparet orbis, erit.

OPTIMÆ. REGINARUM. CHRISTINÆ. AUGUSTÆ. CUM. AD. SUSCIPIENDA. REGNI. INSIGNIA. URBEM. HOLMIAM. INGRESSU-RA. ESSET.

O, cujus

O, Cujus facies in publica gaudia totis
Sidere inocciduo sufficit agminibus;
Cujus ab ore pii repetunt oracula cives,
Cujus inexhaustâ dextera pollet ope;
O seclo decus omne tuo, REGINA, serenam
Temporibus frontem gratificare bonis.
Jam solito Phœbus sua fert augustior orbi
Lumina, luminibus mixta vel aucta tuis:
Jam parat æternis ingentia nomina fastis,
Et mundo faustum constituisse diem.
Quo caput augustum cœloque affine, sacratus
Ornet & imperii pignore cingat apex.
Ingredere æternam (per Te sic audiet) Urbem:
Et cape felici sceptra paterna manu.
Et vive, & longis patriam successibus orna,
Et meritis imple secula cuncta tuis.



Illustrissimi Ducis

LINNARTI TORSTENSONII ELOGIO

praemissum.

Hic est, irato qui Suecica fata deosque
Opposuit Marti, secumque in prælia duxit
Fortunam, CHRISTINA, Tuam: cladisque pudere
Ingentes animos ac arma potentia solvit.
Hunc, per commissas acies modo jussa ferentem,
Vimque suam, modo muntis expellere clausos
Tentantem castris, non sustinuere virorum
Robora, non vallum, non ferreus arcuit imber.
Idem, quam placidus victor, quam suavis amicus!
Stabat composito tranquilla modestia vultu,

Verbis,

Verbis, plena fides, & solum fortis in hostem
Dextera, pacandis spes haud instrenua rebus.
Post patriam meritis impletam, laudibus orbem;
Post titulos & bella suis inscripta trophæis,
Nunc corpus tumulo, mentem super astra locatus
Cœlesti æternos agitat de Pace triumphos.



ODE PINDARICA,

scripta anno 1634.

In acerbissimum funus Juvenis, ingenio, doctrina, moribus, singulariter excellentis,

PETRI SAMUELIS THIEDERICI,

nefario grassatorum nocturnorum scelere trucidati.

STROPHE I.

Regina mentis ignea,
Herois ingens officina
Spiritus, Siren melior marinâ,
Pieri, seu te lenta minorum
Cohors Quiritum, non habilem teri,
Repulit, seu tibi sævi obstrepit horror
Martis, nec lituos inter juvat esse sonoram;
Injuriosâ sorte venustior
Surge, modosque graves & invi-
ctam demum chelyn expedi,
Nec dithyrambos obloqui ferro time, &
Carmina pugnis.

ANTISTROPHE I.

Turbant, minantur omnia,
Nec jam per infestos apertus
It Furor, sacram domuum quietem
Ac urbes infame pererrat
Scelus. manus furtiva, profana, Sty-
gia, Natura quod, & quod tremit ather,
Quod refugus toto sol aversatur & horret
Vultu quam inauditum peperit nefas!
O tenebræ! ô quibus expiata
Nox sacris repetes tuum
Censum? paventis macula jungi temporis,
Et fuga, & horror.

EPODOS I.

Nil Thiederico majus occidisse,
Nil viguisse pari decore,
Nil tristibus
Æque deminui repente fatis,
Vidit priorum cura, vel gens postera
Lugebit, si tristibus ullis
Hic usus tamen, aut causa doloribus.
Planctibus sepulcrum
Multoque fletu, quisquis ab exitu
Non vim Libitinæ ac imperium
Evitare potest, repetat: sua gloria vates
Eximiosque viros tuetur.
Morte in media vivere gestit
Aurea virtus,
Seclorumque potens, suis
Ævum triumphis computat,
Et vano superimminet orbi.

STROPHE II.

Ille & canoras sidera

Jussit

Jussit fides mulcere; solem,
Qua vehit, promto comitatus ausu:
Ille auro & libravit habenis
Orbem, novus Tirynthius, ac amor
Populorum. Taceat Thracius Orpheus.
Victa suos cesset cantus memorare vetustas:
Nil audietur, præ numeris lyræ
Perpetuæ, triplicisque Phœbi:
Seu te Græca rotunditas,
Seu juverit Romana Suada, Teutonis
Seu grave plectrum.

ANTISTROPHE II.

Minora (quamquam quid minus
In maximis?) non jam celebro.
Gallus adstat, torpet Iberus, Ita-
loque animos posuisse volenti est.
Gentes disertæ, cuncta, sed heu! brevi
Domino cælitis hujus citharæ de-
ferre student, & jam meliori cedere dulce est:
Cum mox scelesta quis temerat manu
Dulce decus? fera Caucasi gens,
Et sancti impius hospitis
Latro Scythes, & Turca cœlo dimicans
Horreat omen.

EPODOS II.

Sic grande nil, nostro manet perenne
Tempore: conspicitur, fugitque
Faces soli,
Quidquid sidereo vigore gaudet.
Huc nempe pietas, huc tetendit castitas,
Oppositusque adamas malefactis,
Et mens indocilis decipere, aut capi.
Huc insolita

Constantia, ardor, mens hilaris, vigens,
Ac omnia tam priscis fidibus,
Quam majora novis. & pridem totus ad astra
Dulce vocantia Thiedericus
Ibat. Nova jam carmina terras
Undique cœlo
Advertent. Mea tu, sonis
Nunc cede tantis, Pieri,
Ipsa volet quos reddere Fama.



CONDITORIUM THIEDERICI,

seu

CONSOLATIO AD PARENTEM SUPER OBITU FILII.

Amplissime VIR,

VEni & vide. Hic est locus quietis, & spei, & gaudii, & amœnitatis; quamquam non amœnæ. Hic Filium tuum condidimus: hic decus Tuum pariter ac Nostrum ad spem resurrectionis seposuimus: resumturi, cum suprema jubebit buccina. Arceant sane, quicunque imbellia pietatem metiuntur ac fœmineo planctu, à filiorum cadaveribus parentes; acerba ex oculis funera surripiant; sepulcra omnibus ostendant, præterquam cui ostendi præcipuè oportebat. Virum, & Christianum; genitorem, & sapientem, ad filii ossa, non ad questus & dolorum impotentiam, jure maximo advoco: nec ab officio interim & egregio memorique affectu repello. Veni, & vide, & considera. idque paternâ, sed generosâ ac Tuâ mente. Titulos mihi aspice, & consentientis Famæ officium. Prima se oculis vox offert:

Quis-

Quisquis spectator advenis, cave ne profanus adeas, impius recedas. Imparem, dico, ne adferas, mœstum ne hinc auferas animum. Virum fortem, magnanimum, absolutum, nemo sanus luxit. omnes venerantur, collaudant, intuentur.

Subsistamus hic, Pater optime, constantiam votis placemus, ne indignum eo, quem visimus, indignum nobis, non ex officio officium festinemus. Referantur jam oculi ad sequentia.

Audi hoc amplius. DEI *Præpotentis, Benefici, Sapientis numen hic suspice, & adora in limine nutus. Ille pectus igneum, vi suâ ac cœlo instruxit. ille artes, linguas, scientias in electo vase condidit. Ille tot ac tanta uni contulit, quæ multis negavit. Ille lætitiam hanc parentibus, patriæque & bonis fecit. Ille perpetuam apud non ingratos esse jussit, cessare, ubi cesset grati animi studium. Quid enim ereptum quereris? quod repetiit auctor suus & dominus. Quid contra mentem Unius Mentis lugubre facis, quod non intelligis? Pateat arcanum cœli. discant, quibus nulla hebetudo, nulla obstat impietas. Sanctissima & suprema Majestas bonum factum esse jussit, ut intelligant tandem habitatores orbis: Bonos præstantesque viros usura commodari non peculio. Eorum dotes perennes esse, nec cum vitâ finiendas. Debitores fieri, quicunque usi sint, aut utantur. Lamentantium neminem intelligere, quid lamentetur. nec uti quidem scire, cujus usum desiderare in ipso possit. Invidiæ igitur, non pietatis id esse. Denique fixum manere ratumque, vitam & excessum, bona malaque, pro arbitrio divinitus imputari mortalibus. Non tempore, loco, ulla re interverti ista posse. Unum certum esse, aliam aut certiorem viam nec quærendam, nec inveniendam. Si quis secus faxit, hunc suæ temeritatis pœnam, prout visum supremo judici fuerit, luiturum.*

Hic vero vivo flumine opus est; hic lotas purasque manus tollemus; hic dicamus: Fiet, quod jussisti, Magne Imperator. Filium dederas, exornaras, evexeras; gaudeo ac immortales habeo gratias. Rursum admovisti ad Te pro-

pius, ex ulnis meis & speratis amplexibus, in tuum recepisti sinum: id quoque grandis beneficii debitorem me facit. Meliora invidere nolo: nolo in deterrima & ruinas nostras retractum. sit maneatque mihi salutaris clementia Tua; ea me, si quid dierum superest, conservet, ea filium mihi, me filio, cum voluerit, reddat. Et scio, Vir Summe, Te pridem hæc & majora animo agitare. Neque audietur hic infelix illa orbitatis nænia: Fili cui me reliquisti? Cui enim? nisi Deo Sospitatori ac Liberatori; Patriæ & Academiæ clientibus. Quas si in locum filii publicus parens adoptas, orbus jam non eris aut desertus. Non audientur vulgares cantiunculæ, ô si aut habuissem nunquam, aut non amisissem, quem habui! Juvenem amisi, ô si maturum annis, spectatum gloria videre licuisset! fato saltem suo obiisset, nunc sicariorum manu cecidit! & cœtera delicatis solita mollities. Revertendum enim est ad lapidem nostrum. ubi proxima hæc sunt:

Porro florentem ætatem nemo interruptam dicat. florem verum, nec imminuendum adepta est. Nec annis æstimanda maturitas, sed gloriâ. Quam, si mortales respicias, absolverat; si cum ea, qua in cœlo fulget, compares, inchoaverat; XX. & IV. annos vixit, ne, quotquot futura sunt, seculis moreretur. Puncto temporis universam ejus vastitatem complexus. At avulsus est vita! & quam segniter tu, ac minutatim subduceris, quam longe distineris ab ista meta? At insons, at crudeliter cecidit! quorum alterum nec luctum habere potest, nec alterum noxam. Crudelius mactatus ad majestatem suam pertendit Christus. Heroum primi etiam suorum perfidia occubuere. Quam inopinus dolor!

Quin quæ non metuis, tibi proxima crede. volamus
Et fugimus: requies unica, mortis amor.

Heu grandis jactura! quia patria sua felicitatis instrumentum ante fructum amisit. Tu, qui quereris, qui otiosè stupes; sarcias, oppo-

oppouas cervicem, Thiedericum regeneres, si potes. Sin:

En vindicta Dei Te magnis casibus ultro
Quid nequeas, monuit. Nec nisi sic sapimus.

Thiedericum, virum cœlitem, plorare, mori est; imitari, vivere; laudare ejus merita, triumphare. Hoc agamus. Nemo sibi prædictum neget. Violatores manium æternorum iterum exesse, & plorare suam temeritatem, quantum opus erit, jubentur. Tu, qui melior: qui rectior, dicas: Euge, sublimis anima, Tecum vivamus, ut bene, ut semper vivamus.


Perlustravimus conditorium. sed ecce majora, quam in ipso, solatia non inveniemus. Adeo occupata sunt, quæ dicturus eram, adeo publicæ vocis rationes, privatis multum antecellunt. Neque profecto plura apud memorem, & quod propius huc facit, magnum dici fas est: nisi eadem opera diffidere constantiæ tuæ, & exprobrare velimus imbelliam. Quorum neutrum à calumnia procul abest. Nec etiam meliore ad hanc rem magistro uti, quam Te ipse possis, imo usus jam olim es: adeoque non descivisse ab animo forti es putandus, qui vices omnes, omnia intervalla in virtutis immobilis tenore ignoras. Sciebas utique, quem, cui, filium genuisses: videbas brevem vitam, beatitudinem æternam esse; agnoscebás quanta ingenia ostenderentur tantum terris: reputabas quanta habuisse talem laus, quantum esset solatium, quod rarissimis felicium vix obtigerit. Quid ergo attinet verba cumulare, quid exempla egregiæ mentis ex longinquo petere? Nihil horum deficit intuenti filium. Quam animosè mortem excepit ipse, & excipientem aspicere alios voluit? Quam illustri voce, ne gentilium constantiæ Christiani cedamus, monuit. Neque enim in verbis rem verti ac virtutem ostenderemus, quo robore mentis recordari saltem & aspicere, quod ipse perferret fortiter ac toleraret, possemus. Subita casuum & injurias; divinitus permitti. iis neminem eximi, omnes inde liberari. Est præterea

terea modus pietatis: eſt meta paterni amoris. deſperatio in Deum, & quidvis potius vocanda ſunt, quæ plus ultra hic procedunt. Quid? quod nunquam tantum doloris vel apud effœminatos mors Thiederici, quantum lætitiæ ejus vita apud non iniquos judices eſt habitura. Fave itaque æternitati Filii Tui, Ampliſſime vir, quemque ſuperſtitem in hoc ævo optaras, ævo omni ac terrarum orbi ſuperſtitem in cœlo factum lubens lætusque adſpice; id eſt, venerare Deum, ama filium. Hæc ſola, ſed vera parentandi pietas relicta eſt.

FINIS.

J. H.

J. H. BOECLERI
PROGRAMMATA ACADEMICA.



JOANNES HENRICUS BOECLERUS,

Eloquentiæ Profeſſor Publ.

LECTORI BENEVOLO S. P. D.

SI, cum nuper ampliſſima mihi Eloquentiæ Profeſſio demandaretur, tantummodo, quid tam ardui muneris provincia, & publica de reparandis, quæ ab illa vetere gloria magis in dies deſciſcere videmus, hiſce humanitatis ſtudiis expectatio poſtularet, ſpectare voluiſſem; feciſſem id, quod juſti metus modeſtia ultro ſubjiciebat, ut dimitterem anceps inceptum, cujus ut conatus quidem aliqua in laude, ita effectus omnis in caſu poſitus, incertam ac pæne nullam ſpem relinqueret. Non poteram ignorare, oratoris laudem multis litteris, & iis quidem reconditis ac exquiſitis, ſummoque ſtudio & exercitatione conſtare: hæc vix mediocria mihi aderant. videbam ſordere ac tantum non publice ſperni eloquentiæ ſtudia, quæ ſi quis in dignitatem vellet priſtinam vindicata, huic auctoritate præcipua, judicio autem opus eſſe plurimo: deerant & iſta; ſimulque grande rebus gerendis impedimentum, expugnatuque non difficile minus quam periculoſum, moris antiqui oblivio obverſabatur. Unum erat, quod nu-

 tantem

tantem firmaret animum, expulſoque metu ſpe audaci, ſed pia impleret. Sciebam Divinis imperiis geri, quicquid geſtum eſt: eandemque eſſe Numinis Benefici providentiam, quæ ut mihi præſentiſſima per omnem vitam ope innotuiſſet, ita nunc inopinantem, ut ſolet, vocaret, Patriæ & Academiæ præſidibus commendaret, ad deſtinati à ſe muneris cathedram, per media obſtacula veluti manu arreptum deduceret. Igitur, quod felix & fauſtum ſolennia aggredienti vota eſſe juſſerunt, auſpicatus profeſſorios labores, ſtatim in id incumbere cœpi, ut ſitum his litteris ac ex ſitu contemtum detergerem, deſidiamque circa eas publicam (patiantur quæſo Studioſi juvenes me non tam ipſis, quam ſæculo id exprobrare) aliqua *Exercitationum & amœnitate & varietate*, ad ſtrenua ſtudia invitarem. Deſcripſi publicis diſſertationibus earum genera, & rationes, partim veterum recentiumque doctiſſimis uſurpatas, partim noſtra obſervatione repertas: atque nunc adeo feſtino propediem videre egregios exercentium cœtus, qui æmulatione induſtriæ ad decus rectiſſimorum ſtudiorum nitentes Auditoria eruditis vocibus, hebdomadas pulcris ſpeciminibus, urbem ipſam ſui laude & fama impleant. *Sola enim eſt ad eloquentiam via, exercitatio.* ſine qua non ingenium oratorium, non ſtudia oratoria, non obſervationes oratoriæ, non erunt, inquam, hæc omnia talia, id eſt Oratoria, ſine oratoria exercitatione. Huic cum plerique maximam in eloquendo vim tribuant, nonnulli totam malunt tribuere. Certe ſi Græcorum fide ſtamus, Demadem illi ſuum nobis, & Æſchinem, ipſum quin etiam Iſocratem, non arte ac diſciplina, ſed exercitatione ſola ad ſummam hujus laudis exceſſiſſe jactitabunt. Fruſtra his Quintilianum oppoſuerimus, qui poſtquam in eos tela quædam torſerit, doctrinamque in his monſtrare conatus fuerit, denique exercitationem eſſe, quæ diſciplinæ & nomen & vim ſuſtinere ſola poſſit, fatebitur: *Nam id*, inquiet, *potentiſſimum diſcendi genus eſt.* Si ad Romanos venimus, quot illi nobis viros narrabunt, *quibus diſciplina fuerit forum; magiſter, uſus & leges & inſtituta populi*

Romani mosque majorum? Equidem in universum rem æstimanti satis patebit, veteres, ut eorum, in omni disciplina, & sollertia & studium fuit ardentius, ita in exercitatione dicendi majore industria desudasse, quam hodierna segnities (ita enim profecto comparationis caussa loquendum est) vel capit vel credit. Totus admirationis impleor, cum Brutum Ciceronis (ita dicitur, quem de claris oratoribus scripsit librum) memoria repeto. Invenias ibi ingeniorum miram & raram felicitatem, studiorum præstantiam singularem, dotes varias, insignes, admirabiles: nisi longe esset admirabilius, longe insignius, tot ferme exercitationum flagrantissimarum prodigia, quot virorum nomina, occurrere: ut dubium nemini esse possit, quin si horum attendatur judicium, primæ, secundæ, tertiæ, quod de actione Demosthenes dixisse fertur, exercitationi tribuendæ sint. Sed enim nequaquam patitur instituti nostri ratio, antiquitatis laboriosæ laudes in nostri suggillationem amplificare; Tulliosque hic & Cæsares referre: quorum ille quotidianis commentationibus, auditionibus, scriptionibus, lectionibus, non, dum proficeret, sed cum profecisset; non cum fori, sed cum eloquentiæ jam universæ, cum reipubl. suæ princeps esset, exercebatur: hic autem inter tot publicæ, inter tot privatæ rei negotia, adeo studiis se non abdicavit, ut quæ ejus feruntur fuisse scripta, quæ celebrantur exercitationes, adhuc hodie suspensum orbis judicium teneant, feliciusne Imperatores Principesque omnibus civilis prudentiæ artibus superarit, an præstantissimorum gloriam eloquentia excesserit. Tam rara in eo laude, Pelidæ magnanimitas cum suaviloqui facundia Mæonii certavit. Illud propius nostram recordationem tangit, & vota solicitat, quod hæc ipsa Academia inusitata quondam exercitationum gloria floruit, quod per orbem egregiæ strenuitatis fama ivit, quod exteros venerabunda adeundi tam felicis Athenæi cupiditate excivit: quod jam dissimillimi status comparatione pristinam nobis tristi efficacia sortem commendat. Quid enim? eo novitia sapiendi insolentia

pervenit, ut nobilissimas *Declamationum* exercitationes, pueris relinquendas, aut ad eos relegandas, qui è gymnasio essent recentissimi, turpiter, ita me fides amet, turpiter multi existimarent. Ita nimirum est; impetu & consuetudine & fortuito opinionum inconsultissimarum errore ducimur improvidi; spernimusque sæpe utilissima, quæso ecquam ob caussam? sprevit enim ille; quis autem ille? homo præter inanes glorias flare nihil doctus, arrogans, rudis, annis tamen & quadam verborum jactantiâ strepituque, & quod plerumque ad exemplum sufficit, magnifico studiorum nomine segne otium velare peritus. A qua fœditate procul scilicet Juventus nostra aberit; cui longe aliud cordatorum virorum consensus, qui discentibus vice legis esse debet; aliud inclyti Senatus auctoritas, quæ salutis scholasticæ cupidine, obsequium meretur ac reverentiam; aliud ipsa ratio, cui sanum repugnare neminem fas est, sive suadent sive imperant. Sed & aliud nos ominari jubet, Eximii Juvenis, atque ut ingenio felicis, ita animi cultura cum primis gnavi ELIÆ KOLBII, ARGENTORATENSIS, exemplum. Qui cum pridem studiorum rectitudinem, sedula exercitatione ad Academiæ ornamentum non sine magna Professorum voluptate, commilitonum applausu, conferre cœpisset, non distulit meæ quoque Professionis initia felici eruditionis suæ fœtu, tanquam fausto omine insignire: oblato eleganti, quod venusta Elegorum facilitate conscripsit, carmine. In quo, repetitam paulo altius populi Israëlitici conditionem, pœnas scilicet ejus & à pœnis liberationem, ad nobilem felicemque GEDEONIS adversus Midianitas, quæ Judic. VII. describitur, pugnam deducit, victoriæque ejus typum ad Servatoris nostri, quos devicto Satana, morte, inferno, reportavit triumphos, accommodat, eoque veluti Pæane Ascensionem ejus veneratur. Placuit extemplo scriptionis & industria & felicitas: non perfunctoria, ut apparebat, bonorum Poëtarum lectione adjuta, judiciique limatioris vestigiis ubique interstincta: itaque neque verbum immutare,

sed

ſed illibatam egregii Juvenis doctrinam publicis auribus committere viſum eſt. Rogamus autem omnes, quibus honeſtiſſima literarum ſtudia curæ cordique ſunt, prout cujusque dignitas capit, demiſſe, reverenter, officioſe, ut die craſtini hora VIII, matutina, eruditi carminis recitationi benevole intereſſe, ſuoque in exercitationes ejusmodi ſolennes ſtudio, ad capeſſenda ſimili laude ſtudia, Juventutem literis deditam inflammare, noſtro autem Declamatori fauſta quæque apprecari ne graventur. Valete.

Perſcriptum Argentorati, die 24. Maji, Anno M. DC. XXXVII.

II.

PRiſcis temporibus, cum adhuc moribus cenſerentur non titulis res humanæ, cum ad uſum ſtudia non ad pompam referrentur, cum non ſua amplificare, ſed publicas utilitates attollere, finem ſui operis & regulam pro ſe quisque reputaret; tanta fuit agendi dicendique & tam arcta ſocietas, ut quantum in alterutro quis deficeret, tantum in utroque exiſtimaretur ei deeſſe. Satis quippe apparebat, rationem, cujus conſilio vivendum mortalibus eſſet, ſine oratione veluti ſepultam; orationem vero, quatenus à ratione abiret, noxiam fore aut inefficacem. Igitur cum tam præſens uſus, utriusque culturam & ſtudium ab initio omnibus commendaſſet, geminæque utilitatis potius quam naturæ fœtus, *Sapientia* naſceretur ac *Eloquentia*, donum tam cœleſte, ita ut erat, integrum nec diſſociabile, ſtatim ad civilem ſocietatem inſtruendam juvandamque ſuas penitus cœpit vires conferre, ijdemque actores rerum qui oratores verborum eſſe: neque quisquam dubitabat, quin uno nomine expreſſo utriusque vis intelligi deberet. *Cum vir ille vere civilis & publicarum privatarumque rerum adminiſtrationi accommodatus, qui regere conſiliis urbes, fundare legibus, emendare judiciis poſſit, non alius ſit profecto quam orator,* quæ exordientis ſuum opus Quintiliani verba ſunt. Procedentibus annis, cum in ſcholas eloquentia concederet, occaſione otii quod ibi nacta erat, de ornatu ſibi & quodam nitore liberalius

ralius circumponendo visa est laborare, cum fructu illa quidem, si cum modo. Observatum enim est, tantam à Sapientiæ profectu, commodis, gravitate factam discessionem, quanta cura à rerum actu ad fallaces rerum imagines & loquendi delicias erat properatum. Nisi quod animadversa degenerantis tam bonæ rei jactura, tum in Græcia, tum apud Romanos cordatiorem industriam erexit, ut quod vitæ caussa generatum esset, ad vitæ usus ex umbra denuo revocarent. Hinc jam officii quondam oratorii nomen, notitiæ titulus ac discriminis extitit, ut πολιτικοὶ seu civiles dicerentur, qui fœcundam magnarum artium prudentiam, & scholarum studia ad rem civilem, & humanos usus unice referrent, & φράσις πολιτικὴ, oratio quæ relictis scholasticis floribus, & Sophistico tumore, decentior quam splendidior, gravior quam comptior esset. Hinc apud Athenas schola πολιτικῶν λόγων; hinc πολιτικὸς θρόνος, & auctoratus ei cathedræ talento annuo Professor, magnis scriptoribus memorantur. ad hunc dicendi characterem (sive Rhamnusius Antiphon sive quis alius viam primus patefecit) Isæus maxime animum adjecisse, & secutus eum Demosthenes ad fastigium hujus laudis excessisse, apud Plutarchum in vit. Rhet. refertur. Non distulerim inter hos laudare Julii Cæsaris eloquentiam: quem πρὸς λόγους πολιτικοὺς ἄριστα φῦναι, egregie ad civiles orationes comparatum fuisse, idem Plutarchus perhibet. Sed & Augusti *prompta ac profluens & quæ deceret principem eloquentia*, quam in eo Tacitus agnoscit, ab hoc genere plurimum traxisse existimanda est. Pertinent huc Lycurgi quoque & Democharis elogia: quorum ille ἐπολιτεύσατο ἐπιφανῶς καὶ λέγων καὶ πράττων, vitam civilem ut factis sic oratione illustravit; hic κατὰ τοὺς πολιτικοὺς λόγους οὐδενὸς χείρων ἦν, nemini civili eloquentia concedebat. id quod auctoritate tertium jam laudati scriptoris illius Chæronensis firmamus. Nec prætereundi hic plane sunt, L. ille Torquatus, *quem tu non tam cito Rhetorem dixisses (etsi non deerat oratio) quam, ut Græci dicunt, πολιτικόν*: & Lentulus, *qui eloquentiæ satis habuit ad rempubl. duntaxat quod opus*

opus esset: & C. Lælius, *cui eloquentiæ tantum* tribuitur, *quod esset in rebus privatis amicis ejus, in republica ipsius dignitati satis*: de quibus in Bruto suo Tullius Noster ita judicavit. Igitur Fabius quoque, civilis viri vereque sapientis eloquentiam à ceterorum facundia diligenter distinguit, eamque ab otiosis Philosophorum quorundam disputationibus removet. Et Seneca Rhetor, *pressam ac civilem orationem* laudat. Cujus specimen dum quærimus & exempla, optaremus quidem exstare *Aristotelis Politicas ad Philippum epistolas*. de quibus cur aliter quam de ceteris ejus viri scriptis cogitemus, caussam non video: esse scilicet quicquid ab hac mente prodiit, in suo quodque genere, ita ut nihil possit magis excellens: optaremus tot *Politicas orationes facundissimorum principum*, quorum nihil præter nomen ad nos pervenit: verum nec in his, quæ usurpamus veterum monumentis, proficiendi nobis copia ac imitandi deest. In Ciceronis certe & Demosthenis scriptis licet multa sint quæ emineant, nihil magis tamen quam τὸ πολιτικὸν τῆς φράσεως soleo admirari. nisi quod splendoris oratorii gravitas, non simplicem, sed jam ornatam ejus indolem exhibens, judicium minus exercitati alicujus possit distrahere. Historicorum igitur hic præcipua & manifestior est commendatio. quorum nisi Civilis sit oratio, neque Historicam esse, audemus pronunciare. Neque tamen una facies iis operæ placuit. Cum severitate enim hoc præstant Thucydides, Tacitus, Sallustius; nisi tamen hic moderationi propior: cum ampla quadam & læta majestate Livius, & Polybius: cum emendatissima moderatione Curtius, Cæsar, & nulla re nisi mole aliis minor Herodianus. nam de iis, qui historicam civilitatem solutiore Rhetorum instrumento interpolavere, nihil hic dicam. Sed nec quisquam est è scriptoribus, quibus Classicorum nomen, eruditorum consensus tribuit, qui sive Poëtam, sive Oratorem, sive Historicum, sive Philosophum agat, non aliquam ex hac laude laureolam appetiverit. Atque hinc jam judicio colligentium, & sollertia observantium, illa, quam quærimus, paulatim

latim formari poteſt, *facundia Politica.* Equidem licet nulla vitæ pars, nullum ſtudiorum genus, neque publicis neque privatis in rebus vacare eloquentia poſſit, haud dubie tamen, apud Gentiles quidem primus & maximus; inter Chriſtianos poſt Theologiam proximus ejus uſus in civili ſocietate ornanda animadvertitur. Vult ſcilicet ejus argumenti & amplitudo explicari; & gravitas oſtendi, & magnitudo ſplendeſcere, & varietas exundare, i. e. vult omnis ea prudentia ipſiſſimis eloquentiæ operibus conſervari ac ſuccreſcere. Quod ego mecum perpendens, cum & à puero non de ſtudiis magis, quam de ſtudiorum uſu cogitare conſueviſſem, & officii præſertim, quod nunc gero, cura me commonefaceret, ut de præparandis vitæ & uſui publico juvenum animis eſſem ſolicitus, viſus mihi ſum operæ facturus eſſe pretium, ſi ad civilia potiſſimum lectiones publicas & privatas cum exercitationibus plerisque referrem, ſepoſitaque ſterili facundia, jejunisque dictionibus, ea ad diſcendum & dicendum proponerem, quæ ut adminiſtrationem in ipſo opere habent graviſſimam, ita diligentem ante opus exercitationem ac ſtudium ſuo quodam jure requirunt. Huc, ſecundum Plinianas Annæanasque interpretationes, ſpectarunt hactenus præexercitamina noſtra, inſtitutæque per ſingulas hebdomadas ſcriptiones & recitationes: huc in poſterum, quod DEUS bene vertere jubeat, ſollemnes quoque Declamationes ſpectabunt. Auctor, inquam, ero Auditoribus meis, ut materias ex omni Doctrina Civili præcipuas, paulo accuratius elaboratas in publicum afferant, ac judiciis tam ſplendidi Auditorii ſubmittant. Cui inſtituto favere egregie fortuna videtur, & veluti bono omine ſpem noſtram attollere, dum MELCHIOREM FREINSHEMIUM obtulit, qui ſuam rei exordiendæ induſtriam polliceretur. Scilicet excellentis ingenii Juvenis, dum per *Clariſſimi Fratris* veſtigia ad magna quæque, pulcerrima æmulatione contendit, omninoque eum ſe præbet, cujus & ſedulitas pridem aliorum conatibus exemplo, & profectibus ſubſidio, egregia
ſoli-

ſolidaque, quam ſibi comparavit, doctrina eſſe poſſit, nihil ſibi eorum omittendum putat, quæ ad bonæ mentis & ſtudiorum rectitudinem Academiæ noſtræ approbandam, quodammodo videntur pertinere. Convincet hoc factum, vanitatis ſuæ, arrogantes illos, qui paulum aliquid ultra primas litteras progreſſi, neſcio quid magnum ſapiunt, atque *eloquentiam rem ſacerrimam* (liceat mihi M. Senecæ verba in hunc ſenſum inclinare) *quia præſtare non poſſunt, violare non deſinunt*: contemtu videlicet, & altioris ſcientiæ, quam inter ſui ſimillimos venditant, perſuaſione. *Sed tam contumelioſos* quidem *in ſe* (cum Fabio loquor) *ridet invicem eloquentia: & qui ſtultis videri eruditi volunt, ſtulti eruditis videntur.* Ille igitur, quem modo nominatum ne pro meritis laudarem reciproca inter amicos modeſtia obſtabat, *cras hora VIII. matutina*, eo, quod dixi, propoſito, de Studio civilis prudentiæ univerſo, orationem habebit: atque *quibus res tam ardua auctoribus ex antiquitate, quibus recentioribus nitatur, quæ præſidia in animo, quæ in libris, quæ in vita, tum quærantur à multis, tum à cordatis quærenda ſint*, quantum temporis feret ratio, explicabit. Argumentum quod per ſe difficile, difficilius etiam multitudine diverſa ſententium redditur, (omnes enim Politici ſunt, citiusque qui imperii adminiſtrandi, quam qui unius domus regendæ ſcientiam profiteatur, invenias) facilius poſſe fieri ſperat benevolentia Auditorum ac æquitate. Quos equidem ut ſolicita obteſtatione colligam, non exiſtimo neceſſarium. Si enim ullum, hoc profecto illud tempus eſt, quo inter laudes cujusque Boni Viri numeraverim, ſtudiis & ſtudiorum cultoribus favere, eorumque omnibus officiis induſtriam incitare: adeo nobis ejectæ paſſim Muſæ, & ad ſolitudinem ac vaſtitatem quandam redactæ, noſtram felicitatem cum vehementia quadam comendant, delicatumq; illud faſtidium abſtergunt. Reverentiæ tamen, & honoris, & officii cauſſa non omittimus, unius horæ opellam precibus expetere. V.

Perſcriptum ARGENTORATI, die 6. Septembr. Anno CIϽ DC XXXVII.

III.

VErsamur in fine anni, quem periculis varium, casibus atrocem, memorabilem eventibus, Europæus orbis partim admiratur, partim deplorat, partim exosculatur, partim nihil aliud quam loquitur. Tale animorum divortium, tam diversa nationum judicia, tam pugnantia studia terrarum, primævus error humano generi invexit, & sua cuique utilitas, detestabile imperiorum idolum, magis subinde magisque confirmavit. Lugent alii mala, alii faciunt: alii bellum execrantur, nonnulli odere pacem: incendia quidam restinguunt, plures excitant. Ipsa mortalium & universi societas, dissociabiles ubique animos; & commune jus, communionis hostes, invenit. Quæ si inter eos fiunt, quorum nullo vitæ, nullo morum, nullo linguæ commercio cœtus cohærent, iniqua dixeris & infausta, sed exempli crebritate minus admiranda. Est enim aliqua in humanis mentibus peregrinitatis dedignatio: est aliqua rerum longinquarum neglectio: est aliquod ipsius ignorationis adversus ignorata fastidium. At vero, cum nec imperii & juris & civitatis communione sociati, communia læta, communia tristia habent, sed alter quidem interitu alterius gaudet, alter mœret felicitate; tum vero infandæ res indignitatis plena, luctuosissimique ad omnem posteritatem exempli haud immerito censetur. Utinam vero Germaniæ nostræ, civili bello pæne sepultæ, ultima hujus rei exempla hic annus tulerit! Utinam civilis belli mala & flagitia ultima viderit! Quæ an acerbiora dicas, an fœdiora, non parum dubites, ita permixta horrori deformitas, deformitati horror, omnia miseriis, & sceleribus replevere. Ultra quorum tamen immanitatem, eorundem inhumanam securitatem dixerim: dum plerique, nulla partium aut summæ rei cura, *malis publicis læti* auctique, divina humanaque omnia conculcant. Qua de re, si gravius loquendum sit, aptissime ad Germanum orbem transtuleris, quæ de Romana Urbe, Vitellianis tumultibus non pejus vastata quam polluta, scriptorum gravissimus usurpat: *Sæva ac deformis*

formis ubique facies: alibi prœlia & vulnera, alibi balneæ popinæque. Simul cruor & strues corporum; juxta scorta & scortis similes: quantum in luxurioso otio libidinum, quicquid in acerbissima captivitate scelerum: Prorsus ut easdem terras & FURERE crederes & LASCIVIRE. At enim non est hujus est loci ea commentari, quæ vel publicus dolor abscondit, vel metus & horror calamitatum supprimit, vel circumspectio seponit. Et quantum ad extraneos quidem attinet, non ita securi temporum vivimus & incuriosi, quin afflictis solatium, depressis auxilium, paventibus constantiam, iracundis mansuetudinem, flagitiosis meliorem mentem cupide exoptemus: Illud autem propioris existimamus curæ, si, quid nostræ Reipublicæ, nostræ Academiæ hic annus boni malique tulerit, pia meditatione pensitemus. Qua in re, si omnia excusserimus, apparebit, habuisse nos annum, si prudenter loqui volumus, *periculose utilem*; si pie judicamus, *utiliter periculosum.* Nam & salutaria sunt, quæ eventus mitigat pericula; & plus sapiunt, qui adversis explorantur, quam qui incurioso foventur otio. Quinimo securitas est, in communi incendio flammam metuere tantum: felicitas, in communibus adversis, felicitate tantum carere. Quanquam nec illa caruimus, si felices non abundantia rerum, sed necessitatibus metimur; tum autem veram felicitatem, in sola juris divini humanique libertate collocamus, Cujus conservationem cum in hujus anni muneribus nominamus, omnia nominamus: laudumque amplior nobis materies nascitur, quam laudationis relinquitur facultas. Verisimile enim est, illam meditationem animo pudorem, ruborem vultui, voci moram ac hæsitationem allaturam: cum nullo nostro merito, nullis gratæ mentis studiis, nulla bonorum nostrorum reputatione, incorrupto status nostri tenore, inter medios terrores, & minas, & diversi fati exempla, perennasse nos & evaluisse reminiscemur. Igitur quatenus anteactis quidem, nullum nisi in venia auxilium restat, enitendum arbitror, ut, quod unum superest, de præclaro fine imponendo, sedulo dispiciamus: & ad meliora

initia, exitu dexteriore præparemur. Communem piis omnibus curam, non decuit ab iis alienam esse, qui pietatis officina propiore excoluntur. Quocirca, cum exercitationis oratoriæ caussa in publicum prodire, præclari Juvenes nonnulli agitarent, reverentia temporis facile perfecit, ne argumentum aliud quæreretur, quam quod nostri cordis commentationi proximum, ceterorum autem expectationi maxime esset consentaneum. Tres fuere, quorum perlata ad me honestissima desideria, fidem bonæ mentis ac eruditionis vel propterea asseveraverunt, quod editis jam antea cum laude speciminibus Academicis, ad solidiorem industriæ fructum, ipsa continuatione industriæ videbantur properare. Igitur ELIÆ KOLBIO quidem (nam hic auspicabitur argumentum) auctor extiti, ut *finientis anni prospera vel adversa, quatenus ad Rempublicam præcipue nostram pertinerent, commemoratione brevi collecta audientium meditationi committeret.* Post quem JOANNES JACOBUS HEIDELIUS, *consideratione divinorum beneficiorum ad solvendas nostro Conservatori laudes gratesque Auditorium excitabit, bonasque preces precabitur.* Denique JOANNES SEBASTIANUS GAMBSIUS, *de clausula huic anno feliciter & pie imponenda disseret, demissaque Infantis Servatoris veneratione bonam spem testabitur. Recitabuntur ista diei crastini hora VIII. matutina*, ab iis, quos dixi, florentissimi ingenii juvenibus: quorum notam diligentiam nec commendo in præsens, nec audientiæ vestræ concilio: prorsus confisus, satis commendatos omnibus literarum amantibus fore, qui literarum ipsi semet nomine & pignoribus commendant. Brevis erit & vix horaria auscultatio, qua tria simul exequi, qui volet, poterit: nam & conjecturam capere patriæ juventutis licebit, cujus triplicem florem videbit; & nostros obligabit ad mutua officia animos; & piæ meditationis occasionem habebit. Neque enim quenquam esse existimo, qui quacunque caussa stimulatus, invitus ejusmodi cogitationibus accedat, quibus à miseriæ doloribus, ad miseriæ levamenta; à periculorum formidine, ad periculorum remedia; ab ipsis denique

que bonis & prosperis, ad bonitatis prosperitatisque fontem animus revocatur. Quod superest, DEUM enixissime precamur, ut hanc exercitationum annuarum clausulam, studiorumque nostrorum conata, clemens ac propitius suscipiat, deque strenue repetendo eorum cursu consilia suppeditet: ut Studiosorum animos amore pietatis & doctrinæ adversus imminentis barbariei minas expleat, successum laboribus, successui maturitatem largiatur; ut nostras mentes sui favoris officinas, nostras linguas suæ instrumenta gloriæ esse velit ac manere. Valete.

Perscriptum ARGENTORATI, die xx. Decembr. Anno cIↄ Iↄc XXXVII.

IV.

MOmentum est, quod humana vertit convertitque, cujus incerta semper vicissitudo priscis temporibus serior rariorque, nostro ævo violentius imminet: atque, quasi ad finem rerum properantibus fatis viam lucrifaceret, ruinas non disponit, sed cumulat; neque improvisis serenitatem fulminibus interpolat, sed continuis profligat. Pone, quingentos imperiis annos; jam incredibilia loqueris, detrahe dimidium; sed & ita supra captum nostræ tempestatis ominabere, in sæculum durationis metas contribue: hic ego ex te quæram, quid intelligas sæculum? tu de centum annis cogitabis, ego vix triginta concedam. ne enim ad perfectionem numeri ascendamus, imperfecti retrahimur moris vanitate, quæ, quotiens mutato rerum statu novam faciem induit, toties sæculum facit. atque ita ad sæculum raro aut nunquam pervenimus, quia multa in sæculo sæcula præcipimus. Nemo te Politicorum decipiat cum tot annis (nam & incertissima hæc certa facere postulant ac definire) regna, familias, scholas, stare dicunt aut esse; postea paulatim mutari, denique ruere. Brevius loquendum est, ut loquamur accuratius. nihil horum stat, nihil durat, nihil est: sed *mutatur*; *&* dum mutatur, *interit*. Quæres jam porro, quot annos mutatio rerum (ita pro duratione fari decet) complectatur? dicam te frustra quæsivisse,

ſiviſſe, quippe non annis mutationem, ſed ipſa mutatione metimur; neque annorum ſpatiis iſta extendimus: ſed mutationis circulo convolvimus. Cujus & ipſius mutatio per omnia mutabilis, obſervantes fallit, confundit numerantes, indagantes eludit. Præcipue in Scholis, de quarum fatis, cum noſtra ætate Vir doctiſſimus, accurate diſſeruerit, plura jam à nobis exempla acciperet, quam nobis dedit: paucorumque annorum experientiam res multas & miras ſuppeditare, quas tot retro ſæcula, quot ille complexus eſt, non viderunt, lubens, ſi hucusque vitam produxiſſet, fateretur. fortaſſe & illud: in ſumma de fatis Scholaſticis diſquirendi varietate, in exacta explicandi ſubtilitate, bona fide denique, ad ſolidam fatorum ignorantiam; id eſt, ad ſilendi neceſſitatem perveniri. Niſi quod hic una vox & ſola, Admirationi relinquitur. Cum exemplo loquimur Argentoratenſes: quibus in ſæculari pietate verſantibus, & *centeſimo hoc, ab inſtituta publicæ illuſtri Schola anno*, incrementa vel decrementa literarum, caſus docentium, vices ſtudiorum, varietatem ſortis, & ubique Divinum Numen, ejusque curam atque conſilia recognoſcentibus, non contigit, altius aſcendere, quam ut neglectis veterum Sophorum, *Nihil admirantium*, decretis, ſtrenue OMNIA ADMIRAREMUR. Profeſſi id ſumus in Eccleſia ad civitatem univerſam: profeſſi in Schola inter eruditos; quos in cœleſtem hanc philoſophiam vel provocavimus vel ereximus. Nunc juventus noſtra agit quod ſuum eſt: acceptaque tam mirabilis anni prodigia, pio ſtupore, modeſtaque ſtuporis ſui expoſitione recolere, publicoque & iſta & obſequii ſui rationes cupit reddere. Quo de genere, id eſt, ex ipſo flore ingeniorum, magna contentione animi & ſucceſſu ſtudia æmulantium, ſunt, qui die perendini (is hujus menſis erit XVIII, D. Lucæ ſacer) VIII. mat. ſollenni declamatione in Auditorio Majore defungentur. Cum enim dicendi ſtudio, & impenſe teneantur, nec temnendos in eo jam fecerint progreſſus: non putarunt committendum, quin tempore tam feſtivo publicæ pietati

pietati suam jungerent, patriæque miracula grata mente, ut agnoscerent, sic pro virili prædicarent. Sed quædam argumenta quæruntur à curiosis per ambitionem; quædam eliguntur à peritis per intelligentiam; quædam arripiuntur ab imprudentibus per temeritatem; quædam accipiuntur à modestis per reverentiam. Videantur licet insolentia & mirifica, quæ dicturi sunt Elegantissimi Juvenes, nihil tamen est, quin vel à tempore, vel à temporis festivitate, vel à festivitatis miraculis, vel à miraculorum laudatoribus, vel à publicæ pietatis spiritu hauserint expresserintque. Solum est, quod fallere possit, vocabulum. Μεταμορφώσεις enim præferunt & *transformationes*: sed nec Ovidiana hic fabula, neque Pythagorea transmigratio (ut nunc Græcorum vocabula ita exprimamus) neque fanatica recentioris sæculi abortu edita persuasio; sed sola Philosophorum & rationis filia, Comparatio, locum habet. Igitur cum Primus eorum JOANNES SEBASTIANUS GAMBSIUS, *Bestiam in hominem transiisse*, alter ELIAS KOLBIUS, *Hominem in Angelum (seu bonum genium) emersisse*; tertius JOANNES JACOBUS FRIDIUS, *Argentoratum in Athenas transformatum esse* narrabunt, nullibi lusum ingenii aut prodigentiam temporis, sed *illic* quidem, opus necessitatis; *isthic*, rem salutis; *hic* felicitatis gloriam; *ubique* autem Scholarum ac Dei munus agnoscemus, & si animum advertimus, etiam spectabimus. Neque sane hoc tempus, aliud insignius spectaculum decuerit. quo rectissime sæculares Romanorum ludos oblivíscimur; ipsamque Argentoratensis theatri pompam dediscimus: ut pro oculorum voluptate animum solis sapientiæ apparatibus ac speciminibus oblectemus. Porro, ut prima sapientiæ vox est, *nosce teipsum*, id est, *nosce bestiam*: ita primum sapientiæ opus, *è bestia hominem facere*. primum dixi: tu intellige & summum. Nemo sublimius philosophatur. Quid exemplis agam? Cæcum animal, præter nativitatis labem, tot fuligines animi patitur, tot maculas, ὥστε μηδὲν ἀσεβέστερον ἀνθρώπου μηδὲ ὠμότερον ἀποτελεῖσθαι τῶν ζώων; *ut nullum animal impie-*

impietate deterius homine ac feritate ad postremum inveniatur. Τέλος γὰρ ἀποθηριωθεὶς, ἐξίστη τῆς ἀνθρωπίνης φύσεως. quam enim res misera? *non sufficit, inter bruta censeri; sed à bruto in feram belluam, exuta penitus humanitate itur.* Διότι καὶ κατὰ σῶμα καὶ ψυχὴν οὐδὲν ἐστὶν ἀνθρώπου φοβερώτερον, ὅταν ἅπαξ ἀποθηριωθῇ. Ergo jam tum *nihil homine in ferinam rabiem verso terribilius sive corpus sive animum respicias.* Polybium, scilicet hominem & moderatissimum & φιλοσοφώτατον inter Historicos, testem laudavi. quod si ad severiorem vitæ magistrum eamus, ut *quosdam animalium loco, non hominum*; sic *quosdam ne animalium quidem, sed mortuorum* Seneca numerabit. Vita enim sine virtutis studio ac sapientiæ, sive quod idem est, sine literis, non est vitalis. Quemadmodum autem Scholarum beneficio cum humana societate naturaque in gratiam reditur; ita nonnunquam eo usque proficit hæc industria, ut hominem quem vitæ præparavit, in angelum & vitæ ornamentum attollat expoliatque. Hinc veterum gloriatio de Platone: quem supra humanas laudes, Θεῖον; de Aristotele, quem supra Philosophi excellentiam, δαίμονα cognominarunt. Neque nobis hodie, cœlestis spiritus indolisque viros, editaque in splendorem sæculi ac salutem ingenia, nefas est. Angelorum titulo venerari; præsertim cum regula loquendi ac norma, sacratissimus Bibliorum codex, tum Doctores verbi Divini omnes, tum populi moderatores, aliosque singularibus factis destinatos, ita soleat significare. Igitur *duæ*, quas dixi, transformationes nec fabulosæ, nec absurdæ, ad *tertiam*, tanquam ad causam matremque referuntur. cujus originem sane Deo festoque sæculari unice deferimus sacramusque! non immemores interim prorsus, quid STURMIUS ille condiderit formaveritque. qui de suo opere non vere minus, quam cum successus omine, quondam scripsit: *Meum institutum difficile & arduum est, quod cum Atheniensium tribus Gymnasiis contendere de gloria videatur, Academiæ, Lycei, Stoæ: vel potius quod ex his tribus compositum sit: & excellentius aliquid videatur promittere.* Hæc sunt illa, de quibus multæ expectationis notique jam successus Juvenes,

venes, verba facient. Vos, quicunque Scholas non aspernamini, favete labori in honorem Scholastici Festi suscepto, & pro captu ætatis (nolui enim huic officio intercedere) bene peractum existimate, quod amori patriæ venerationique, vestræque benignitati & audientiæ dedicatur. Valete, & transformationum, quas laudamus, complementum τῆς ὑμνήσης πόλεως εἰς τὴν μέλλουσαν μεταμόρφωσιν, cogitate.

Scrib. Arg. XVI. die Octobr. Anno cIↃ IↃ CXXXVIII.

V.

QUod in Novi fœderis, historia, CHRISTI accidisse discipulis sæpe legimus, ut, quæcunque de felicitate ejus temporis, de promissionum uberrimarum magnificentia, de Regis φιλανθρώπου beneficiis, vel ex ipso audissent, vel prophetantium vocibus meminissent edita; ea illi pleraque ad sæculum hoc, imo ad momentum mundani ævi, prono ad caduca affectu interpretarentur: id pati quodammodo omnes, quadam veluti imbecillitatis contagione, passosque jam olim esse, rerum eventis ubertim docemur. Est, ubi nec piis hominibus, adversus respectum fragilitatis, satis usquequaque animus constitit: quin cœli & Spiritus bona, ad terrenam speciem & carnis suavitatem, crassiori expositione applicanda existimarent. Hinc promissa genti Sanctæ tranquillitas, prædictus solio Davidico splendor ac potentia, ostensa credentibus opulentia, pax, claritudo, facilius ad id trahi opinationibus plurimorum cœpere, quod naturæ ad sublimia cœcutienti proximum, plerunque & primum creditur. Ubi ergo in captivitate Israëlis, illa pax, quam ad maris instar diffusura erat Numinis benignitas? Ubi victoria, in afflictione? ubi gaudium & exultatio, in luctus assiduitate? Hæ scilicet carnis voces; hæc erroris confessio; hæc tentationis sunt initia. Observavit eam rem præcipuus Patrum, Episcopus Hipponensis etiam ad illa Psalmi LXXXVIII. verba: *Ubi sunt misericordiæ tuæ antiquæ, sicut jurasti David in veritate tua?* Quod illud juramentum, quæ promissio? *non terrenæ carnalisque felicitatis*, quam nonnulli temporibus Salomonis assignatum

ibant; *sed cœlestis ac spiritualis. Benedictio quippe Domini in semine David* (de qua finis Psalmi: *Benedictio Domini in æternum: fiat, fiat) non ad aliquod tempus, qualis diebus Salomonis apparuit, sed in æternum speranda est. Hoc tam magnum bonum quisquis in hoc sæculo & in hac terra sperat, insipienter sapit.* Grave id cumprimis, & cordatum summi viri judicium (extat autem de C. D. 17, 13.) non tantum illis opponendum est, qui sacra quædam oracula consentaneo cum suis votis intellectu, de nescio qua felicitate Ecclesiæ, de fine miseriarum, de aureo denique quodam sæculo accipiunt: sed & sufflaminanda est hac ratione otiosa quorundam industria, quibus una sermonum materies, vitæ non insuavis tenor; una cupiendi lubido, rerum copiæ; una pietatem jactandi occasio, pro meliori orbis statu preces fundere. Quæ res tum alias, tum ibi se præcipue exerit, quando redauspicante annum cœlo novas sibi quisque vel sperandi vel timendi metas constituit. Hic satagimus magnifice, ut gaudia & gaudiorum exstruamus apparatum, nec gaudendi uspiam reperiamus fidem: ut spe nos multa oblectemus, nullo vel fragili spei fundamento. Certas autem, i. e. solas & veras spes, solidæque prosperitatis gaudia, languide transimus, aut nihil aliud quam mentione verbisque defuncti, ad vim ipsam affectumque sinceriorem nunquam progredimur. At, quæ sinisteritas, pacem anhelare (id enim unice jam solenne canticum est) nec venerari pacis auctorem? pacis tempora somniare, nec de pacis artibus ullam cogitationem suscipere? pacis commoda agitare, nec cognoscere pericula? *Etiam de his*, ais, *prospiciam, imo jam prospicio.* Sane ut difficilem me habeas ad fidem, illud efficit, quod consilium istud tuum anniversarium præpostere & ita comparatum est, ut, quæ prima dixi, in labris; cetera geras in pectore. Quæ longe secus ab iis suscipi commentatio debuit, quos veræ æternæque sapientiæ candidatos, non tam astra, quam astrorum factorem, non tam orbis præsagia, quam mentem orbis moderatricem; non tam ævi mortalis umbras, quam bonorum cælestium

ſtitim veritatem, æquum eſt reſpicere. Perfecit hæc meditatio, ut lubentiſſime ſtudio meo complecterer, qui mox nominabuntur, Adoleſcentes. Cum enim ſub ipſas feſtorum maximorum ferias, adeoque ſub ipſa anni hujus initia mihi expoſuiſſent; teneri ſe jampridem exercitationum Academicarum deſiderio: inter quas non negligendam ſibi publice declamandi conſuetudinem exiſtimaſſent: diſpexiſſe jam argumentum, quod temporis ipſius ratio, crebraque tum publica tum privata cohortatio commendaſſet, *ae Sionis gaudio à Zacharia vate prædicto illuſtratoque*; vehementer me oblectavit earum ſocietas meditationum, quibus omnes velim imbutos deditosque. Ita enim apud animum ſtatui meum: ſi de bono omnium maximo, de unico eoque tutiſſimo ſalutis fulcro rite pieque meditemur, poſſe fieri, ut in mediis malis bene, in adverſis agamus proſpere: novi autem anni exordia exornemus præclariſſime; progreſſus dirigamus quam rectiſſime. Quid ſi enim cogitationes noſtras, Propheticis jungentes vaticiniis, *Regem illum*, Orbis dominatorem; *illud Sionis gaudium*, noſtrorum ſummam votorum; *illam Jeroſolymæ exultationem*, noſtram beatitudinem; *Illum adventum*, noſtram refectionem agnoſcamus: atque inter hæc, terrena obliti omnia, omnis ævi, annorum omnium fortunam, uno ſed divino complectamur compendio? Cujus primas quodammodo lineas ducent, duabus, cras hora VIII. matutina recitandis orationibus, MATTHIAS KORNMANNUS, Auguſtanus; FRIDERICUS WOLFIUS, Argentoratenſis. Quorum *Ille*; ex perſona Zachariæ, *præconio gaudii Sionem excitabit*: *Hic*, in perſona Sionis, *denuntiatum gaudium præ ſe ferens*, *adventantem Regem excipiet*. *Præconium*, quo nullum ab orbe condito extitit illuſtrius; *gaudium*, quo nihil habet tota religio religioſius; *adventum*, quo nihil videre ſecula mirabilius; impari quidem ſed ſincero puroque ritu celebrantibus non defuturam exiſtimo eorum benevolentiam audientiamque, qui ad bonum omen, ad auſpicium temporis ſufficere intelligunt, vel ſolum illud nomen JUSTI, RE-

GIS, SALVATORIS. Hoc fideli receptum animo neminem de Præſide anni, de Soſpitatore Urbis, de Vindice, de Conſervatore rerum; ſinet dubitare. *Rex gloriæ* eſt, quem dicimus: Erimus ergo *magni Regis* (O quam beata!) *civitas*. *Salvator* eſt: Erimus ergo *ſalvati*, *erimus redemti à Domino*. *JUSTUS* eſt: Erimus ergo *arbores juſtitiæ, plantatio Domini ad gloriam*. Felicem populum, felicem regiam, quam elegit voluntas tanti Regis! ergo in poſterum *ſalus & incolumitas*, *& bona fortuna*, *&* myſteriis ſalutaribus pleniſſimum bonum, *Juſtitia* domum ſibi & ſedem hanc conſtituent: Ut fiat illud, quod fruſtra quæſivere potentiſſimi Principes, fruſtra jactavere regnatrices gentes; URBS in tempore ÆTERNA, URBS inter peritura omnia, INEXPUGNABILIS. Fiat! &, ut fiat, ſeriis quisque mecum gemitibus contendite: Declamatoribus autem noſtris, Adoleſcentibus ingenuis ac ſedulis ad majora calcar addite. Valete.

Perſcriptum ARGENTORATI, d. XVI. Januar. Anno cIↄ Iↄc XXXIX.

VI.

Dicturi ſunt cras, Octava matutina, conſuetudine Academica, de OSTRACISMO, tres è juventute eruditâ eximii Commilitones. Nomina ſunt: WOLFGANGUS FORSTNERUS, *Auſtriacus*; M. ESAIAS STEUDNERUS, M JO. PHILIPPUS WEBERUS, *Auguſtani*. *Illum* Fratris Magnifici, tum in gravioris Muſæ ſtudiis, tum in actus publici meritis eminentia, efficaci cumprimis ſtimulo, auctoritate, exemplo ad magna omnia incendit: *hos*, expectatio patriæ & accepti recens honores literarii, in publici egregii curas, quod bonæ mentis ſcilicet artisque generoſæ inſtructu reparari pridem deſiderat, excitarunt. Operas in hunc modum diſpartivere. FORSTNERUS, *commemorata lucide ac ſimpliciter Ariſtidis expulſione, quale ſit Oſtraciſmi ingenium, tanquam præviæ cognitionis cauſſa, exponet*. STEUDNERUS Calumniam, *exilii tam celebris artificem magiſtramque, exultantem*

ſuo

suo opere, & quos, quibus artibus in posterum petitura sit, confidenter edissertantem, inducet. Exprimere visum est hoc vocabulo, non modo, quod seorsum & proprie calumniam dicimus, sed confusas cum ea veluti in unum, *Invidiam, injuriam, fallaciam, & quæ has comitantur.* Ita enim videmus opere ipso actuque conjungi, quæ nominibus segregantur. quod cumprimis observandum est illi, qui feliciter in hac philosophia operam cupit collocare. Exemplum præivit, apud Lucianum, Apelles: qui in pictura calumniæ, *ceteras* quidem, de quibus innuo, *socias* nominatim; *injuriam* autem ac *vim* ea imagine significavit, cum *capillis prehensum adolescentem ingenuum, manus cœlo tendentem, deumque ac suam innocentiam testantem, nihil moveri religione sueta calumnia, infesta secum dextra rapit.* WEBERUS *postremo sermone, non tam orantis, quam disserentis ritu, philosophiam hujus loci Aristotelicam, comparatis eorum sententiis, qui, in quæstione juris, varie de Ostracismo pronuntiavere, tractabit.* Hæc breviter, & ad modum non totius ferme horæ accommodata, adferent. Cetera in infinitum patent. Voluminis quantumvis magni mensuram excedit, si quis ostendere instituat, quanta flagitiorum copia uno nomine involvi progressu temporis cœperit. Profecit Ostracismus iste Democraticus, mirifica fœcunditate, in Ostracismos Aulicos, Senatorios, Curiales, Militares, Privatos, Publicos, Gentiles; Sacros, Profanos; Manifestos, Arcanos, Mixtos; Speciosos, Crudeles; & quis omnia formarum genera titulis exprimat, quibus toto passim orbe iste ludus *luditur, & ludetur in omne volubilis ævum.* Nam de hoc ut sentio, ita intelligi volo: id est de re ludicra & *testacea*, sive *de testularia.* Est, inquam, ludi quoddam veteris genus. ὀστρακίνδαν dixere. (*videnda* Meursii *Græcia ludibunda, ubi locis Auctorum res affirmatur; &* Erasm. *Chiliad.* 2. *cent.* 1. *prov.*51.) Si quis *Ostracismum* vocare malit, me non repugnante id fecerit. Præsertim cum à testula utrumque nomen descendat, & testulis res ipsa peragatur. Dummodo id constet, non aliunde rectius peti originem proverbii: ὀστράκου περιστροφή, *Testulæ conversio:* quo subitas rerum in diversum

ſum commutationes indicare ; mos doctorum tenet. Hic ſubſiſtere poſſemus : nam exemplo ſatis amplo totum hoc Univerſum nos inſtrueret. In quo proſpera adverſis, læta triſtibus, bona malis, durantia cadentibus, florentia proſtratis ſuccedunt, varia mutationis celeritate, miſcenturque, id eſt, quid aliud, quam *ludus teſtularum & converſio* luditur ? Quod ſi amplius tamen de conſuetudine ludi & ratione ſumus ſoliciti, non unas quidem opiniones reperiemus, ſed liceat nobis Polluci auſcultare. Dicamus ergo, duas puerorum ludentium partes, projecta ad definitam lineam teſtula, de victoria contendiſſe. Quam ubi hujus partis aliquis jactu ſibi ſuisque eſt adeptus, altera pars curſu in fugam ſe conjecit. Tum inſecuti victores quemcunque è fugientibus prehenderant, cogebant in medio conſidere, ASINOQUE nomen dabant. Ibi jacta miſer teſta (cujus interior pars picea, tenebras ; exterior lucem præferebat) tantiſper NOX DIES ingeminabat, donec ex illa in hanc & meliorem fortunam eniteretur. Puerile eſt quod dico, & cum venia ejus ætatis noſcendum : niſi quod Viros quoque magnos non piguit hujus ludi. Sane Julius Cæſar, cum Romanis ὀςράκυ περιφορὴν luſit. Fac, ambitionem, opes, gloriam, libertatem teſtulas eſſe : his ludit Cæſar, his Romani. Cæſaris pars vincit, fugat, capit ceteros. Ergo illi jam ſedent, neſcio an ASINI (quanquam impoſita per luſum nomina nemini aliquid detrahunt aut addunt, quod ſerio ſenſiſſe eum autumo, qui Aſinum omnibus rebus publice antepoſuit) certe ſervitutis teſta, toties à ſedentibus in curia, in foro, in campo jacta, & nil niſi NOCTEM. NOCTEM referens, ipſa patientiæ Romanæ arcana tentavit. Celebratos primum ſollenniter hos ludos exiſtimes *A. V. C. DCXCV, Julio & Cæſare COSS.* (*Suet. Jul.* 20.) repetitos poſtea innumeris vicibus. Longe autem ante id ævum Philippus Macedo, teſtulis inauratis, ſpecioſus & felix luſor, cum civitatibus & viris maximis *de libertate* contendit. ne quis antiquæ tantum Germaniæ eam labem fuiſſe ludendique temeritatem Tacito credat. Quid propioribus

ribus ludis Julianus Apostata molitus sit, gemitus eorum testantur, quibus acerbum videbatur & intolerabile, *Asinos fieri*, & *Nox dies jácere.* Ne de singulis dicam, totæ gentes obstant: quas ad *Asinorum conditionem & obscuras noctes*, non aliud ludendi genus redegit. Quod ob id rectissime ad *Ostracismum* ab Erasmo refertur: nam & ea sive ars sive monstrum, ex hominibus asinos, ex asinis homines; ex præsentibus, absentes; ex vivis mortuos, & contra, facit an fecit, an utrumque? Sed lusum satis est. Seria quibus audire curæ est, eos ut cras hora præfinita ne graventur comparere, rogamus. etiam illud: Ut quæ *juvenes optimi* in gravi materia minus graviter elaborateque dixerint, pro indole ac ætate accipiantur. de qua interim *egregia* plurima speramus. v. perscript. Argentor. XVIII. Decembr. CIↃ IↃC XXXIX.

VII.

MAximum citra controversiam & humanis rationibus imperscrutabile est, ut nativitatis & vitæ, sic passionis ac mortis Dominicæ, mysterium. Omnia hic miraculis, omnia miraculorum caussis, omnia caussarum viribus, omnia virium operationibus, omnia operationum non confusa, non divulsa, non permixta, sed singulari & Deo tantum auctore facta unione, in eam divinissimi secreti magnitudinem conspirant, cujus nec interiora angelicæ mentes arbitrari, nec ænigmata in revelationis speculo possunt comprehendere homines. adeundum simplici pietate sacrum, colendum uno ardore, admirandum unius quidem ardoris sed diversis affectibus. Omnia dolore plena, omnia voluptate; ideo voluptate plena, quia plena dolore. Omnia quam inusitata, tam tremenda; quam summa, tam exoptata sunt in passione ejus, qui pati non potuit per naturam, pati non debuit per innocentiam, pati voluit per gratiam, & quod voluit, potuit per sapientiam. Quam admirabile est, quod Deus voluit. quam admirabile, quod homo potuit; quam admirabile quod Deus & homo, homo & Deus, Deus-homo, inquam, Homo-Deus unum voluit, unum

 potuit!

potuit; quod Dei voluntas est hominis voluntas, quod Dei potestas, est hominis potestas! imo vero quod Dei & hominis, in diversarum naturarum veritate ac distinctione, per intimum consensum ac unionem una est voluntas, una scilicet unius voluntas, unius potestas, qui nec Deus esse desiit, cum homo factus est; nec homo esse desinet, postquam in Deitatem est assumptus. Atque hic quam admiranda est assumptio, tam admiranda sunt assumentis in assumto; assumti in assumente, sive opera sive passiones. *Opera*, salva facultatis operantis discrimine, ipso operationis ἀποτελέσματι una: non societate operantium, sed unitate operantis, id est, personæ. *passiones*, in quibus homo, nec sine Deo, nec per Deum, patitur: neque minus interim in eo, quod pati nequit, homo subsistit: &, cum, quod pati potest, patitur; non homo tantum patitur, sed Deus patitur in homine. quia licet naturæ sit hominis, pati posse, ipsa passio personæ tribuitur, quæ Deus & homo est. Quare nec virium humanarum, nec pretii humani res est, σωτήριον πάθος. Incipiemus à monte Oliveti. Ibi contristatur, angitur, pavescit, trepidat, patitur dira ac horrenda omnia, quæ, nec vocibus mortalium exponenda, nec indaganda sensibus, ἀγωνίας titulo tanquam velo involvit Evangelista; ibi procidit, lamentatur, sudat sanguinem: quis? an Deus? at in istum nil tale cadit. an homo? at his talibus nemo hominum sufficit. quin, sicut ad divinitatis sublimitatem nulla pertingit calamitas; ita tanta tamque immensa malorum incubantium moles, non hominem, sed humanum genus opprimere poterat. Patitur ergo & sustinet; torquetur, & evadit; prosternitur, & vincit, non unius naturæ particeps, sed geminæ ita compos, ut dum humanitatis doloribus, divinitas robur; merito, pretium communicat; neque hominis interim tantum sint dolores, neque Dei solius meritum: quoniam nec humanitate tantum censetur qui doluit; nec divinitate sola intelligendus est, qui meritum contulit. Idem de vinculis Christi judicandum est: quæ æternis tenebrarum vinculis Christiana

ſtiana fides efficaciter opponere poteſt, quia Deus eſt, quem Judæi pro homine nudo vinciunt. Injuriæ autem, probra, crimina, ignominiæ, hominem certe arguunt, qui his omnibus mactari poteſt: at pro ceterorum ſecuritate iſta pertuliſſe, plusquam humanum opus eſt; neque ſolius tamen Dei, ſed hominis, qui Deus eſt. Hujus eſt illa quæ apud Prophetam vox extat: *Dorſum meum dedi ad flagella, & genas meas ad alapas, & faciem meam non averti à ſputorum contumelia.* Scilicet idem hic loquitur, qui hujus meriti commemoratione, infinita trepidæ genti ſolatia pollicetur, ac bona plane divina. Denique clavi, lancea, crux, Deum violant ac perimunt. itaque in creatoris ſui morte, orbis concutitur & ruinam metuit: ad lucis unicæ labores, ſolis radios pudet videri: ad necem vitæ, mors confeſſa cladem ſuam, vitæ dimittit, quos pertinaci nexu attinuerat. O mors acerbiſſima, quæ tot tormentis conſtitit!. ô mors pretioſiſſima, quæ tot divinis meritis abundat! ô mors maxime vitalis, quæ tot exitiorum genera abſorpſit! ô mors diviniſſima, quæ tot paſſionibus Dei, tot calamitatibus Dei, Deo ſtetit! ô mors admiranda, quæ tot myſteriis ſcatet. quot nec orbis capere, nec natura teſtari poteſt! quæ licet prodigiis plurimis maximis id agat, nihil præter ſtuporem humanis ſenſibus relinquit. Unum ſupereſt miraculum vere magnum, vere dignum tantæ paſſionis ac mortis teſtimonium. DEI DOLORES, PROBRA, CRUCEM, SANGUINEM, id eſt, theſauros Univerſo majores, immenſos, infinitos, inacceſſos rationi, incomprehenſibiles poſſeſſioni, FIDES CHRISTIANA CAPIT, & complectitur humanæ mentis anguſtia, imo tenet, obtinet pro ſuo, quod angelicis conceptibus ſublimius, cælorum munditia purius, ſæculorum ævo profundius, omni capacitate grandius. Atque hæc eſt illa ſive incomparabilis poſſeſſio, ſive inæſtimabile ſolatium, ſive admirabilis & myſtica πληροφορία πίστεως καὶ ἐλπίδος (hac enim voce, ineffabile hominibus, ſalutis æternæ tam operoſis paſſionibus partæ, pignus indicat, ſtilus Spiritus Sancti)

qua plenus divinarum passionum, id est, amoris divini sensu Evangelista, ad beneficæ redemtionis communionem omnes erigit ac invitat, cum inquit: τὸ αἷμα Ἰησοῦ χριστοῦ τοῦ υἱοῦ θεοῦ καθαρίζει ἡμᾶς ἀπὸ πάσης ἁμαρτίας: *Sanguis Jesu Christi filii Dei mundat nos ab omni peccato.* Meditationes super re tanta, nullo die ac ne momento quidem omittendas, cumprimis hoc tempore celebrat Ecclesia: quo Historia ἱλασμοῦ sive propitiationis nostræ per passiones Dominicas consummatæ, publice privatimque recolitur, exponitur, cantatur, memoratur, piaque simplicitate expenditur. Exstimulare potest quamvis segnes animos, ipsa rei majestas; sive propius incitamentum quærendum est, sua cujusque necessitudo ac incolumitas. Quam in universorum caussa, singuli sibi suo jure vindicant. Nostra juventus ex vasto illo admirandorum pelago, exercitationis Academicæ caussa (nam & has ad temporis annique solennitates instituta nostri ordinis accommodant) unum selegit, SUDORIS SANGUINEI, in horto Oliveti, miraculum. De hoc dicturi aliquid sunt, crastini hora VIII. matutina, tres industrii literatique adolescentes: è quibus JOANNES JACOBUS FEDERLINUS, Ratisbonensis, *oratione quasi prævia* animos in pietatem toti salutiferæ passioni debitam excitabit: JOANNES SPALTHIUS Argentoratensis, *Qualis & quam mirabilis Sudor sanguineus Christi fuerit*, reverenter inquiret: JACOBUS FUSSENEGGERUS Augustanus, *Quam sit idem sudor salutaris*, breviter ostendet. Si nil dignum tanto argumento attulerint, satis magna se Regii Psaltis auctoritate tuentur: qui inter angelorum jubila, & sapientum carmina, aliquam chori partem infantibus & lactentibus tribuit. Ultra quorum simplicitatem, nemo hic ascendit: cum hoc totum seu odeum seu phrontisterium, non eruditionis sit ac sapientiæ; sed candoris & pietatis; in quo non tam subtilitas curiose sciendi: quam prudentia reverenter ignorandi locum habet. Quibus commodum est, exercentium studia favore aut officio auscultationis dignari, eos ut hora die-

que

que nominatis, præsto sint, vehementer rogamus. V.
Perscriptum Argent. IV. Id. Martias, Anno cIɔ Iɔc XL.

VIII.

Anima est ac veluti condimentum vitæ; *Libertas.* Non loquor de periculosa, quidvis ex arbitrio agendi licentia; sed moderatum illud mediumque bonum intelligo, quo Principatus à dominationis infinita potestate, ad patriæ auctoritatis temperamentum; Optimatium imperia, à privatis ad publicæ rei augmenta; Popularis status ad æquabilitatem juris, exclusa violenti moris aut soluti deformitate; denique in omni vita, à vi ad leges, omnia rediguntur atque conformantur. Hæc est ratio vivendi divinissima; quia divinissimum in terris lex est & jus & æquabilitas, quam humanis cupiditatibus, æterna lex opposuit: quia, ne inconstantiæ humanæ voluntatis libeat, quod Deo non libet, nulla re præstari potest, nisi divinæ voluntatis character & regula ubique attendatur: quia, ne majestas imperii, quæ divina est, ferino licentiæ more polluatur, divino quodam exemplo, quod in æqui boniq; natura constitutum intelligimus, cavendum est: quia, communis vitæ æqualitatem, quæ à Deo est, non decet perpetua inæqualitatis affectatio, & mutua oppressionis mutuæ ac insidiarum concertatio. Hæc est ratio vivendi antiquissima: quia, quantum ad sacros Annales attinet, non alia in terris lege agere, creatos à se homines, Deum voluisse; neque dominationem & servos, sed rectores ac cives, non oppressores & oppressos, sed liberos & amicos instituisse, satis edocemur: quia, quantum profana retro colligere historia potuit, primas liberorum civitates extitisse, deprehenderunt Aristoteles, Polybius, alii: quia, si memoriarum veterum nos deficerent monumenta, inde sciremus antiquissimum, quod integerrimum vitæ genus nulli dubitamus. Est enim omnino hæc ratio vivendi inter omnes optima: optima moderatione; optima socialitate; optima firmitudine; optima tum per ea, quæ diximus, tum per ea, quæ præstantiam publici privatique moris, ejusque τὸ ἥμερον καὶ δίκαιον, ut

ut magnus Scriptor vocat, plurima amplificare possunt, & humanis usibus commendare. Verum rem tam salutarem, limis primum oculis perstrinxit invidia; mox ambitio insidiis aggressa est; ad extremum, injuria expugnavit extinxitque. Ea exempla postquam semel publice innotuere, assidua deinceps repetitione & revolutione, per omnes orbis partes, per omnes vitæ societates, usque in hoc tempus instaurata, eandem ludi in terris fabulam, facile nobis persuadent. Quo in negotio, nihil equidem ad fraudem publicam & damna fertilius est, quam quod, quæcunque adversus libertatem ubivis vel callide structa, vel superbe tentata sunt, specioso libertatis nomine, & simulata cupidine, illiberalis auctores moris & magistri, convelarunt. Quanquam ad hos solos nemo culpam, nisi imperitus retulerit. Ipsa libertatis possessio, lubrica & cautionis plena est: neque facilius adversum habentes, quam ab habentibus præsidium oppugnationis petitur. Dicam uno verbo rationem. Dum rem publico destinatam devotamque, privatis quisque vel ingenii sui, vel utilitatis, vel temporis rationibus accommodat, perit tota ejus indoles, ut nec privatim prosit, & publice omnibus obsit. Erroris hujus, qui ad lacrymas & sanguinem plerunque in vita erratur, imaginem quandam etiam in literarum studiis licet observare. quæ, sicut modo & temperamento sapientiæ, componi in publicum habitum gaudent; ita libertate ingenua in communes usus animari erigique postulant. At illa libertas quotiens in licentiam degenerat! id est, se pariter ipsam & studia infamat. Possemus per multa ostendere, quod in præsens quatuor exemplis demonstrabitur: earum scilicet artium, quibus præ ceteris magna sui operis concessa publice existimatur libertas; *Philosophiæ, Oratoriæ, Historiæ, Poëtices*. Quid enim excogitari potest, quod non mentiri aliquis, sub nomine *Poetæ*; contorquere, sub *Philosophi* titulo; insectari, sub *Historici* velo; fucare & corrumpere, sub *Oratoris* jure audeat? Itaque quid vere his liceat, quidque licere, falso autumetur, disquisitu cognituque res est non indigna.

Quam

Quam tractandam suscepere, Quatuor è Juventute Academica præclari eruditique Commilitones. Nomina fortuito ordine collocata hic consignavimus. FRIDERICUS STOCKERUS, Schaphusianus, PHILIPPUS FRANCISCUS KöNIG, JO. SEBASTIANUS GAMBSIUS, BASILIUS GEIGER, Argentinenses, *De libertate & licentia Historicorum, Oratorum, Philosophorum, Poetarum,* exercitatione declamatoria breviter agent & simpliciter. Nam limatum aliquid nec polliceri de iis possum, nec postulabit cujusquam ab æquitate non alieni expectatio. Testor interim, sedulo hactenus eos excolendo stilo comparandæque scribendi facultati operam dedisse: cujus specimina, Deo favente, majora alias edent. Nunc, ut in graviore argumento, voluntas quoque vel laudabitur vel excusabitur. Tanto id quidem magis, quod suo exemplo eorum præpostera consilia strenue coarguunt,qui eruditi eloquentesq;, & esse & videri volunt,sine ulla exercitatione. Id quod prorsus mihi videtur tale, ac si quis militaris sibi virtutis laudem vindicet, qui hostem nunquam acie, nunquam concursu, nunquã armis expertus est,sed fortasse aliqua in bello vidit alios facientes, alia ne vidit quidem, sed audivit. Adversus quos nihil equidem nunc vacat adferre, nisi quod hoc unum obiter suggero: *etiam eos, qui multa legerunt audiveruntque, nisi scriptionem conjunxerint, nescire admodum quid sciant; neque aliter, quam tam præsenti remedio à suis persuasionibus ad leniores spiritus & moderatiores, tum ad agnitionem sui; traduci posse.* Ergo quibus commodum erit, *cras hora VIII. matutina, in Auditorio Majore*, favorem & audientiam præstare Juvenibus, quos modo dixi, genere, indole, spe, profectu florentissimis; illis, quantum in nostras vires cadit, gratum animum candide pollicemur. Valete.

Perscriptum ARGENTORATI, VI. Kal Jun. Anno CIϽ IϽC XL.

IX.

D*ie Lunæ proximo (erit is XXVIII. Martii) hora VIII. matutina, in auditorio solenni* perorabunt, duo virtutis præstantia

ſtantia & antiquiſſimæ gentis imaginibus Nobiliſſimi Juvenes, BENEDICTUS & OVA BROCKTORFII Equites Holſati, ſanguine *Patrueles*; affectu, ſtudiis, profectu *Germani Fratres*. Argumentum delegerunt ex illis, quas hactenus cum Juriſprudentiæ ſtudio conjunxerunt, litteris. ALEXANDRUM, admirandi nominis Principem, tertiæ conditorem Monarchiæ, VIRTUTIBUS & iis, quibus orbem vicit, artibus, MAGNUM *alter* æſtimandum dabit: *alter* EUNDEM, poſtquam degeneraſſet, VITIIS & quibus priorem gloriam fœdavit facinoribus NON MINOREM, deplorandum exhibebit. *Itane*, inquiet aliquis, *tam turbulento, tam negotioſo hoc ſæculo vacat veterum narrationibus, &, quas de Heroibus confinxere, fabulis auſcultare?* Solent, nec ignoro, in tales cenſuras erumpere, qui nec rerum, quas vita poſtulat, vera æſtimatione; nec ſtudiorum, quibus iſtæ continentur, interiore cōmercio utuntur. Tractarunt *Brocktorfii Noſtri* accurata diligentia ſcriptorem clariſſimum *Q. Curtium*: in eo, præter ſummam & incomparabilem ſtili venuſtatem, deprehenderunt graviſſimas de præcipuis civilibus negotiis inſtitutiones, imbiberunt reconditiora humani actus documenta, denique in ſingulis verſibus plusquam ſingula prudentiæ ſpecimina obſervarunt. Ea cum viderent, non minus in præſentis & poſt futuræ ætatis uſus valere, ſuis quæque temporibus & occaſionibus uſurpanda reſervantes, maluerunt interim vetuſti ſchematis habitum meditando excutere, atque deſcribendo effigiare: præſertim cum recentia pleraque animum potius advertentem, quam ſtilum denotantem amare videantur. Quanquam hoc ad *nominum & vocabulorum* ætatem tantummodo pertinet. nam in rebus ipſis, quam abſurdus foret, qui Hiſtoriam, remotiſſimi etiam temporis, ex præſcripto artis & prudentiæ, compoſitam, ab hodierni actus genio alienam autumaret? Intueri divinam in diruendis imperiorum faſtigiis juſtitiam; in condendis regnorum fundamentis potentiam; in extruendis principatuum incrementis ſapientiam: Perſarum aurum & luxuriem deſpicere:

ſpicere:

ſpicere; Macedonum ferrum & virtutem æſtimare: Darium felicitate nimia præpinguem & prægravem miſerari; Alexandrum divina quadam indole excitatum, & Heroico ſpiritu accinctum admirari: hæc non unius temporis, ſed omnis, quàqua patet aut patebit, ævi; nec unius gentis, ſed univerſi nimirum orbis diſplinam continent. Aut, ſi in Alexandro manemus, quæ eſt omnino pars civilis prudentiæ, quam non complectitur vita tanti Regis, quam non attingit calamus tanti Scriptoris? Hic parantur bella in externos; & pax domi civibus ſtabilitur. Hic exercitus cum cura legitur, non ſine auctoritate regitur. Hic diſciplina militiam, lex rempublicam continet. hic armorum tractantur conſilia, nec minus aularum revelantur ſecreta. hic militares, hic imperatoriæ, & ob Heroici auſpicii majeſtatem, plusquam imperatoriæ ſpectantur artes. hic locus caſtris & munitio deſignatur: hic obſidiones cum operibus ſuis & inſtrumento; hic prælia cum caſibus ſuis & fortuna non tam memorantur, quam repræſentantur. hic bellatoris & victoris officia, Regis auſpicia, Regni ſacra, copioſe pariter & profunde declarantur. Cum autem porro manca ſit & mutila prudentia, quæ virtutes artesque imperiis parandis, firmandis, ſervandis debitas tantum ſectatur, non obſervatis & intellectis, quibus imperia diminutionem potentiæ felicitatisve patiuntur, cauſſis: Igitur *Alexandri degenerantis, in pejus mutatio*, totam hanc partem ſupplebit ac illuſtrabit. Occurret nobis ſtatim illud vulgatum: *Maximarum opum ἀκμὴν & παρακμὴν minimo ſæpe intervallo, aliquando pæne nullo, diſtingui.* verum id ad obſervationem cujusvis; Curtianum de cauſſis judicium, ad ſapientis cogitationem ſpectat. Scilicet, *animos hominum non capere magnam eandemque diuturnam gloriam, ſed vi dominationis ac licentia regni convelli mutarique:* ideoque *felicitatem cum virtute ſtare ſolitam, ad exortum flagitiorum, cedere, terras ac terrarum dominos relinquere.* jam vero, *admiſſi ſemel in aulam ſceleris eam eſſe impudentiam, ut non diffuſis modo exemplis increſcat, ſed novis ſubinde incrementis usque ad imminutionem ſtatus publici*

grandeſcat. Hæc enim illa ſunt, quæ à capite dimanantia, univerſum ſummi illius Imperii contextum, non paulatim, ſed velut una & ſubita vi, diſſolverunt. Non patitur anguſtia hujus paginæ, ut de gravioribus ſapientiæ ac bonæ mentis monitis mentionem inferam: quæ nimirum capaci melioris diſciplinæ animo inſinuantur, cum *Majeſtatis regia coruſcum antea virtutibus fulgorem, in obſcuritatem ſceptro dedecoram per vitia iviſſe*; cum, *auſpicii Principalis & Monarchici ineluctabilem jam cum immunente caſu luctam*; cum *pro miraculis monſtra ſucceſſiſſe* animadvertit: *donec tandem, qui partas Deo auctore victorias, in auctoris contumeliam exercere feſtinavit, in ipſo vecordiæ impetu corruit.* Hæc & talia plurima in oculis animisque habuere, Nobiliſſimum Par Juvenum, BROCKTORFII: cum eam, quam ante ſignavi, ad ſcribendum ſibi materiem deſumerent. ita ſtudiorum ſuorum repetitioni ac meditationi, ita exercitationi eloquentiæ, quæ civilem actum non ornat modo ſed animat, conſultum iri videbant. Equidem dum nobiſcum vixere, ita vitam ſtudiaque ſua gratiſſimi hoſpites inſtituerunt; ut inter ornamenta Academicæ Juventutis præcipua, communi ſuffragio amarentur, prorſusque judicarentur implere *Salluſtianum* illud, hujus ſæculi moribus valde antiquatum: *Non divitiis aut ſuperbia, ſed bona fama, factisque egregiis, nobilis ignobilem anteire debet.* Cumprimis autem hoc loco, exempli vice, commendari debet, quod hactenus in comparanda ſtili facultate poſuerunt ſtudium, uſi hac in parte tum *Ephori ſui, Viri doctiſſimi & præſtantiſſimi*, quem idoneum ad omnia honeſta ducem habent, conſilio; tum mea qualicunque opera. quam lubens ipſis & in ſpem publicam commodavi, magnaque voluptate, quibus ſubinde exercebantur, meditamenta inſpexi, & recitationes privatas audivi. Publicæ exercitationi, me impulſore, ſemel ac iterum aliquid deſtinaverant, compoſuerantque: ſed cum modeſtiæ partem crederent, cum aliqua cunctatione ad cathedram ſollennem accedere, tandem Curtiano uſi auſpicio, laudabili opera, domeſticisque, ut ita dicam, viribus, adornarunt

narunt ſcriptionem, die & loco, quem prædiximus, publicis auribus committendam. Ut auſcultandi gratia compareant, quibus commodum eſt, non exiſtimo conquiſitis rationibus impetrandum: ipſe qui Nobilitati debetur, favor; qui Academiæ, honor; qui virtuti & Doctrinæ, amor, ſatis valida argumenta ſunt. Quod ſupereſt. Deum precamur, ut Nobiliſſimam Brocktorffiorum familiam in decus ſæculi & ſolatium ſervet, geminumque ejus germen, quod Academiæ noſtræ fovendum commiſit, conſtantia virtutis ac bonæ mentis roboret, eruditione & ſcientia publice utili perficiat, vitaque & proſperitate gerendarum rerum cumulet. Propoſitum in Academ. Argent. XXVI. Martii, CIↃ IↃC XLII.

X.

QUi Hiſtoriam, præſertim univerſalem, quam vocant, ſerio tractere inſtituunt, eorum cognitioni atque obſervationi duo veluti capita παράλληλα offeruntur: *Eccleſiæ fata, ac Reipublicæ.* Non ſufficit, *propagatas gentes, condita imperia, bella, paces, cujusque ævi dinumerare: Religionis enim Pietatisque cultus, diſciplina, augmenta, detrimenta* ἐπίστασιν ἀρχιτεκτονικὴν atque talem in hoc ſtudio obſervationem habent, ſine qua de civili humani generis republica idoneum nequit judicium ferri. Quippe Divina Providentia, cum ampliſſime per humana omnia ſuas non diſpoſitiones magis quam monumenta advertentibus oſtendat: in Eccleſia tamen, ut in ſecretiore ſui operis officina, per compendium (ſi quidquam in tantis compendiarium eſt) quæri gaudet atque æſtimari. Quinimo pleraque in Civili Orbe ad Eccleſiam, tanquam ad centrum lineæ ſolent, vel deſtinatione, vel diſpenſatione, vel moderatione Divina referri animadvertet, qui conjunctim conſiderabit, quæ ſejuncta ne poſſunt quidem, niſi cum erroris periculo, conſiderari. Magno id exemplo tota nos docet pagana antiquitas. A qua fruſtra expectes ullius temporis Hiſtoriam Univerſalem: fruſtra Hiſtoriæ Univerſalis fructum petas. Ejus enim partem, quam diximus, alteram, non niſi ſub fabularum nube vidit,

dit, id est, quid aliud, quam ne vidit quidem? tum autem, qua videre jam remoto temporis ἀδήλῳ velo patefactum sacrarium poterat, superstitionis ipsa sibi, ne videret, velum crassum & perenne obduxerat. Quo factum est, ut τὸ πᾶν ἱστορίας καθολικῆς, ipsa Historiæ Universæ anima interciperetur, id est, *verum de universis judicium.* Nam particulas rerum, in proxima tractationis superficie, ut sic loquar, arbitrari, nec de connexione totius fati universè ullam suscipere cogitationem, fuerit forte animi plus justo terræ affixi: quæ nisi à cælo pendere jubeatur, chaos erit. Enimvero, ne nostra quidem tempora inconniventibus oculis intuentur ubique hanc lucem: negligentia hominum nunquam sibi plus indulgente, quam ubi maxima ad diligentiam & subsidia præsto sunt & invitamenta. Itaque, qui temporum seriem, gestorum memorias possint percensere, facile reperias: qui judicare de temporum gestorumque οἰκονομίᾳ queant, pauci erunt, quippe cum nec illi, qui speciosos Historiæ Universalis titulos profitentur, hanc viam, qua tamen nulla epitome carere debebat, curent insistere. Sed hæc forte alterius temporis disquisitio fuerit: nunc ad id, quod proposuimus, revertendum est. Volebam dicere, *Ecclesiasticam & Civilem Historiam, non modo universe & in contextu fati totius, in unam Prudentiæ institutionem conspirare, quod præcipua nimirum observationis est ac disciplinæ: sed in partibus etiam ac speciebus rerum, secundariæ sed utilissimæ comparationi locum esse.* Cujus unicum nunc exemplum produxisse, satis erit. *Seditionis in Republica, & Hæreseos in Ecclesia prorsus magna est similitudo: sive originem spectemus causasque, quibus exoriuntur; sive artes notemus ac instrumenta, quibus promoventur; sive exitum consideremus fatumque, quo plerumque comprimuntur.* Ambitione cœpit utrumque in terris malum Diabolus; calliditate promovit; audacia pertendit; donec pertendentem Majestas, quam oppugnavit, serius ocyus, semper autem & ubique graviter coërcuit. Majestas, inquam, Divina est quæ utrobique oppugnatur. Ea quoque, quæ Regum & imperiorum dicitur Majestas, potius Dei in Regi-

Regibus, in Imperiis, Majeſtas eſt. Itaque cum in favorem, regiæ imperatoriæque majeſtatis vindicandæ, multa ſeveritas, extra & citra humani fori conſuetudinem partim conceditur, partim commendatur: Divini in civili ſocietate characteris ſanctitas honorari exiſtimanda eſt. Nam qui arcana dominationis hic in ore & animo habent, invidiam & injuriam faciunt Majeſtati, quam non intelligunt. Ceterum ſicut Divina Majeſtas, illatam ſibi per latus hominum contumeliam, humanis ferme manibus & gladio, quem imperantibus tradidit, ulciſcitur: ita inſurgentes adverſum ſe hæreticos, ſuis utplurimum judiciis reſervat; neque tam ferro extirpari ab hominibus, quam conſtituti divinitus temporis caſibus vult relinqui. Verum de hoc argumento, *die Jovis, qui erit hujus menſis ſextusdecimus, hora VIII. matutina, publicæ & Academicæ exercitationis cauſſa* amplius diſſerent, *ornatiſſimi, Bonarumque artium & Linguarum ſtudioſi Juvenes*, JOANNES SCHMIDIUS, JOH. JOACHIMUS FRANTZIUS, *Argentoratenſes*; SAMUEL BROTHAGIUS, *Emmendingenſis.* Quorum primus, *origines cauſſaſque ſeditionum cum originibus cauſſiſque Hereſium*; alter, *ſeditionum artes, conſilia, inſtrumenta, cum Hæreticorum molitionibus*; tertius, *utrorumque exitum ac fata* comparabit, ac inter ſe invicem contendet. Exempli loco, *Catilinam* in Republica; *Arium* in Eccleſia, conſiderabunt. Occaſionem ſuppeditavit ille ipſe *Catilina*; quem *Salluſtio* memoratum diligenter legerant. Stilo utentur, quem ſicut à perfectione commendare, ſupra ætatem ſcribentium fuerit: ita lubentiſſime, ſuæ indoli decorique relinquere debui; felicem inſuper judicaturus in hiſce ſtudiis Academiam, ſi ad hoc exemplum, inficetam barbariem, quæ imperitis etiam ad oſtentationem placet, aſpernari diſcant, quotquot ad altiora ſtudia viam affectant. Si quis ſuo tempori ac negotiis non incommodum arbitrabitur, recitantibus favorem ac lubentiam aſpirare, præclaroſque ad majora conatus animare: is eadem opera partim teſtandæ erga Præclariſſimos egregiorum Juvenum Parentes benevolentiæ cultuſque, quem omnes,

præsertim communi illi Patrono, Parenti & Doctori, Magno Theologo SCHMIDIO, debemus, occasionem inveniet; partim prodendi erga utilissima Humanitatis studia favoris opportunitatem sibi datam intelliget. Vale, Lector Benevole, & pro incolumitate Inclytæ Nostræ Reipublicæ Academiæque, pia Christiano ritu animoque vota suscipe. Argentorati, XIV. Junii, cIↃ IↃC XLII.

XI.

JUcundissimæ philosophiæ comparatio est, qua præclari Scriptores, totarum civitatum fata, per fata singulorum hominum interpretantes, *Urbes quoque, ut homines*, dicunt *nasci, vivere, mori.* Nativitatem hominum, instituto à se matrimonio procurat DEUS OPT. MAX. Ex quo semel sollenne istud ab ore DEI carmen exiit, *crescite & multiplicamini & replete terram*; non defecit, nec deficiet, generationum & nativitatum series. quam Auctor suus mirabili sæpe, semper autem prudenti ratione, dispensat. Prorsus, ut in Urbium procreatione fieri animadvertimus. Ecce renato post diluvium orbe, auctaque denuo hominum multitudine, de coloniis deducendis moniti primo divinitus mortales, si Josepho credimus; mox, cum segniter parerent, insanoque interim substructionis Babylonicæ opere mallent occupari, compulsi sunt, in varias terrarum partes demigrare, urbibus originem, insulis cultum dare. His parentibus creatæ urbes; mox ipsæ parentes factæ; dum ad justam gentium magnitudinem & numerum, Orbis iste adolesceret. cujus vita, ut sic dicam, mutationibus alitur hactenus & mortibus. Modo in terra moritur civitas, ut in mari resurgat: modo truncatur in mari, ut in terra geminetur. Nunc in cineres subsidit oppidulum, ut è cinerum favilla veluti vento translata, alibi oppidum instauretur. Videas bello absumi urbes, ut ex absumtis, alibi nascantur gentes. Cui vicissitudini omnia elementa vel viribus suis vel casibus serviunt. Quis nescit, Ætneum ignem tota aliquando oppida evomuisse, dum incendia sua evomit? scilicet dum vicina vastavit, excitavit remota:

dedit

dedit locum, quibus ademit; atque quorum securitati invidit, eorum promovit incrementa. Sed nec officina rerum mirabilium mare, hic minus deprehenditur mirabile, cujus hieme & vastis fluctibus, non monstra sæpius belluarum, quam semina & genitores urbium involvuntur. Abi ad litora, atque naufragiorum spolia quære: & inter illa, novarum conditores urbium, veluti salutaria ejectamenta, salvere jubebis. Videbis, etiam in *Aëre* advolantem, Hircum illum præpetem, *cujus pedes non tangebant terram* (*Dan.* 8, 5.) & ad urbes magnas non comminuendas modo sed & condendas festinantem. Erit, cum subsultans *Terra*, non tam in exilium suos incolas excutiet, quam ad oppida statuenda ablegabit: quorum sedes ut ex voto occuparentur, sæpe prioris patriæ sterilitas admonuit. Ita nascuntur urbes, varia sui ortus occasione, varia parentum cōditione, varia genituræ sorte. nascuntur ex cadaveribus aliarum; nascuntur, ut fiant cadavera; nascuntur ad expectationem gentium; nascuntur præter opinionem hominum; nascuntur ad ætatis incrementa & decrementa. Igitur infantiam suam infirmitate, nec rarius ineptiis produnt: Adolescentiam ardore fatentur; Juventutem viribus ostentant; virilem maturitatem industria & dexteritate demonstrant; senium & senii incommoda plerumque dissimulare non possunt. Sic nascendo, sic vivendo discunt mori: serius an ocyus, nihil interest ad communem mortalitatem, & ad certissimam ejus mobilitatem. Quid mihi sæcula memoras? quid periodos ratiocinaris? quid tertii, quid quinti, quid octavi centenarii terminum infamas? Nondum evicisti, quos in humano ævo climacteres prædicas: &, si evicisses, exprobraret tibi illa ipsa comparatio, rei comparatæ ignorantiam. Nam invenio in homine dimensa valetudinis spatia, distinctas virium vices, & in communi ac ordinaria, ut sic loquar, habitudine, magnam ascendendi & descendendi æqualitatem: neque sic tamen certas temporum leges invenio. Quomodo igitur urbium temporibus tam definitas designabimus metas? Nonne

Nonne intervalla earum & vices à voluntatibus hominum dependent, quibus nihil eſt mutabilius, nihil inæqualius, nihil incertius? Corporis valetudinem & tempora, regit naturæ quidam tenor, ut non prorſus & ubique ſibi ſimilis, ita plerumque tamen ab exemplis ſui moris vix diſcedens. At vero ingenia hominum actusque, quibus civitatum duratio & vita temperatur ferme, in aſſiduæ mutationis varietatem eo usque patent, ut, quamcunque tibi regulam conſtituas, pauciora ad regulam quam ad regulæ exceptiones collecturus ſis exempla. Maneat iſta inter arcanas Providentiæ cœleſtis proviſiones notitia; nobis hactenus ſcire ſatis eſto, *Quod urbes aliæ ſubitâ, aliæ lentâ, omnes aliqua morte extinguantur; quod viam ad mortem ſæpe latentes morbi, ſæpe manifeſti, eſt & ubi perpetui præparent; quod cauſſas maturati aut dilati exitii plerumque una cauſſa intelligat, quæ ceteras moderatur; quod longe dignius ſit Philoſophi munere, vitam civitatis utiliter regere, quam mortis tempora curioſe definire.*

Præfari hæc libuit de illo ipſo argumento, quod Oratoriæ exercitationis ergo tractandum ſuſcepere Studioſi aliquot Juvenes; *quorum nomina cum argumento ſcriptura; Die Jovis (i. e. III. Novembris) hora VIII. matutina in ſollenni auditorio recitanda,* nunc publice indicamus. Primus enim JOH. JACOBUS BENTZIUS, Argentoratenſis, *de Nativitate Urbium*; *Alter* JOH. HENRICUS SCHATZIUS, *itidem Argentoratenſis, de Vita Urbium, verba facient: Tertius* ANTONIUS SCHMIDIUS, Wetteraviâ Feuerbacenſis, *Mortem Urbium cum morte hominum comparabit.* De indole eorum, poſſem ingenua & ſtrenua pleraque polliceri, ſi id agendum hic eſſet. Stilum non prædicabo ſupra captum & ſimplicitatem ejus ætatis, in qua pro effectu, conatus laudari poteſt. Malui ipſis relinquere ſua, quam adſuere aliena. Faciant potius jacturam ornatus, quam laboris ſui Eximii Juvenes: dum modo frequentius manum operi admovere, & publicæ luci aſſueſcere condiſcant. Quibus commodum erit, auctoritate, conſpectu, favore recitantes animare, illi breviſſimi temporis officium, quod Academici ritus obſer-

obſervantia commendat, & ſuccreſcentis cura juventutis ſuo quodam jure deſiderat, fortaſſe non male collocaverint, cum præſertim ex paucis & obviis, quæ dicentur, cuivis occaſio de multis & reconditis meditandi, ſubnaſci poſſe videatur. Equidem vivimus eo tempore, quo non tam de propaganda civitatum vita cogitare, quam aſſiduas mortes Urbium & funera lugere neceſſe eſt. Jacent ante oculos cadavera, proſpectant è ruinis feralibus paſſim buſta nobiliſſimarum urbium, quas in communi Patria non tantum vidimus mori, ſed ſenſimus. In tam triſti ergo tamque amplo cœmiterio, magnum ſcilicet & copioſum habemus de Urbium fato commentarium. Hic non ſufficit, exquirere geneſin, numerare ævum cujusque civitatis, diſputare de morbis, niſi quatenus una omnes peſtis corripuit, quæ ſatis intelligitur, etiam cum non nominatur: altius aſcendendum eſt, ſupplicique prece coram Deo agendum, ut, quandoquidem Germaniam noſtram, celebre olim tot urbium domicilium, nunc mœſtum earundem conditorium eſſe voluerit, piorum ſuorum reliquias, inter luctum ſæculi pæne contabeſcentes, in manſuram Urbem & novam colligat; ut tot ruinis unam imponat ruinam, quam ſoli poſſunt timere, qui perennis habitaculi quietem deſperavere; ut, ſi quid ad fatalem ſupremæ reſtitutionis terminum ſupereſt, ex cineribus interim & ruderibus mediis templa reſuſcitet atque tabernacula, in quibus nomen ejus laudetur, gloria adoretur, oracula ſemper audiantur. Sed nobis finiendum eſt. Vale Lector Benevole, & Urbem eam cogita, quæ nec naſci potuit, quatenus in Deo eſt; nec vitæ periodos numerat, quia in æternitate eſt; nec mortem admittit, quia in regno vitæ eſt. Propoſitum ARGENTORATI, 1. Novembr. cIↃ IↃC XLII.

XII.

MIra ſunt & mera ænigmata, quæ *de ave unice-unica* PHOENICE, ſcripſerunt magno numero veteres Theologi, Oratores, Poëtæ, Philoſophi, Græci Latinique. inter quos nota illa ſunt ex *Lactantii Phœnice*:

Hæc fortunata sortis fatique volucris,
Cui de se nasci præstitit ipse Deus;
Femina vel mas hæc, vel neutrum sit mage, felix,
Felix, quæ Veneris fœdera nulla colit.
Mors illi Venus est, sola est in morte voluptas,
Ut possit nasci, hæc appetit ante mori.
Ipsa sibi proles, suus est pater & suus hæres,
Nutrix ipsa sui, semper alumna sibi.
Ipsa quidem, sed non eadem, quia & ipsa, nec ipsa est:
Æternam vitam mortis adepta bono.

Cui ænigmati ut aliquid lucis possit conciliari, dignus est, qui huc adscribatur *Clementis Romani locus, ex epist.* I. *ad Cor.* nondum ille quidem in vulgus notus, quippe ex monumento nuper reperto. Ἴδωμεν τὸ παράδοξον σημεῖον τὸ γινόμενον ἐν τοῖς ἀνατολικοῖς τόποις, τουτέστιν τοῖς περὶ τὴν Ἀραβίαν. ὄρνεον γάρ ἐστιν ὃ προσονομάζεται φοῖνιξ. τοῦτο μονογενὲς ὑπάρχον ζῇ ἔτη πεντακόσια. γενόμενόν τε ἤδη πρὸς ἀπόλυσιν τοῦ ἀποθανεῖν αὐτὸ, σηκὸν ἑαυτῷ ποιεῖ ἐκ λιβάνου καὶ σμύρνης καὶ τῶν λοιπῶν ἀρωμάτων, εἰς ὃν πληρωθέντος τοῦ χρόνου εἰσέρχεται καὶ τελευτᾷ. σηπομένης δὲ τῆς τετελευτηκότος σαρκὸς, σκώληξ τις γεννᾶται, ὃς ἐκ τῆς ἰκμάδος τοῦ τετελευτηκότος ζώου ἀνατρεφόμενος, πτεροφυεῖ. εἶτα γενναῖος γενόμενος αἴρει τὸν σηκὸν ἐκεῖνον, ὅπου τὰ ὀστᾶ τοῦ προγεγονότος ἐστιν. καὶ ταῦτα βαστάζων, διανύει ἀπὸ τῆς Ἀραβικῆς χώρας ἕως τῆς Αἰγύπτου εἰς τὴν λεγομένην ἡλιούπολιν, καὶ ἡμέρας βλεπόντων πάντων ἐπιπτὰς, ἐπὶ τὸν τοῦ ἡλίου βωμὸν τίθησιν αὐτὰ καὶ οὕτως εἰς τοὐπίσω ἀφορμᾷ. οἱ οὖν ἱερεῖς ἐπισκέπτονται τὰς ἀναγραφὰς τῶν χρόνων, καὶ εὑρίσκουσιν αὐτὸν πεντακοσιοστοῦ ἔτους πεπληρωμένου ἐληλυθέναι. *Consideremus signum admirabile, quod in Orientalibus locis sive in Arabia accidit. Avis est, quæ appellatur Phœnix: ea sui generis unica est & solitaria, vivitque quingentos annos, cum autem animadvertit suum finem instare, ipsa sibi loculum facit ex thure & myrrha aliisque aromatibus; revolutoque tempore ingreditur in eum & moritur. Soluta deinceps in putrefactionem carne, vermis inde generatur, qui ex humore defuncti animalis nutritur, plumescit, robustiorque factus tollit illum loculum, ubi ossa parentis sunt, & portans ea ex Arabia in Ægyptum,*

ptum, in civitatem Heliopolim pervolat, claroque die in conspectu omnium advolans super aram solis illa ponit, atque ita remetitur prius iter eo, unde venerat. Sacerdotes ergo inita ratione temporum, ex illa observatione inveniunt, quingentesimo quoque anno expleto avem illam venisse. Accommodatur postea hæc narratio ad resurrectionis mysterium: cujus symbolum & alias sancti Patres à Phœnice crebro desumserunt. Præsertim autem admirandam de Christi Jesu Servatoris Persona, naturis, officio θεολογίαν, hac imagine, tanquam emblemate, subinde illustratam est videre. Licet autem multos moverit & numerus & auctoritas scriptorum, qui talia de Phœnice tradiderunt, ut pro historia mallent complecti, quam pro fabulis aspernari: consensu tamen doctorum obtinuit, *fabulosam avem esse Phœnicem.* sub quo elogio etiam diligentissimus vir *Ulysses Aldrovandus in specioso opere Ornithologico* eum annotavit. Verumenimvero, cum epistola illa *Clementis* esset reperta, non parum ponderis visa est habere viri Apostolici auctoritas. quare doctissimus *Patricius Junius*, primus tam memorabilis monumenti Editor, *in notis*, quas adjecit, denuo pro veritate Historica Phœnicis pronuntiavit. Cui tamen, & simul iis, qui propterea abjudicant Clementi illam epistolam, pro solita moderatione & prudentia obviam ivit *Gerardus Joannes Vossius, in Physiolog. Christ. lib. 3. cap. 99. cum necesse non sit credere, Clementem scivisse omnia quæ facerent ad arcana naturæ.* Nos & hanc annotationem, & in universum eorum sententiam amplectimur, quibus fabula videtur, illa de Phœnice θαυματολογία dicam an *αἰνιγματολογία.* De cetero Clementis epistolam censemus non exigua æstimatione dignam, etiamsi de auctore certa asseveratione designando, sustineatur interim sententia. Unde porro tam contestata opinio & communis fama, quæ tot viris magnis imposuit, originem traxerit, & an ex hominis alicujus historia, ut sæpe factum est, fabulare commentum, an vero aliunde exortum sit, altioris est conjecturæ, cui nunc indulgere non possumus. *Scaliger exercitat. 233. de* Indica ave *Semenda* conjecit, atque ita autumavit: *Phœni-*

cem haud esse penitus fabulosum, legimus in commentariis navigationum, in mediterraneis Indiæ reperiri. Semenda vocatur ab incolis. Inciderunt autem in hoc argumentum tres ornatissimi Juvenes, magisterii Philosophici, quod vocant, candidati, illamque exercitationis Academicæ materiem delegerunt. Dicturi ergo sunt die crastini hora VIII. matutina in auditorio majori hoc ordine: JOANNES JODOCUS SCHELLIUS, *Argentoratensis* ostendet, *quid veri simile habeant, quæ de Phœnice traduntur, sive qua fidei specie uti videantur*; IMMANUEL ECKHARDUS, *Sesenheimensis, refutatis, quæ in speciem adferebantur, mendacium rei & fabulam arguet*; ISRAEL SPACHIUS, *Argentoratensis, quos vel ad elegantiam vel ad doctrinam usus habuerit illa traditio de Phœnice, aut habere possit, declarabit.* Quibus commodum erit, recitantes auscultare, illorum prudentia & meditatio hac occasione, gravioribus leviora facile supplebit. Sunt illustria, nec pauca argumenta, quibus Phœnix noster accommodari potest. Ne dicam de ceteris, quam convenienter juvatur consideratio *de Heroibus* tali comparatione? Hi sunt Phœnices humani orbis, nisi Herois appellatione minus excelse, quam par est, utamur: hi incomparabiles sunt, & plerumque sine pari, sine socio; hi ad cœli momenta, id est, ad altioris instinctus moderamina, moventur diriguntur que; hi non semper, sed ominosis tantum magnisque temporibus veluti cœlo missi apparent: horum genitura, indoles, vita, exortus, omnia admiranda sunt. ex horum rogo, busto, cineribus, ossibus, aliquando subnascitur Heroica proles; Deo nimirum fata Heroicarum familiarum, & successionum miracula resuscitante. Hi ex orientalibus locis proveniunt: quia divinior indoles è cælo emicat. hi sepulcrum sibi & conditorium ex aromatibus extruunt: quia omni odoramento & aromatibus fragrantior est virtutum spiritus, inter quas & per quas mori, quibus immori solent, ut vivant. Hi sunt Phœnices, & prodromi unius Phœnicis. qui illos per millenarias, & quingenarias & centenarias periodos disponit, donec expleto magno hujus ævi morta-

mortalis anno, appareat ipſe ille unus & unicus Phœnix, & inſtauret annum ſine anno, ſæculaque cum orbe toto aboleat, ut nova civitas, nova terra, novum cælum, Phœnicia, ut ſic appellem, miracula, omnibus piis æternum ſpectanda, tractanda præbeant. Hæc & ſimilia ſuppeditabit nobis tota Chriſti hiſtoria, Chriſti nativitas, vita, paſſio; quam præſertim nunc ſollenniter & publice meditamur. Neque enim averſatur Deus talia Chriſtianæ pietatis inventa & ſymbola: quinimo ſtatuendum firmiter habemus, *nullam eſſe occaſionem negligendum, qua ex quovis argumento argumentum noſtrum faciamus, id eſt, Phœnicis noſtri myſteria (pie tamen ubique & caute) contemplemur, interpretemur, balbutiamus, etiam obſtupeſcamus.* Perſcriptum Argentorati, XXIII. Martii, Anno Chr. CIↃ IↃC XLIII.

XIII.

EST inter exempla rarioris induſtriæ & celebritatis Academicæ publice numerandum prædicandumque, quod in pertractandis C. *Cornelii Taciti annalibus*, mecum ſuperioribus menſibus collocavere ſtudium, Generoſi florentiſſimique Juvenes: qui ex variis terrarum oris, ad ſuum decus & ſpem ſæculi, huc veluti in eximiarum curarum laborumque palæſtram confluxerunt. Excitabatur ipſa difficultate graviſſimi Auctoris, diſcentium alacritas: quam contentio ſuſtentabat, æmulatio pulcri profectus magis magiſque accendebat, cultura denique eruditionis & ſollertioris judicii, non temnendis ſucceſſibus remunerabatur. Quorum ſpecimina hactenus inſignia publicis ſplendidiſque conſeſſibus præbuere, inſtitutæ feliciter de nobiliſſimis argumentis diſſertationes & collocutiones; præcipua laude hic memorandæ, niſi in recenti Academiæ noſtræ memoria verſarentur, atque alibi notitiæ publicæ forent à nobis commendatæ. Cum præſertim ad novæ laudis prædicationem nunc manum noſtram calamumque invitet, duorum è præcipuis Commilitonibus ſtrenuum & ſingulare circa prædictas occupationes ſtudium. Sunt ii Nobiliſſimi Juvenes, HERMANNUS SAMSONIUS,

Livonus; VITUS LUDOVICUS à SECKENDORFF, Eques Francus. Qui, cum hactenus omni virtutis genere ac litterarum flagrantiore studio ad palmam & decus exsplenduissent, alter (SAMSONIUS) etiam in publico eruditionis præclaræ, alibi quæsitæ, apud nos amplificatæ, suscepta feliciterque propugnata commentatione in VI. VIIque *caput lib.* I. *Annalium*, speciosa documenta edidisset: nunc profectui prudentiæ, uterque exercitationem *Eloquentiæ*, ex illo ipso Tiberii Principatu, quem publicæ prælectionis argumentum, sicut cœpimus dicere, delegeramus, destinarunt adjungere. Quibus ignota essent Nobilissimorum Juvenum ingenia, magnum, ni fallor, notitiæ atque commendationis argumentum, ex hac ipsa judicii consiliique cordata rectitudine possent desumere. Quam usitatum enim plerisque est, divellere illa studia, sive potius utraque negligere: tam certum inter doctos omnisque ævi auctoritate testatum est, non valere in præsentes vitæ usus & graviorem in rep. actum, nisi indivulso copulatas nexu, *civilem sapientiam & civilem eloquentiam*: quæ propterea si non una voce appellari, certe sub una vi comprehendi debent ac intelligi. Sed nimirum oppido pauci æstimant sacrum illud vinculum, quod naturæ societatique humanæ Deus, tanquam fatale & æternum pignus, intimæ religionis cærimonia commendavit. Aliqui & contemnunt; ut plerumque ignorantiæ comes est arrogantia: *dum homines noluisse videri volunt, quod assequi nequiverunt*. quod arcanum impudentiæ, nonnemo Veterum observat dicam, an arguit. Sed nobis nunc cum bonæ mentis Juvenibus, res est; & de iis sermo. Delegerunt sibi civilis eloquentiæ exercendæ, argumentum, quod *Priores VI. Annalium Taciti libros*, id est *Principatum Tiberianum*, sicut antea monui, exhauriret; forma scriptionis hunc in modum ordinata: ut è *duabus orationibus*, *Prior* SAMSONIANA, TIBERII LARVATI *simulacrum*, sive *Rationem status*, quam vocant sequiores, *specioso vultu adornatam ex mente & scopo Tiberii ostentaret*; *Altera* TIBERII REVELATI *formam* sive *Rationem*

nem status aperta facie deprehensam prostitueret. Fuit Tiberius singularis simulationum ac dissimulationum omnium artifex summusque fraudis civilis & sophismatum in gerenda republica architectus. cumque nihil non ex tyrannico more consilioque ageret, vitia tamen sua sub virtutum specie occultabat. unde illa Historicorum judicia: *eum virtutibus & vitiis ex æquo usum, tanquam si alterutris operam tantum dedisset.* Pro quo potius dicendum erat: *virtutum simulatione veluti larva obtectum, denique in scelera & dedecora prorupisse.* sicut rectissime *Tacitus* judicat, fine *Sexti Annalis*: ubi *tempora* potius *morum diversa*, quam duplicem indolem, quod alii faciunt, in eo agnoscit. *Morum*, inquit, *tempora illi diversa: egregium vita famaque, quoad privatus, vel in imperiis sub Augusto fuit: occultum & subdolum fingendis virtutibus, donec Germanicus ac Drusus superfuere; idem inter bona malaque mixtus, incolumi matre: intestabilis sævitia, sed obtectis libidinibus, dum Sejanum dilexit timuitue: postremo in scelera simul ac dedecora prorupit, postquam remoto pudore & metu suo tantum ingenio utebatur.* Nos, ex loco multæ profundæque meditationis nihil aliud nunc, quam propositum illud Tiberianum consideramus: cum libidinem animi & ingenii sui pro suprema ratione habens, nihil illicitum, quod explendæ dominationi; nihil turpe, quod aliquo colore involutum; denique omnia, modo clam, modo palam, tyrannidis impotentiæ accommodanda aut indulgenda crederet. Id egit, cum sub schemate cultuque Principalis officii, opera tyrannorum faceret: id egit, cum remoto velo, ne famam quidem tyrannidis expavesceret. Ceterum illa posterior Tragœdiæ pars, nihil nisi luctu & sanguine theatrum implevit: priores fabulæ actus, multa specie, ornatu, gravitate præfulserunt. itaque non ut fabula & sub persona res actitari plerisque videbatur: sed serio Principis veroque actui competere credebantur, quæ tanta arte in nativæ decus formæ Romanus imperator concinnaverat. Plane sicut ii facere solent, qui omnem prudentiæ actusque civilis summam, *Ratione* quadam *status* sequioribus annis metiuntur. Quod vocabulum

lum si, quid portendat, exquiras; totam tibi pulcerrimarum rerum & decore splendidi spectaculi scenam instruent, ne quid *ad salutis supremæ legisque majestatem, ad interiorem & sacratam actus imperatorii prudentiam, ad sollertiam publici compendii, ad universam denique status intendendi, firmandi, locupletandi, ornandi artem*, desiderare possis. Verum si ex ipso postea actu eventuque, id est, ex proprio interpretationis politicæ fonte, singula investigaveris, apparebit hanc esse unam horribilis illius arcani legem; *supremæ legis titulo, quidquid ad utilitatem dominanti aut libidinem placuit, involvere; nihil pensi moderatique habere, justitiam postponere, honestatem deserere, æquum & bonum ultro negligere; nihil illicitum, quod fructuosum, putare.* Hæc commenta, vaframenta, artes, aulam Tiberii tanquam sedem & patriam præcipuam agnoscunt: indeque adeo fit, ut exemplum Tiberiani Principatus à Tacito deformatum, veluti regula aulicæ politicæ, contra mentem Taciti, à plurimis *dominationum magistris*, quos præter Latinorum consuetudinem *Statistas* multi vocant, passim arripiatur. idque ipsum *tacite* ac *dissimulanter*: ne quid minus ex decoro artis, hic geri videatur. Quo pertinet etiam nuperum exoticæ calliditatis inventum: cum de *extraordinaria Prudentia*, quam honesto titulo appellant, sive *de ratione status* non quidem scribere, sed scripta edere desinunt: atque in fatalibus & secretis libellis circumferunt furoris Pythici oracula; exemplo scilicet Florentini veteratoris cautiores facti; & sub ænigmate rem felicius gesturi. Hinc ergo *Ratio illa status*, si denuo quid sit interroges, non immerito vocabitur à nobis: *larva Dominantium*; *histrionia aulicorum*; *virtutis ludibrium*; *conscientiæ scopulus*; *sagena populorum*; *rete urbium*; *Pacis lolligo*, *armorum ærugo*; *tabes sæculi*; *mysterium iniquitatis*; *tormentum religionis*: denique quid dicam de eo, quod est NIHIL, & est OMNIA? Unum illud nobis propositum est, ut Juventuti studiosæ, subinde monita cautionis & Prudentiæ, contra irritamenta calliditatis suggeramus. Quo etiam *Orationes illæ duæ, ad quas crastini VIII. matutina, loco sollenni audiendas* ipsa *Nobilissimorum Ju-*

venum,

rerum, qui perorandi provinciam in ſe recepere, virtus & doctrina, utriusque decoris amatores invitat, unice ſpectabunt. Quippe cum veram ſtudiorum publice ſalubrium viam cordate prudenterque pridem inſtitiſſent, & hactenus proſpere decurriſſent, hac occaſione *induſtriæ ſuæ ſpecimen* publicabunt. Et Alter quidem, ut ſupra cœpimus dicere, exemplo Tiberii declarabit, *quibus coloribus, qua ſpecie, Ratio prava ſtatus in aulis elaborata extra aulas ſoleat oſtentari ; & quam ſolicite præferantur illi tituli : Omnia ad vim Principatus dirigenda eſſe ; in qua ſit tutela regnorum : igitur Principes inſtar Deorum habendos, omnemque irreverentiam & audaciam erga ſumma faſtigia legibus, viribus, ordinariis extraordinariis rationibus, diſtricte, acriter, & ubi res poſtulat, atrociter vindicanda ; auctoritati ſervien̄dum juxta & tempori, & utriusque ingenio accommodandas agendi artes ; quo recto curſu perveniri nequitum eſt, obliquo tramite incedendum ; admittendas neceſſitatis aut utilitatis cauſſa fraudes, diſſimulationes, odia, amicitias ; denique utilitatem ſtatus pro præcipua ſtatus ratione agnoſcendam.* Alter oſtendet : *fruſtra præferri virtutum nomina & ſpecies, adhiberi verborum magnificentiam, laudari jura, jactari religionem Principatuum ; ubi omnia ad explendas tyrannidis & infinitæ dominationis libidines referantur ; neque συνυπόκειτιν πολιτικὴν & laudabilem illam extra regulæ ordinem Prudentiam, quam neceſſitas aliquando ſuadet, nec honeſtas damnat, cum κακοπραγμοσύνῃ & prava calliditate confundendam eſſe.* Ceterum ſicut ſcripſerant, ita recitabunt : i.e. ſua, proprioque Marte elaborata ; neque alienis inſertis interpolata, aut compilatione locorum communium vane adornata. Etiamſi enim omnia, ad exactam ſcribendi normam limata non erunt ; talia tamen judicavi, quæ ingenii & eruditionis præſtantiam abunde poſſent declarare.

Script. Argentor. XXVII. Septembr. CIↃ IↃC XLIII.

XVI.

NOn abſurdum eſt, inter medios bellorum tumultus de Pace meditari, loqui, ſcribere : cum vel ſola iſta ratio ſit, quæ calamitatem temporis & tam diuturnam boni inter humana bona præcipui abſentiam ſolari quodam-

 modo,

modo, reſtrictumque argumento ſæculi & conturbatum animum poſſit relaxare. Effecit hæc ipſa cogitatio, ut ad diſſimillima noſtris tempora reſpicientes, lubentiſſime ſubſiſteremus in contemplatione *Pacis*, qualem non uno nomine fas eſt dici incomparabilem: cum ſub Auguſto Imperatore, omnium inter ſe gentium aut pax aut pactio eſſet. Etenim Auguſtus, cum ruentem in deteriora & procumbentem inteſtinis vitiis rempublicam, non ſine maxima rerum converſione, totiusque, quod perite *Florus* judicat, corporis agitatione, in novum ſtatum formamque ordinaſſet, atque libertatem degenerem ac licentia præcipitem, præſentaneo μοναρχίας remedio aboleviſſet: ſtatim conſilium cepit conſervandæ per longiſſimum tempus pacis; cujus manſuetudine ac tutela, terrarum orbis membra in unius corporis firmitatem coaleſcerent. Videbat Prudentiſſimus Princeps, nulla imperia eſſe ſtabiliora, quam quibus non indelectantur ſubjecti: itaque dulcedine otii imbuendos cenſebat animos, tot bellorum jam pertæſos, omnemque armorum culpam in auctorem novi ſtatus rejecturos. Videbat, crebris bellorum motibus, etiam cum feliciter & ex voto ceſſit victoria, aliquid de robore aut partibus Imperii decerpi, imminui, aut labefactari. Videbat, neminem citius periculum incurrere, quam qui ſæpius periculoſam militiæ aleam cum fortuna ludere audet. Videbat, boni moris diſciplinam, unicum & veriſſimum imperiorum vinculum, nec formari inter armorum ſtrepitus, neque regi ſatis poſſe. Quo accedebant altiores de fato & regnorum fortuna cogitationes, quæ ſuadebant procurrentis imperii curſum coërcere, neque magnitudine nimia potentiæ, diſſolutionem vaſtæ ac inhabilis molis ultro arceſſere: nihil in rerum natura, nihil in humanis opibus, cum exceſſit modum, eſſe durabile. De tuendis pace, quæ bello parta eſſent, nunc cogitandum eſſe; firmandos imperii terminos; concludendam intra tutos receſſus potentiæ amplitudinem: famæ ſtudendum denique, quam vel minui apud poſteros, ſi nihil niſi bella præferret; vel lacerari eſſet neceſſum, ſi pacis

pacis artibus videretur caruisse. Veniebant in partem talium curarum callidiora quædam, atque, ut nihil in gentilium consiliis usquequaque sincerum est, ex dominationis vafrამentis exorta, qualia erant ista: exarmare prætextu pacis Italiam, emollire & quasi enervare otio tumidos bellicosarum gentium spiritus; servitutem tanquam frenum orbi terrarum, tranquilla quadam violentia, ut sic dicam, magis magisque inducere ac imprimere. Talibus ferme sui propositi rationibus nitebatur Augustus, cum pacem illam longam & magnam imperio suo terrisque indulgeret. At vero *Augustam* sive *Augusteam pacem* non ea tantum parte debemus considerare, qua Augusti est: sed oportet insuper attendere superioris auspicii consilia, quatenus à sanctiori auctore, diviniori quodam modo, *augusta pax* est, & merito appellatur. Longe enim alia, longe graviora sunt; quæ sub hac pace, divina moliebatur Providentia: in cujus sanctissima consilia si quis velit, quia pie licet ac decet, inquirere, multam profundamque meditandi observandique occasionem reperiet. Voluit Augustus ad fastigium potentiæ evehere Romanum imperium; voluit & Deus: sed diverso uterque consilio. Augustus famæ celebritatem quærebat & amplificationem Romani nominis: Deus gloriàm Christi sui & Christiani nominis incrementa spectabat. Deus, cum in terras missurus esset, novo & singulari missionis genere, *Principem Pacis*; arma passim omnia jussit conticescere: Deo jubenti, cui obediunt omnes creaturæ, paruit cum creaturis omnibus Augustus: quanquam ita paruit, ut cui pareret, & an pareret, non satis animadverteret. Sentiebat animum suum bellis triumphisq; innutritum, subito & arcano instinctu ad pacem inclinari: sed inclinantem illam vim nec intelligere volebat, nec audebat detrectare. * Interim nascitur cum sua Pace, Pacis auctor & origo unica; Pacisque nuntios & legatos per orbem parat dimittere. Exit sonus Pacis in omnem terram: & pro tubarum clangore, Evangelicæ prædicationis suavitas passim aures animosque permulcet: pro exercituum

& copiarum agminibus, speciosi pedes anuntiantium Pacem perambulant montes, qui subsidunt; valles, quæ assurgunt; populos, qui mitescunt; regiones, quæ beantur. Mirantur sæculi mansuetudinem & fatalem rerum conversionem, mirantur, inquam, sed non capiunt Romani sapientes: interim tamen, quasi caperent, quod mirabantur, canunt Augusto laudes, instruunt Panegyricos: *Tibi*, inquiunt, *Auguste, ridet terra, floret ager, lucet cœlum; tibi maria navigantur, habitantur urbes, tibi pax & opulentia & securitas ludos quotidie & spectacula facit.* Quæ, cum similibus, soli debebantur *Pacis Principi*; qui Augusti animum ad amorem pacis temperaverat, qui Augusto vires ad restituendam pacem suppeditaverat: qui terrenæ pacis symbolo æternæ pacis dulcedinem figurare destinarat. Delegerunt hoc de PACE AUGUSTA argumentum, de quo in publico aliquid dicerent, florentissimi duo Juvenes, laudisque ac honoris, qui ex litteris petitur, candidati valde industrii, JOANNES SCHILLING, Argentoratensis, & ANDREAS FüRNSTEIN, Austriacus. Si cui erit commodum, *Die Lunæ proximo, hora VIII. matutina* recitantes audire: is ex *prioris* oratione percipiet, *quid humanorum ac civilium consiliorum habuerit pax Augusta*; alterius oratio, *quantum divinæ habuerit ea providentiæ*, brevissime conabitur indicare. Vale Lector Benevole, & de observantia studioque erga Te nostro optima quæque Tibi pollicere. Scribebam Argentorati, XXIII. Martii, Anno Chr. CIϽ IϽC XLIV.

XV.

DIvinum quid in terris esse *Regnum, Regesque* quasi quosdam inter homines Deos, omnium gentium ætatumque asseveratione traditum est. Sed divinitatis ejus nec originem, nec vim, nec symbola penetraverunt illi, quibus ipsa divinitatis veræ summæque mysteria nunquam patuerunt. Sane, ut in multis aliis, ita in hac ipsa re, quidam divinitatis sensus etiam gentilium, Deumque ac divina ignorantium, animos pertentavit: eoque adegit, ut de veneranda eximie Regni Regumque majestate serias cogitatio-
nes

nes susciperent. Infudit, inquam, in oculos animosque hominum, suam lucem Regia Majestas; & augusto se, usitatæque dignitatis modum supervecto honore monstravit. sed præsentius erat tanti splendoris lumen, quam quod oculi divinitus non illustrati recto obtutu intueri possent. Hinc varia cæcutientium aberratio; dum quidam *parem divino fastigio sublimitatem rati*, per consecrationes, & cultus humanam sortem penitus excedentes, sua commendare obsequia student; alii, par superstitioni vitium, adulationem induentes, quicquid ad inflandos Regum animos pertinere potuit, comminisci instituunt. His maculis non vacant pleraque, quæ apud profanam antiquitatem ocurrunt: ita tamen, ut in tenebris etiam, vestigia lucis appareant. Talia sunt, cum *Homerus*, *sceptrum* à Jove deducit, ut Agamemnoni suo tradat; cum Scythæ per *solium regium*, tanquam sanctissimo juramento, apud *Herodotum* jurant: cum insignia regni cætera vario more rituque, sed ubique tamen ut symbola divinitatis regiæ admirantur, colunt, prædicant Gentiles. Et quam subtilia sunt, ac divinum quid conantia, quæ de *auspicio regio*, *de fortuna Regibus propria*, *de fatis regiis*, *de majestate & sanctitate regia*, passim philosophantur Scriptorum nobilissimi? Negari non debet, adulationis ab initio voces fuisse, cum *divinitatis titulos* Principibus aulica obsequia admetirentur; cum *divinas occupationes*, *divina edicta*, *divina* denique *omnia fortunæ actusque Principalis instrumenta*, ipsosque imperatores *sanctissimos ac divinissimos* dicerent: sed retinuit postea, imo & auxit Christianorum pietas verborum honorem, sustulit autem ejuravitque adulatoriam superstitionem. Deum scilicet ista in Regno celebrant; non autem Reges Deo æquant: & quod adulatio olim sine affectu & ratione enuntiaverat; quod superbia præter rationem, affectu immodico, sibi vendicaverat; postea ratione fulta modestia & obsequium pietate informatum, verbo tenus non abrogavit, sensu autem toto emendavit. Quanquam cum de se ipsi ita loquuntur Principes, quis neget nimium esse? nisi quod alienæ manus ministerium, quod inter-

tervenit oraculis Principalibus, sui potius obsequii respectu. quam ex voto Domini longius evectum, invidiam omnem mitigat aut abscondit. Et datur hæc venia iis Prudentum consiliis, quæ *αὐτεξέσια σκῆπτρα* · *plenitudinem regiæ potestatis, nulli mortali submissam fastigio, auctoritatem imperii inviolabilem, securitatem gentium ac salutis publicæ tutelam*, divini splendoris sed Deo cæloque orta efficacia terris cupiunt conciliare. Denique & Prudentia suis inventis artibusque; & pietas suæ religioni meditationique hinc argumenta, fulcra, robora, colores petere potest: suntque adeo utroque sensu, e.g. symbola regni & insignia, *θεῖά τινα, καί τινων ἀῤῥήτων μυστηρίων εἰκάσματα*, ut *Nicephoro Castillo* dicuntur. & *Nicephorus Gregoras*, affectu non minus Christiano ait: *τὰ τῶν βασιλέων κειμήλια ἔνθεα εἶναι, καὶ οἷα χρεὼν ὑπὲρ τοὺς πολλούς. regum ornamenta & insignia divini quid habere, atque merito supra captum vulgi posita existimari.* Ceterum cum nulla re magis Deum imitari divinamque præstantiam quodammodo repræsentare se posse cernerent Principes, quam virtutum illustri splendore actuque: cognomentis virtutes varias præferentibus sua edicta, litteras, tractatus insigniverunt. Itaque passim cum nominibus comparent præscripta omnis, quæ ex honestate petitur, laudis elogia: *Εὐσεβεῖς, ἀγαθοποιοὶ, εὐεργετικοὶ, μέγιστοι εὐεργέται, εἰρηνικοὶ, ἡμερότατοι, ἀμνησίκακοι, ἐμφρονέστατοι, φιλόγενεῖς, τοῖς ἀδικουμένοις σωτῆρες, Pii, Benigni, Munifici, Maximi Benefactores, Pacifici, Mansueti, Injuriarum immemores, Sapientissimi, Nobilitatis amantes, Liberatores afflictorum*; aliaque his similia; quæ posteriores Orientis Imperatores una *Pietatis* laude complexi, *πιστοὶ ἐν Χριστῷ βασιλεῖς, fideles in Christo imperatores* se præscribebant. Atque, ut omnia augustiora viderentur ac diviniora, suam quandam & propriam adscripsere Regibus Regnisque Fortunam, peculiaremque Divini numinis in sceptra favorem *Fatorum Regiorum* elogiis honestarunt. Hinc *εὐτυχεῖς, νικηταὶ, τροπαιοῦχοι, Felices, Victores, Triumphatores*, non tam eventuum felicium, quam ipsius Fortunæ Regiæ, quæ tales Regibus eventus pollicetur aut gratificatur, celebrationem spirare

ſpirare & loqui videntur. Omnia autem illa, quæ de Majeſtate Regia, de Virtute Regia, Regiisque fatis hactenus diximus, complectitur incomparabile & vere Imperatorium nomen *Auguſti*, quod apud Romanos Principes, non ſine omine faſtigii, cui nullum eſſet aliud ſimile, remanſit. Nam qui autumant, Romanos Imperatores majeſtatem nominis Regii non ſatis intellexiſſe, quod alio potius quam hoc dici maluerint, illi nec prudentiam ejus conſilii ex hiſtoria meminiſſe, nec ſanctitatem nominis *Auguſti* ſatis reputare videntur: quod ſupra Regis titulum quodammodo aſcendit, ex quo Deus Imperatorem & Auguſtum eſſe voluit Romanum Principem, i. e. ex quo fecit eum tot Regum dominum, tot Regnorum moderatorem. certe comprehendi ſub iſta appellatione *Regis* elogium, nimis quam manifeſtum eſt. Unde cum Græci ἀυτοκράτορα ſuum, interdum βασιλέα interpretarentur, non auxerunt virtutem tituli, ſed ſublimioris vocabuli eminentiam populari & ad captum faciliori nomine aliquatenus declararunt. Cujus rei conſiderationem pauló accuratiorem non admittit hæc pagina: quæ nihil aliud quam præfationem ſibi propoſuit ſuper *exercitatione Academica oratoria*; qua REGNUM DAVIDIS, quatenus tam gravis argumenti tractatio in hanc ætatem & ſtudiorum mediocritatem cadere poteſt, delineandum ſibi ſumſerunt, egregii juvenes, & non unis hactenus ſpeciminibus noſtræ Academiæ noti probatique, PAULUS REICHARDUS, JOH. JACOBUS GAMBSIUS, JOH. ULRICUS FRIDIUS, *Argentoratenſes*. Et primus quidem *Majeſtatem Regiam*, in Davide divinis quibusdam radiis explendeſcentem, venerabitur: Alter *Virtutis Regiæ* harmoniam concentumque in Davide celebrabit: Tertius *Fatorum Regiorum* obſervationem è regno Davidis meditabitur. Nimirum, quidquid in univerſa philoſophia Regia vel illuſtre, vel ſubtile, vel memorabile occurrit, ex Sacris Scripturis Sanctiſſimorumq; Regum exemplis, ante omnia petendum eſt. Fulget equidem in omnium regum capitibus honor diadematis; aut, ut propius ad noſtrum propoſitum

positum loquamur, omnibus impressa est Regnis Regibusque quædam divinæ majestatis imago, & ille character amplitudinis, quæ Majestatem in imperiis repræsentat: sed in sanctis tamen, Deoque peculiariter electis ac dilectis Regibus, radio haud dubie districtiore micat, quicquid divini est in majestate. Jam virtus, ut vere Regia sit ac dici possit, non assimulata specie æstimanda, quod Politicorum profanissimi nec nostra quidem ætate erubuerunt tradere; neque etiam solo naturæ magisterio informanda est, quod Gentilibus olim placuit: sed divinæ legis norma requiritur, ut ad honesti mensuram exacta & regis animo fortunaque digna procedat actio. Denique fatorum Regiorum casus & exempla, non deesse quidem possunt in ullius Regis historia: sed in sanctorum Regum imperiis, divinæ occupatio providentiæ, ut in theatro interiore, penitius potest introspici, eoque condisci plenius. Sicut è Davidis regno luculentissimis apparet speciminibus: quem Deus & summis regiisque virtutibus ornavit; & domi forisque veneratione majestatis præmunivit; & fatis ingentibus, arduisque per utramque fortunam casibus vicibusque exercuit. Quæ si cui placet, *die Jovis proximo, i. e. I. Augusti, hora VIII. matutina*, ex ipsis publice dicturis adolescentibus loco consueto audire, eum præter hoc qualecunque à me factum indicium, & industria Juventutis patriæ, & merita Parentum, & ipsa officii cujusvis, quod in præclarissima studia redundat, honestas invitare potest. Vale, Lector Benevole, & nos ama. Argentorati, xxx. Julii, cIↃ IↃc XLIV.

XVI.

MAjestatem Regum Principumque, nulla fuit ætas, quæ non sacrosanctam cuperet aut faceret. Hinc præter obsequia devoti cultus, *sacratæ Majestatis leges*, & *districta Majestatis judicia*; passim observantur. Quanquam, si de formula legum ejuscemodi ac judiciorum disquiramus, nihil satis liquidum, satis plenum, etiam in nobilissimarum gentium disciplina, licuerit reperire, nisi quod historia & rerum memoriæ, exemplis interpretantur ac supplent

plent pauca legum, quæ vetustatis injuriam evasere fragmenta. Illud interim satis constat, quæstionem Majestatis in Principatu seu imperio singulari (nam libertas certis formulis legumque præscriptis tenacius gaudet) non tam regulis fori submissam, quam præsentiore Principatus arbitrio definitam, & plerumque ex usu status imperatorii, intimisque imperii & aulæ arcanis dispensatam esse. videbatur nimirum ad conditionem imperandi pertinere, ne Majestas præsidia suæ tutelæ ac instrumenta, aliunde quam ex se & suo auspicio expediret. Unde etiam, quæ super tali argumento Principum rescripta & constitutiones extant, cum interioribus regni consiliis ita cohærent, ut sine illis nec intelligi, nec ad usus publicos rite possint transferri. Quomodo peritissimus artium regiarum auctor Augustus, ejusque exemplo, longo post tempore, Arcadius & Honorius, *Majestatis legem* interpretatione nova ampliarint, *criminaque majestatis plastica* commenti sint, nemini obscurum est. Nec alio sunt vel jure usi vel consilio, quicunque Principum, suis reservatam addictamque arbitriis hujus caussæ interpretationem & tractationem voluerunt. nisi quod diversa tractandi ratio, ex diversitate status imperii ac imperantium, invaluisse animadvertitur. Non jam dicam de more tyrannidis, quæ & vim & indolem & finem legum majestatis pervertit. indeque nescio quod instrumentum iniquæ acerbæque dominationis concinnat: ut majestatis crimen per miras artes fiat eorum crimen qui crimine vacant, sicut subtilis Panegyristæ sententia summatim indicat, & *Tacitus in Principatu Tiberiano,* magno exemplorum numero interpretatur ac demonstrat. In ipso Principatu non-tyrannico, discrimen in hoc genere causarum non leve deprehendas. Sicut enim ad gubernandas imperii utilitates non unum adferunt ingenium, aut eandem morum consuetudinem, sive Principes sive Principum adjutores: ita nec Majestatis crimen una omnes via aggrediuntur, aut una judicant sententia. *Quidam* enim, generosas & magnitudine Principalis fastigii animique dignas

curas, pro consiliorum norma amplexi, ut alibi, ita hic, omnia malunt *ex cauta moderationis gravitate*, tanquam ex fonte derivare; perennemque potius regni firmitatem, quam præsentaneam assertionem speculantes, non dubitant, magnitudine animi nihil Principi vel ad gloriam vel ad munimentum honestius esse; nec ullum prospere diuque imperaturo verius consilium dari posse, quam ut status sui præsidia in animis civium, in visceribus, ut sic loquar, civitatis reponat: aulam periculose à republica in hoc negotio sejungi; gravitate judiciorum plus profici ad famam & potentiam, quam severitate vindictæ: plus in auspicio regalis fastigii esse, quam in gladio: præsertim autem in divinæ cura providentiæ, quæ reges amat unice tueturque, summam spei pariter atque consilii statui debere. *Alios* autem animosior pro incolumitate Principum sollicitudo, aut usus aularum interior, *in districta præsentioris imperii judicia & severitatem vi Principatus*, ut autumant, *dignam* rapit: atque hi Majestatis regiæ auspicia, sanctitatem, vim, magnificentissimis elogiis deprædicant; in eaque omnem publicæ salutis tutelam collocant: rem tam divinam, inquiunt, tam sanctam, adeoque tam teneram, ne attaminari quidem citra reipubl. periculum posse; pertinere ad securitatem omnium, quæ usquam sint, regnorum, ne ullibi regum quisquam impune violetur: ex indole delicti nullum hic clementiæ, nullum veniæ locum esse; nullam emendationis spem in eo superesse, qui tantum semel furorem admisit; ita plurimis noceri, dum paucis parcitur: dissolvi vim Principatus, nisi vincula, quibus continetur, ex quavis occasione arctius adstringantur; præsidia regnorum non permitti fortunæ incertis, sed præsentissima manu constitui oportere. Ex hujus philosophiæ sinu, etiam ea emergunt, quæ ad peculiares hujus argumenti quæstiones pertinent. Ita, *cum de facto dubitatur*, conjecturis animosius uti, quam priscæ gravitatis genius patiebatur, inter artes, an & obsequia, aulæ est. Sed &, *ubi definitio hujus criminis quæritur*, non parci sunt aut timidi interpretes, qui-

cunque

acrioribus Principatus consiliis insuevere. Quod *in culpa silentii*, crebro hic occurrente, observare licet: quæ cum sæpe diversam æstimationem ex personis caussisque recipere videatur, plerumque tamen uno suppressionis titulo damnatur: sicut in caussa Philotæ, apud *Curtium*, talia pleraque notabili expositione declarantur. Hujus exempli mentionem de industria quæsivi, quippe qui semper arbitratus, & studiosæ Juventuti testatus sim, illustriorem hujus argumenti de caussa Majestatis tractationem in antiquitate tota non reperiri. ita enim describit Historicus caussam Philotæ & Parmenionis, quæque connexa sunt ejusdem generis alia, ut cum sensibus aulicorum & Principis, quos exponit, prudentia certare videatur. Casus Parmenionis, qui indicta caussa, immisso percussore sublatus est, seorsum multam considerationem mereri & capere videtur: neque frustra inter Prudentes dubitatum est, an merito majestatis crimine conciderit. Nam eruditissimum *Clapmarium* nolim sane hic sequi; cum tanquam de fonte, & justa supplicia passo pronuntiat. Quem non potius moneat gravissima *Curtii* ratio? qui expositis Parmenionis laudibus dotibusque subjungit: *Hæc impulerint illum ad regni cupiditatem, an tantum suspectum fecerint, ambigi potest. quia Philotas ultimis cruciatibus victus verane dixerit, quæ facta probari non poterant; an falsis tormentorum petierit finem, re quoque recenti, cum magis posset liquere, dubitatum est.* Quid pro Alexandro in speciem possit adferri, satis video: sed cur in caussa tam perplexa, de plano judicari, aut à cordato veterum judicio discedi debeat, nondum discerno. Denique si modestissime agendum sit (quod ego quidem, summarum potestatum reverentia, libentius probem) caussa Parmenionis inter eas nominanda est, de quibus merito vetus illud obtineat: NON LIQUET. Interim, quia totum Majestatis argumentum sub hoc titulo considerari potest, non debuit mihi displicere, duorum è Commilitonibus nostris eximiorum Juvenum, laudabile in eligenda exercitationis oratoriæ materia propositum: è quibus

CONRADUS BARTHIUS, *Fürstenvverdensis Marchicus*, quasi ex persona districtioris & consilia dominationis regiæ professi aulici, *ea summatim tractabit, quæ supplicium tam repentinum Parmenioni indicta caussa infligendum suadere ac defendere videantur*: alter CHRISTOPHORUS KERSTENIUS, *Regiomontanus Borussus*, moderationis in crimine majestatis tractando prudentiæ studium induet, ostendetque, *quid dissuadere Parmenionis supplicium potuerit debueritve*. quæ pars præsertim in *historia Curtiana* deest. quippe, sicut in caussa Philotæ, Craterum, Hephæstionem, Cœnum, severitatis consilia sub formula fidei in regem ac pietatis amplexos, ceteri facile secuti sunt: ita nec pro Parmenione, quisquam ausus est regem interpellare; ne parum obsequii aulici gnarus aut regiæ salutis studiosus haberetur. Delegerunt, ut cœpi dicere, Juvenes Præstantissimi hoc argumentum vere πολιτικὸν, dum singulari studio, ut in aliis auctoribus, ita in *Q. Curtio* hactenus versantur; indeque ad vitam civilem quæcunque possunt præsidia sibi ac instrumenta, raro diligentiæ exemplo, comparant. Meretur enim tot experimentis mihi cognita virtus in publico commendari; ne vel præclare factis præmia, vel honestæ æmulationi invitamenta videri possimus denegasse. Et BARTHIUS quidem, cum post illustrium aliquot Gymnasiorum disciplinam, Inclytæ Regiomontanæ Academiæ sua studia commisisset, ibique triennium moratus esset, perlustratis aliquot in Dania, Belgio & Germania Academiis, ad nos concessit: totoque, quo nobiscum fuit tempore, feriæ pietati, virtuti, honestissimisque studiis eam dedit operam, quam necesse est illos dare, qui Patriæ ac Principibus suis indolem, profectum, & omnia sua proposita cupiunt dicare. Non sum alias prodigus elogiorum, neque Prudentis duco, figuris in hoc genere indulgere: sed merita hominum, partim convictu, partim quotidiano studiorum usu æstimatorum, debito fraudare testimonio, parum ab insolentia abfuerit. Id quod ad KERSTENIUM quoque pertinere volo, quem Barthio ex Regiomontana Academia discedenti for-

fortuna itineris comitem, & hactenus, ſtudiorum ſocium junxit. approbavit is nobis inſignem morum modeſtiam, bonæque ac piæ mentis rectitudinem, cum eleganti ac decora judicii ſollertia; quæ magnam præclare ſperandi materiem peritis ingeniorum æſtimatoribus ſuppeditare poteſt. De ſtudiis ipſorum, tum ad elegantiam, tum ad Prudentiam civilem ſpectantibus, ipſa res, & nunc, & pluribus deinceps ſpeciminibus loquetur. Illud unum, in fine hujus paginæ rogaverim, ut tam pulcris exemplis inſtigati juvenes ſtudioſi, ſcribendi laborem, certiſſimos olim fructus allaturum, ſubterfugere nolint amplius aut negligere. Quibus commodum erit (nam id ſupereſt, quod adjiciam) *die perendini, ſive menſis hujus XVIII, hora VIII. matutina*, publicantes ſua ſtudia Præſtantiſſimos juvenes audire, illos à nobis, quæcunque in noſtras vires poterunt competere, gratias jubemus expectare. De æquitate judicii huc adferenda nolumus dubitare: & jam aliquoties profeſſi ſumus, ſatius nobis videri, ſi ſcriptioni Juventutis pluſcula condonentur minus elimata, quam ſi rigidioribus cenſuris ætati vis aliqua, ut ſic dicam, inferatur. Scrib. ARGENTORATI, XVI. Decembr. CIↃ IↃC XLIV.

XVII.

QUi magnis Principibus ſuam in aula operam dicarunt, conſiliisque præſertim, & interioribus curis adhibentur, illuſtri ſane nomine ac munere præfulgent, ſed periculis expoſiti ſunt & pluribus fere & majoribus, quam qui extra ſpecioſos aulæ titulos, ſuam dignitatem ratione vivendi ad privatam ſortem propius accedente tuentur. Perſuaſit ea res nonnullis veterum, ut viro Sapienti ſubterfugiendam prorſus aulicæ vitæ conſuetudinem exiſtimarent. Sed moderatius philoſophantes non potuit latere boni civis officium: cujus eſt, quamcunque Deus in civili ſocietate ſtationem aſſignaverit, pro viribus obire, atque aſpera omnia vel pervadere vel ſuſtinere. Itaque, ſicut non ſatis perite cauteque cogitaverit, qui certam ſibi ac ſtabilem in aula perennandi fortunam polliceatur: ita ſuffecerit forte,

ſi quis animum adferat propitiandi melioris fati nec ignarum nec ſecurum, de cetero autem, adverſum caſus metusque diverſæ ſortis providum ac paratum. Cum præſertim non parum ſit in conſiliis humanis: quæ genium aulæ, non plane intractabilem, ſi commode aggrediaris, fato favente, conciliant; aut fato ſiniſteritatem aulici moris pravitatemque puniente, alienant. Certe maxima quæque præcipitatæ ad extremum aulicæ fortunæ exempla, ipſorum culpam aulicorum, & accelerandi tentamenta fati oſtentant. Niſi quod humanæ notitiæ multoties ſubducta cauſſarum ſeries, præter conjecturas poſt eventum, nihil relinquit. Inter eas eximia mihi ſemper viſa eſt, ſi cum debita in providentiam Dei pietate, & modeſta in hominum exiſtimationem æquanimitate conjungatur: *quod magnos aliquando aulicos inopinata, atque, ut ex proximo cauſſarum contextu apparet, immerita opprimat ruina, ideo; quia Deus alia peccata, quæ in aulica vita, tot irritamentis delinquendi undique obſepta, committuntur, tali occaſione conſtituit vindicare.* Verum, ut cœpi dicere, hæc ſapientia ſecretior eſt, quam ut cujusvis ingenio gubernari poſſit. Revertendum nobis eſt ad dotes ingenii & artes animi, quæ aulicæ vitæ fortunæque conveniunt aut diſconveniunt de quibus optima nos magiſtra erudire Hiſtoria poteſt; cumprimis Alexandri Macedonis; ne ab inſtituto longius nunc digrediamur. Quippe in magna aula, ſub magno rege, inter tot magnos viros, magna deeſſe in utramque partem exempla nequeunt. Qui in præcipua & flagrante regis gratia ad vitæ ultimum perſeveravit incolumi dignitate famaque, *Hephæſtion* prima nobis ſui documenta præbeat. In quo, inſtar omnium elogiorum, OBSEQUII artem & gloriam, nominabimus. Hanc, natura regis regnique amans ſuggeſſit, prudentia formavit, elegantia excoluit, induſtria illuſtravit: hæc regis ingenio conſentanea, fortunæ decora, aulæ utilis, familiaritatem obſervantia temperavit, libertatem modeſtia condivit; merita, extenuatione velavit; adornata invitamentis gratiæ, remota à blanditiis adulantium, invidiæ non

non capax, gloriæ non appetens. Ea propter vir parendi ſcientiſſimus, venerationis juxta & charitatis regi debitæ artibus inſtructus, quidquid in amicum ſummi Principis cadere poteſt honorum amorumque meruit: φιλαλέξανδρος etiam nobiliſſimo cognomine dictus, *amator* nimirum *Alexandri*, amare doctus & amari dignus. Quæ obſequia, id eſt, propriam aulæ ſapientiam, ſi quis penitius introſpicere cupiat, illi ſcrutanda erunt ſacra regnorum, myſteria auſpiciorum, arcana majeſtatis in altiſſimo ſecreto repoſita; nec iis ſemper intellecta, quorum hæc propria ſchola fuit. Statim enim hic ſe *Clytus* offert ex aula Alexandri, paris dignitatis, ſed diſparis gratiæ fortunæque homo: qui dum neglecta obſequii aulici religione, CONTUMACIÆ potius ſuſpectum ſe, & mox reum facit, à rege minus æſtimatur primo, deinde odio, ad extremum exitio multatur. Non deerant huic viro, quæcunque magnum poſſunt & illuſtre nomen parare. eximiæ virtutes, gloria militaris, merita in regem regnumque: ſed dum nimium ſibi ſuorum decorum conſcius eſt, dum regem non minus ſibi quam ſe regi obligatum autumat, dum gradu officioque amici ſecurius & intemperantius utitur, ſuam ipſe fortunam corrumpit, increſcentemque dominationis ſuperbiam in apertæ tyrannidis furores provocat: miſerandus ille quidem, quia ſub opinione generoſioris conſtantiæ impegit; Sed non laudandus, quod contumaciam à libertate non diſtinxit, neque hanc obſequio temperavit. Sed quis ſatis cavere ſua pericula poteſt in aula? Dabo tibi ingentem merito, ſpectatum obſequio virum, nullaque aulica arte aut gloria maximis minorem. Is jam ad ſeptuaginta ætatis annos felicitatis ſuæ incrementa provexerat, cum jamjam ex æquore illo exſcenſurus naufragium in portu facit. *Parmenionem* ſignari, etiam demto nomine, omnes intelligunt. Cujus caſus cum nuper in diſquiſitionem venerit, nunc alio nomine denuo attingendus fuit. Quia enim in trigam illam magnorum aulicorum, omnia aulæ fata & merita videntur competere, non abſurde & ſibi argumentum diſpexerunt,

xerunt, de quo in publico verba facerent, tres Generosi florentissimique Juvenes, è quibus CAROLUS ROELER a Dirsperg / & ACHATIUS à LAYMING, inclyti generis nobilitatem & majorum merita eximio utilissimorum studiorum morumque profectu, pro ea, quæ utrique contigit, ingenii felicitate, valde satagunt hactenus illustrare, & ad illud decus grassari, quo nunc quidem inter Academicæ Juventutis præcipua ornamenta enitescunt, deinceps autem in instaurata, quod optamus, Germania publicis meritis præfulgebunt. His suam conjunxit diligentiam CAROLUS SCMIDIUS, Argentoratensis; qui ut præclaram Honoratissimorum Parentum Patriæque spem, ex fausta indole ipsius & vigore conceptam, impleat, auspicatis ominibus votisque prosequi tam pulcre in destinata contendentem, fas est. Illi, cum hactenus quotidiano pæne commercio sua mihi proposita & incrementa approbavissent, post tot privata specimina, in publicam quoque lucem evocandi videbantur: suppeditavitque ultro materiem, quam diximus, politissimus aulicæ eloquentiæ prudentiæque magister, *Q. Curtius*; è cujus Historia, *Primus* quidem HEPHÆSTIONEM OBSEQUIOSUM, *Secundus* CLYTUM CONTUMACEM, *Tertius* PARMENIONEM PRÆPOTENTEM meditandum describendumque susceperunt. *Illic*, obsequii aulici genera, consilia, artes, fructusque annotabuntur: *istic*, contumaciæ discrimina, proposita, colores, peccata, & damna exponentur: *hic*, præpotentis in aula fastigii pericula, cum periculorum caussis, observabuntur, ususque argumenti totius breviter commendabitur. Qui succrescentibus in spem sæculi atque efflorescentibus eximie ingeniis, publico nomine favere didicerunt: non illibenter suis hanc industriam suffragiis ornabunt, &, quatenus cuique commodum est, auscultatione dignabuntur. Dies exercitationi dictus est, *Jovis proximus*; *mensis hujus sextusdecimus*; *hora VIII. matutina*. Quod superest, Deum Ter Opt. Max. hujus, quem inchoavimus, anni præsidem rectoremque, voce publica obtesta-

testa-

teſtamur, ut Argentoratenſis Civitatis Academiæque fata, tempora, ac fortunas benigne in perpetuum moderetur, tueaturque. Perſcriptum Argentorati, Anno Chriſtiano CIↃ IↃC XLV. d. Jan. XIV.

XVIII.

RECitabunt die hujus menſis penultimo, loco ac tempore in Academia noſtra uſitato, *comparationem Alexandri Macedonis & Julii Cæſaris*, duo egregie morati ac eruditi Juvenes, JACOBUS PELTRE & JOANNES DINGUENHEYM, *Metenſes*. Argumentum ab ipſis ſponte electum, & pro ingenii captu non infeliciter tractatum, non debui rejicere: cum præter exempla antiquitatis, & ſummi ſcriptoris *Plutarchi* (qui illos ipſos Principes inter ſe comparavit) etiam peculiaris utilitas, in excitandis Juvenum, qui exercentur, ingeniis, id genus diſciplinæ commendet. Quippe, dum reſpicere ſe invicem omnia debent, adeoque non plane eodem modo, quanquam eadem, ad perſonas referri amant; virtutum naturam morumque perquiri diligentius, & à communibus locis ad diſtinctiora, vitæque ac ſapientiæ ſtudio propiora ſermonem flecti neceſſe eſt. Accedit, quod nihil ſatis jucunde ſine comparatione vel laudatur, vel vituperatur. itaque nec illos, qui ſimplicia inſtituunt elogia, conferendi ſtudio videas abſtinere. Ne dicam de ipſius argumenti gravitate; quod in ſuis penetralibus non pauca eximia recondit. Quanquam, ne quid diſſimulem, ætati ac induſtriæ noſtrorum, quos nominavimus, commilitonum ſuffecerit, notiora & magis in obvio poſita morum factorumque in utramque partem momenta perſtringere. nam quæ fato publico & humani orbis fortunæ interius ſunt innexa, majorem dicendi judicandique facultatem deſiderant. Deſtinaverat utrumque Principem Deus, mutandis & in novum reipublicæ ſtatum reformandis gentium populorumque fortunis; decreverat Alexandro Græcæ, Julio Romanæ inſtaurationem monarchiæ; dederat utrique, quæ plurimis ante & retro ſæculis nemini dedit; ſingularem

utrique indolem concesserat, propriam utrique fortunam adjunxerat: sed, quod malis artibus tot bona cælitus indulta temeraverant, alterum iu flore ætatis, alterum in confinio consummati operis, ex fati publici theatro submovit. Uterque admiratione hostium celebratus, odio suorum depressus est: uterque ambiguam sui æstimationem posteris reliquit: uterque suo obitu improspera terris tempora sive peperit sive præsagiit. Neque cetera minus congruunt. Sicut enim sub Alexandro & ejus patre Philippo, omnis literarum armorumque gloria Græciam late illustravit; ita sub Cæsare & Augusto Romana majestas, & studiis ornatissima, & incitatissima armis fuit. Imo, sicut Alexander suæ doctrinæ virtutisque exemplo præcipuum ad colendam sapientiam momentum contulit: ita Julius Romanus disciplinarum liberalium & rei militaris gloriam suo auspicio, potentissimus scilicet auctor, ad summa provexit fastigia. Addam, quod pauciores observarunt. Alexandri ingenio & fortunæ, omnis regiarum artium sollertia, omnis aulicæ disciplinæ subtilitas, & erudita secretaque majestatis regiæ observantia debetur: plane sicut Julii Cæsaris invento in rem Romanam inducta sunt arcana dominationis & consilia regni, quæ Augustus postea consummavit ac perfecit. Hæc atque talia Prudentioribus expendenda relinquimus: & ad declamatores nostros revertimur. qui felicitate indolis, & diligentia studiorum mereri videntur, ne in auscultando difficiles se præbeant elegantis literaturæ fautores; quibus invicem promta voluntatis nostræ studia ex occasione pro viribus testari non omittemus. Juventutem vero Studiosam amice admonemus, ne ad noxios publice errores, quasi ulla doctrinarum atque scientiarum studia, absque omni solida bonorum auctorum tractatione, feliciter suscipi queant, revolvantur. Sunt in oculis vulnera Christianæ Reipublicæ & disciplinæ sæculi, à crudis ejusmodi ac jejunis studiis olim profecta: quibus omnes meliorem discendi rationem doceri poterant, certe debebant. Quod si Deus benignissimo tandem munere

nere afflictæ Patriæ quietem indulserit ac pacem, num per semidoctos aut rudes, prolapsæ passim scholæ instaurari, aut pacati instrumenta sæculi recuperari posse autumabimus? Cogitet quisque status sui & officii (est enim munus ac officium studiosi & grave & laboriosum) regulas, vincula, juramenta: veneretur Dei ab unoquoque studiorum rationem repetituri majestatem: honoret majorum auctoritatem,& gravissimorum Principum ac Magistratuum sapientiam; qui longe diversam, à perfunctoria ista & divellendis imo corrumpendis studiis nata multorum consuetudine,industriæ Academicæ formam præscripserunt. Hæc vera sunt & publica bonæ mentis præcepta: quæ qui neglexerit, sero suum dedecus deplorabit. Sed malo meliora sperare, quam triste quidquam in præsens ominari. Perscriptum Argentorati XXVIII.Januarii cIↄ Iↄc XLV.

XIX.

D*ie perendini, qui erit mensis hujus tertiusdecimus, hora VIII. matutina, in auditorio sollenni* orationem habebit *Nobilissimus Juvenis* WOLFGANGUS OFFMüLLNERUS à MüLFELD; qui post Gallicam peregrinationem sua studia huic Academiæ, ante complusculos menses, polienda commisit. Quod propositum hactenus tam strenue & feliciter tenuit, ut, festinante ad egregia omnia profectu, non dubitaverim ipsi auctor esse publicandi aliquid de suis laboribus; quorum mihi assidua specimina approbaverat. Et quoniam in argumento militari forte versabamur, placuit instituere *comparationem* VETERIS ET NOVÆ MILITIÆ. Sic enim mea fert ratio, ut, dum stilum Juventuti commendamus, non minus de utilitate argumenti interim cogitemus. Quotusquisque autem serius studiorum ac temporis æstimator, in scribendo, in ediscendo, aliquid operæ sibi ponendum arbitrabitur, si in usu ea non sit habiturus, quibus calamum aut memoriam fatigavit? Patet hæc disquisitio per amplissimum civilis prudentiæ spatium: &, si dicendum, quod res est, alteram ejus partem constituit. Icciroo utile videbatur talibus studiis intento, noscere præ-

cipuos scriptores, requirere judicia prudentum, revolvere historiam, & inter meditationes scholæ, providere pedum viam, quæ circa hanc materiam per omnis vitæ cursum deinde terenda esset. Quare nec displicuit conatus optimi Juvenis, quotiens ipsa summorum virorum verba suæ dissertationi intexuit, & illorum aliquando maluit ore, quam suo loqui. Præterquam enim, quod exemplis sæculi satis se tueri potest ea res; etiam pars consilii videri debet, si adolescentem juvenilis ætatis industriam, hac indulgentia invitemus, ut penetralia sapientiæ minus timide ingrediatur, haustamque ex ipsis præcipuè fontibus rerum & sermonis salubritatem, hoc adjumento in suum sibi succum & sanguinem convertere paulatim condiscat. Equidem si unquam, in hoc certe genere (cum *M. Seneca in proœmio libri X. controversiarum) multa donanda ingeniis puto; nec sum ex judicibus severissimis, qui omnia ad exactam regulam redigam.* Præsertim si recordor infaustum publiceque noxium morem, cum è *florilegiis*, quæ vocant, consuere verius quam conscribere orationes misera juventus passim jubetur, absque peritia rerum, absque notitia auctorum, absque delectu sententiarum. Et quandoquidem eleganter de rebus disserere, non eloquentiam modo insignem, sed eruditionem quoque singularem postulat, itaque juventuti omnino aliquid concedendum est, quo tanquam cortice natare discat. Id quod ista, quam reprehendi, ratione non periculose modo sed inepte fieri; illo autem, quem paulo ante laudavi, modo, rectissime, confici, doctissimus quisque per se intelligit. Erunt forte, qui orationem de militia parum huic tempori convenire putabunt, quo circa deponenda arma, reducendamque Christiani orbis pacem, omnium cogitationes, vota, sermones occupantur. Absit equidem, ut desideria nostra à publicis unquam sejungamus: aut de pace parum diligenter ac pie cogitemus, cujus alumna & comes esse amat sapientia, cui studemus; & eloquentia, quam inter bellorum strepitum surdis pæne auribus commendamus. Versamur nunc in expectatione, & spe, & precibus:

tibus: quas subinde, ut sunt teneri quidpiam valde cupientium affectus, ex transverso aliquis metus interpellat; & pietatem nostram modesto silentio attemperas. Dabimus interim hoc divini Numinis reverentiæ ac honori summorum capitum, ut malimus ipsis solidos gaudii fructus, quam præcerptos atque præfloratos in acceptis ferre. Quod si novi & melioris sæculi aurora ex montibus objectarum difficultatum se emerserit, totius pietatis ac lætitiæ vires in gratulationes, laudes, vota, grates excitabimus. neque sic tamen de bello cogitare prorsus desinemus. Illa ipsa pietas, cujus auspicio in veneranda pace utemur, jubebit nos respicere, & divina in his bellis opera, quorum conspectum hactenus interdum pulvereæ ac sulfureæ nubes, & ingruentium undique terrorum consternationes quodammodo præpedire videbantur, attentius contemplari. Erit, cum ex ruinis belli, disciplinam pacis meditabimur: erit, cum è cladibus belli, bellorum usum purgatiore affectu reputabimus. Surgent è ruderibus vastatæ patriæ fulcimenta tuendi status: & ut vincere discamus eos, adversum quos Deus & jus humani orbis arma nobis tradidere, nihil aliud magis præstabit, quam si spectemus arma civili cruore & domesticis cladibus purpurata. Eluenda videbitur ex fama rerum isthæc macula; & ne unquam nostris armis in posterum nosmet oppugnemus, nova militiæ disciplina resumenda, vera bellorum gravitas condiscenda, prisca Christianorum armorum auctoritas revocanda erit. Adeo scilicet non intempestivum est, de militia agitare in pace, cùm pacis una sit custodia, armorum meditatio. Et, quandoquidem proximus suo fini orbis, nihil minus, quam omnium inter se gentium quietem pacemque perpetuam promittit, illud unice providendum est, ne inter illos bella gerantur, quorum societas, sub uno pacis Principe, per sanctissima pacis & concordiæ vincula constringitur. Recordor nunc non præsagam minus quam piam Alexandri Bulgarorum Principis ab Andronico Imperatore pacem petentis vocem: *indignum esse Christianis, sævire adversum se invicem*

 armis,

armis, cum, pace constituta, bellorum vires in impios & communes hostes expediri rectius possent ac deberent. Pœnituit Andronicum, precantis consilium rejecisse: & futurum erat ut pœniteret amplius, si maluisset deinde victor Alexander iræ suæ potius, quam bonitati obsequi; sicut ex *Nicephoro Gregora* uberius licet cognoscere. Quis nescit, Turcorum & barbarorum immanitatem jam olim, inter Christianorum discordiam & ignaviam, irrepsisse in amplissima terrarum orbis domicilia & adolevisse? Et quanquam tot sæculis jam coaluerit ea compages, dubium tamen non est, quin concordia & virtute Christianorum nullo non tempore sit trepidatura. Ac fortasse Deus Ecclesiæ & nominis sui honori illud gratificabitur, ut concussæ immanissimi hostis opes, præviis quodammodo cladibus, de imminente supremo illo casu (quem suo tempore immittet ipse vindex suæ caussæ Christus) graviter admoneantur. Sed nobis ad *Offmüllnerum* nostrum revertendum est: cujus industria & virtus meretur benignos auditores & judices, quos propterea nec operosis precibus conducere, nec argumentis conquisitis allicere, animus est. sua cuique virtus pro stimulo est, ut in altero amet, quod ipse sequitur. Illud unum adjecerim, non immemores nos fore officii, quod nobis præstabitur. Deus faveat præstantissimi Juvenis profectibus, & *Magnifico Nobilissimoque Parenti*, novam subinde ex filiis gaudendi materiem gratificetur. Vale, Lector Benivole. Perscriptum Argentorati d. XI. mens. Novembr. CIↃ IↃC XLV.

XX.

Sonat adhuc in auribus nostris, & vivit perpetua meditatione in pectoribus, quam proximis diebus anniversaria Ecclesiæ pietas recoluit, vox Angeli annuntiantis gaudium magnum, & cælestis exercitus collaudantis auctorem tanti gaudii; quantum vel efficere, vel donare non est nisi ejus, qui solus magnus, solus potens, solus clemens, solus sanctus, solus Deus, solus est Servator, solus Dominus. Vidimus admirabile germen ex arida radice Jesse subito exortum,

tum, vidimus Dominum è cælo humanos artus gerentem, vidimus gloriam unigeniti Dei; eundemque filium hominis, primogenitum & unigenitum virginis complexi sumus. Juvabat nos apud greges in agro Bethlehemitico splendore Domini circumfundi, excipere nuntii cælestis verba, auscultare hymnos in terris, in tempore, quales apud thronum agni in beata æternitate canuntur. Festinavimus cum piis pastoribus ad præsepe, omnibus thoris, omnibus palatiis augustius, & infantis Domini fascias tractavimus, frontem exosculati sumus, ex oculis ejus spiritum alacritatis & pietatis hausimus. Nec satiari potuimus, quin eandem viam cum Magis redordiremur; & coram Immanuele nostro in genua provoluti, nos totos victimam Deo, donum Regi, pignus Fratri dicaremus. Hæc nos adhuc tenet pietas (quid enim est ex ceteris, quod non hic repetatur?) donec paulo post cum infante & matre ad puerperii expleti solennia festinante Hierosolymam ascendamus, ibique cum Simeone in familiares amplexus effusi ulnis nostris cingamus, recipiamus pectoribus: quem non cœlum, non terra, non totus orbis capit. Quædam & anticipavimus ex adultiori ætate, securi de ordine: qui unus est in tota Christi vita, ut omnia meditemur, ut ex omnibus quæcunque libet meditemur, dum modo pie meditemur. Sed ad Magos redeundum est. quos ex Persia (nec enim Arabes fuisse credimus) ad nativitatis tantæ miracula singularis quædam stella excivit. Stella nunquam visa: stella vera; quia non inanem imaginem aut vanam speciem gerit: stella nova; quia nec numero nec censu reliquarum comprehenditur: stella mira, quia cursus sui conspectusque, nec spatium unum nec tempus idem servat: stella regia, quia regem natum demonstravit: stella divina, quia divinis honoribus colendum, qui natus erat, significavit. *Vidisse* enim *se stellam nati regis Judæorum, & venisse, ut adorarent eum,* citra omnem mentis hæsitationem ultro Magi profitentur. Quæ vobis oculorum acies, ô viri eximii, qui tubus, quæ conspicilia, tam abstrusa hujus stellæ mysteria detexerunt? Sapien-

pientes vos fuisse, & multis præclaris supra vulgus doctrinis eruditos, ipsum nomen, quo vos Evangelista, non utique contumeliæ caussa, denotat, argumento est. Sed quæ vos sapientia doceret, quod nullis sapientum disciplinis continetur, nulla eruditorum investigatione eruitur, ac ne humano quidem captu definitur? Solenne vestris popularibus fuit, vultus in cælum erigere, speculari sidera, observare stellarum naturam, quærere vires, mirari, sed & adorare, præstantiam. At vero ista vos eruditio, quam inquinavit impietas, non adoratores fecisset hujus regis, quem quæritis, sed contemptores. Igitur longe alia visio fuit, quam quæ oculis absolvitur; nec tam naturæ lumen quam gratiæ in penetralia animorum se immisit. Quod stellam vidistis, naturæ est: quod regis stellam vidistis, divinæ gratiæ est: cujus lumen forte & ante stellam, certe cum stella in mentibus vestris accendit is, qui stellam accendit, qui se signari, se quæri voluit: sive Danielis oracula in eam rem, sive aliud genus divinæ revelationis vobis adjumento fuit. Hac luce illustratis non fides ad credendum, non industria ad inquirendum, non constantia ad perseverandum deesse potuit. Quid enim? perturbatur ad mentionem nati regis Herodes; contremiscunt Hierosolyma: Magi perstant in proposito, quærunt, auscultant, & ab incredulis doctoribus discunt credere, Bethlehemam esse destinatam, quæ nascituro regi Judæorum incunabula præberet. huc viam intendunt, huc pertendunt iter, huc fulgore stellæ rursum semet ostentantis deducuntur. Quid dulcius hac Dei bonitate, quid pulcrius hoc bonitatis spectaculo? Fax illa, quæ primum ex alto visa longinquos fines illuminavit; quæ motu suo (quid enim vetat credere?) itineris cursum demonstravit; quæ aliquantisper se subduxit, ut rediret suavior; nunc & ipsa propior Magis, propior Domino esse, cui lucet, quem signat, denique tanquam apud terminum sui muneris cupit conquiescere; descendit, ut fulgeat lætius; consistit, ut ipsam domum designet radiis, demonstret indicio. Quid mirum ergo gavisos

visos esse Magos gaudium illud magnum, quod Angelus pastoribus prædixerat, quod Deus ab æterno piorum animis destinaverat, quod nati regis Judæorum suavitas impresserat? Meditare secreta hujus gaudii, & liquesce animo, solvere affectu, exulta spiritu: misce lacrymas, insere suspiria, procide in genua, & cum Magis Regem Tuum, Deum Tuum, Fratrem Tuum, qui nunc hospes apud te esse vult, ut in patriam te restituat, venerare. Sed quo feror? non potest abyssus maximorum mysteriorum & miraculorum nostra cogitatione exhauriri, oratione explicari, nedum hujus paginæ angustiis comprehendi. Illud tantum volui dicere, quosdam ex juventute bonarum artium studiosa eximios commilitones, occasionem & exemplum publicæ pietatis secutos, die perendini hora VIII. matutina de jucundissima Magorum historia, loco rituque Academico verba facturos esse: ita partitis operis, ut *Primus* JOH. FRIDERICUS HEILBRUNNERUS, *Ulmensis*, de *Adventu Magorum*; ALBERTUS DEUBEL & JOH. GEORGIUS ARTOPOEUS, *Argentoratenses*; ille de *Inquisitione*, hic de *Adoratione Magorum* soluta oratione constituerint dicere. *Quartus* JOH. JACOBUS PANTRION & *Quintus* JOH. CHRISTOPHORUS ARTOPOEUS *itidem Argentoratenses*, ligato sermone, alter quidem *summatim percurret*, alter *ad Academica vitæ institutum totam accommodabit historiam.* Quibus licuerit aut libuerit auscultare recitantes ornatissimos, quos dixi, Juvenes, illi præter soliti in bonas literas favoris gratiam, etiam pietatis documentum poterunt edere, si de summis Christianæ religionis mysteriis balbutientem utcunque ætatis nec dum firmatæ linguam non dedignabuntur. Nam in stilo, me multa conditioni & captui declamantium indulgere, nec unas ob caussas, jam aliquoties professus sum: ut nova excusatione opus esse non videatur. Deus in Academia nostra Magorum exemplum & studium in perpetuum conservet! Perscriptum Argentorati XXI. Jan. CIↃ IↃC XLVI.

XXI.

CONstituit *Generosus & Nobilissimus Juvenis* LUDOVICUS HENRICUS à WACHENHEIM, *die hujus mensis tertio & vigesimo sive Jovis proximo, hora VIII. matutina, in Auditorio Majore,* orationem habere DE RE NAVALI; delectis ex amplissimo argumento locis nobilioribus, quantum temporis ejusmodi exercitationibus Academicis destinati ratio feret. Repetita enim breviter origine rei nauticæ, & ostensis navigationum utilitatibus, summam rerum passim per orbem mari & navibus gestarum proponet, atque commenta quædam inventaque navalia attinget, aliaque nonnulla adjiciet, quæ auditu non injucunda fore confidimus. Est omninò navigatio inter utilissimas humano generi artes, & eximia sollertis ingenii inventa, suo jure referenda; quicquid olim visum sit iis, qui abusum rerum, sinistro philosophandi genere, adversus innumeras utilitates non verentur tanquam unicam æstimationis ac judicii legem opponere. Primæ navis architectus & auctor ipse Deus fuit, cum in arca Noachi reliquias humani generis è diluvio conservare statuisset. Facta post diluvium terrarum orbis divisione, Japetus ad occupandas, quæ ipsi obtigerant, regiones, utique navibus opus habuit. quibus vastum mare transiiceret. Successit postea demigratio demigrationi: quarum antiquissimas nulla quidem lux historiæ illustrat, conjectura tamen satis firma ex propagatione nationum, & habitatione terrarum, non plane in obscuro latere sinit. Certe navigationibus plerumque quæsitas sedes, & mutata domicilia, omni dubio caret. Quin etiam in ea quæstione, quam pro inextricabili hodie habent, de origine Americanarum gentium, verisimilior videtur eorum sententia, qui navibus eò deducunt primos incolas, sive id antiquissimis jam temporibus inter primas demigrationes factum sit, quod nonnullis placet; sive diffusis & vehementer auctis populis; sive itidem ab oriente via, sive ab occidente in Americam reperta. Quapropter inter eas rationes, quibus summi Creatoris providentia totum

tum orbem incolis voluit impleri, navigationem referre nihil dubitamus. Quamquam non desunt, ne hodie quidem, qui diversum statuant. *Mare navigare* (inquit nonnemo è recentissimis scriptoribus) *magis ab audacia hominum natum est, quam ab instituto Dei, qui terram hominibus dedit, uti piscibus mare: licet nusquam ejus providentia absit.* Videant, qui ita sentiunt, quomodo hæc congruant cum dominio in pisces maris, quod Deus primo homini concessit; & cum rationibus aliis, quæ nec paucæ nec invalidæ pro navigationibus ex sacro textu & historia judicioque sanctissimorum virorum repetuntur. Quantum lateret nobilissimorum Dei operum, nisi in maria navibus itum esset, ad investiganda quæ latebant, ad occupanda quæ vacabant? An frustra excitavit vox prophetica insulas maris, & omnes fines terræ, ad audiendum canticum novum, ad percipiendam vocem domini? Imò verò memorabuntur perpetua prædicatione naves illæ, quæ apostolos Dei sanctosque viros alios, in insularum terrarumque remota vexerunt, ne quis locus in orbe esset, in quem splendor orientis ex alto non penetraret. Quod si rem ipsam ex eventu & memoria gestorum æstimamus, certe altera totius mundanæ historiæ, & humanæ occupationis pars in mari quærenda est. Hic bella pro salute, aut de imperio gesta; hic conditæ novæ gentes, structæ moles, tractata commercia; hic non Ecclesia minus quam civilis Respublica suos fluctus, suos cursus, sua naufragia, suos portus habuit: hic reperta abunde, quibus vita hominum sustentari, juvari, ornari consuevit; hic Deus suorum operum varietates, & miracula copiosissimè explicavit. Pro quibus sane beneficiis fas erat, ut orbis maritimus gratum se Deo piumque præstaret, sequestrato omni navigationum abusu, piraticisque sceleribus & luxuriæ avaritiæque studio procul relegatis. At vero sicut optimæ cujusque rei maximus abusus est, ita vehementer tamen injurius in optimas artes esset, qui vitia hominum in ipsarum injuriam rerum converteret. Sed hæc hactenus sufficiat præfationis loco posuisse: cum præsertim

 tim

tim juventutem Academicam ſuopte ingenio ab ejus generis erroribus alienam eſſe, ſatis perſuaſum habeamus. Erit, præter dignitatem argumenti, invitamentum non leve in *perſona dicturi de hac materia.* Talem enim ſe hactenus præbuit *Generoſus juvenis*, ut induſtria, & virtute, non proſapiæ modo ſuæ, ſed noſtræ quoque Academiæ, inſigni ornamento eſſet. Cujus teſtimonii honore eo promptius lætiusque ipſum impertimus, quo minor talium exemplorum copia per calamitates ſæculi ſuppetit. Quot decora Germanicæ nobilitatis integraſque familias abſumpſit diutina bellorum ſævitia? Nunc, dum omnes pacem ſuſpirio, voto, ſpe anhelamus, nulla tempori convenientior cogitatio animos Generoſæ Nobilitatis poteſt implere, quam ſi de inſtrumento pacis, id eſt, de bonis artibus & civili literarum cultu ſerio incipiant eſſe ſoliciti. Repoſcet communis patriæ neceſſitas illuſtria veterum familiarum merita, & niſi in vobis, ô Generoſe flos juventutis, revixerit, quicquid eſt meritorum in Rempublicam, & gloriæ quæ ex ſtudiis petitur, vereor ne facile inveniat & præſens ætas & poſteritas, quod vobis poſſit exprobrari. Sed Deus ſervabit vobis mentem veræ laudis & virtutis ſemper ſtudioſam ac memorem! Cujus voti fiduciam non ſinunt talia exempla langueſcere, quale in nobiliſſimo *Wachenheimio* noſtro commendavimus. Ad quem audiendum, ut tempore, quod ſupra ſignavimus, haud gravatim conveniant, quibus præclara ſtudia cordi ſunt, officioſe rogamus. Argentorati XXI. Aprilis CIↃ IↃC XLVI.

XXII.

DUm ad erudittiſſimum *Plutarchi libellum de Muſica*, pridem horis ſubſecivis ex iis quædam copioſius annoto, quæ in tali argumento Ptolemæus, Ariſtoxenus, Caſſiodorus, Boëtius; & præſertim duo diligentiſſimi atque doctiſſimi ſcriptores, *Manuel Bryennius, in libris ἁρμονικῶν, & Ariſtides Quintilianus περὶ μουσικῆς* (quos MSC. ex Berneggeriana Bibliotheca ſibi comparavit noſtra Academia) tum alii auctores ex occaſione paſſim, vel acute repererunt, vel erudite

erudite explicarunt: insignem hujus otii mei fructum me percipere intelligo, quod à conspectu publicorum malorum, & discordantis à sua harmonia orbis tumultibus, subductum animum subinde aliquis illius virtutis sensus reficit, quam Musicæ propriam esse voluit ὁ θεὸς μουσηγέτης. Deus, inquam, *qui universum hoc, quod oculis usurpamus, artificiis nulli oculo usurpandis, congruenter ordinavit, totamque præsertim animam perfectissima quadam harmoniæ ratione architectatus est*, (sicut rotundius, quam Latine expressi, suo ore loquitur *Aristides* ille) suæ divinitatis notam tam efficacem Musicæ impressit, ut invitis revera Gratiis Musisque nati videantur, quorum ea nec sensum afficit, nec animum extollit. Quanquam exterior est tantum, ut sic dicam, ea oblectatio, quæ ex vocum, nervorum, tibiarum cantu ab omnibus æque percipitur. interior autem illa, sapientum propria est, qua numeris & ponderibus, vocum modos & discrimina partiuntur: intervallis & dimensionibus, corporis harmonici membra ordinant; sonis gravibus acutos attemperant, acutis graves substituunt, utrisque medios interjiciunt; atque his omnibus varietatem, vices, mobilitatem, quietem, rationibus nec numero nec voce comprehendendis dispensant: ex perpetua discordia, perpetuum consensum; ex pugna, amicitiam; ex obstaculis adjumenta redigunt: totius denique concentus decus, & vim, & spiritum & indolem distinguunt sæculis, accommodant nationibus, admetiuntur animis, inserunt affectibus, comparant naturis rerum, & formis negotiorum. Talibus olim curis intentus Pythagoras, *Tetrachordum* suum, quatuor elementorum discordi concordiæ, & congruentibus per diversa officiis conformavit. Post quæ nonnullos altior naturæ meditatio, ad *Heptachordum*, tanquam ad typum & figuram sideralis, quæ inter Planetas est, necessitudinis deduxit. Et quoniam iterantur ac multiplicantur primarum cognationum & congruentiarum munia, itum est ad ampliorem concentus formulam, ut xv chordarum dispositione τέλειον ἡρμοσμένον σύστημα, sive instrumentum musicæ harmoniæ perfectum,

ctum, & quod canonis vicem fungi posset, contineretur. Denique quicquid in rerum natura consensionis est ac amicitiæ, ad musicam non comparabant modo, sed exigebant, præclara, id est, altiore communis harmoniæ sensu motuque imbuta atque excitata ingenia: cumque totum mundum musica ratione factum animadverterent, id quod in toto *ἐναρμόνιον* deprehendebant, in singulis quoque partibus cœperunt requirere. Hinc & corporum turbata valetudo, & animorum commotiones, musicæ, tanquam restitutionis & compositionis atque ordinis reginæ, obsecundare credebantur. Asclepiadem sane ferunt, phreneticis mentem, beneficio symphoniæ, reddidisse: ne de aliis nunc dicamus, quorum similia vel consilia, vel experimenta, nescio quam historice, certe non sine quadā philosophia, tum alibi, tum apud *Apollonium Dyscolum* celebrantur. Pythagoræ moris fuit, priusquam se somno daret, & cum esset expergefactus, cithara cantare, *ut animum sua semper divinitate imbueret*, sicut *Censorinus* refert: sive, ut ad agendum erectior mane fieret animus, ad quiescendum autem vesperi sedatior & ab affectibus purgatior; quod de Pythagoreis *Fabius* tradit. Illa utique animorum medicinæ destinata, *κάθαρσις* (pergamus enim uti Pythagorea ex *Jamblicho* voce) adeo non est inficianda, ut vel sola musicæ harmoniæ recordatio, graviores mentium perturbationes, quales ira, tristitia, solicitudo, metus adfert dispulisse non raro comperta sit: dum manifesto naturalis congruentiæ argumento, in suarum formarum habitus rapit animos, & quasi transformat. Nimis est arguta eorum cogitatio, qui ex nescio quo concentu siderum, Pythagoræ veteris commento, quod propiori ævo ex Hebræorum magistris *Doctor perplexorum*, satis ipse sibi hac in re perplexus, renovavit, animorum & ingeniorum studia, propensiones, incitationes metiuntur. Sed quantum supra mortalitatem assurgat, cœlestiumque sensu rerum quodammodo imbuatur anima, cum in se recessit, & musicam auscultavit, vix verbis declarari potest. Loquor hactenus ferme cum iis, qui *musicam multum obtinere divinitatis, &*

tis, & animis permovendis plurimum valere, & senserunt, & dixerunt : quamquam, quid in musica maxime esset harmonicum, & in harmonia maxime architectonicum (utendum enim nunc est his vocibus) prorsus ignorarent. At vero, qui principia musices non ab Apolline aliquo, aut Mercurio, aut Pythagora, sed ipso universi conditore, & primo vocis architecto didicerunt arcessere, illis longe suavius sonat modulatio, longe congruentius ordinatur melodia, longe interius insinuatur harmonia. Hic, jam sine fabulis & ambagibus, *cantant astra matutina* : hic chorus angelorum Deum universi factorem, quod omnia bene, omnia musice fecerit, deprædicat : hic hominum pietas opera Domini innumera, ab ævo in ævum, per intervalla, per gradus, per modos, collaudat. Hic David aliquis pulsat citharam, plenam mysteriis, plenam gratiis, plenam deliciis. Cithara quam dixi, mundi miraculum, an compendium est. in qua naturæ salubritas, sapientiæ amplitudo, imperii majestas, in unius symphoniæ temperamentum consentiunt. cithara, quæ Saulis furorem levavit ; quæ divini Spiritus impulsu oracula cecinit ; quæ regiis adsonuit curis, regios temperavit affectus, regias modulata est artes. cithara Medici, cithara Prophetæ, cithara Regis : cithara, inquam, Davidis, qui & medicus & Rex & Propheta. Talem citharam nemo vidit, talem cantum nemo audivit, talem harmoniam nemo sensit. Est enim cithara unica, cantus incomparabilis, harmonia mortali sensu animoque sublimior : cithara, cujus fides non describendo sed venerando reconcinnantur ; cantus, omnis studii auspicium, omnis animi oraculum ; harmonia, quæ cælesti contextu, æternitati innexa, humana cum divinis copulat, conciliat, constringit. Cithara, quam eruditorum ænigma, Sapientum desiderium, piorum familiare instrumentum dixeris. cithara, cujus nec fides confractæ, nec cantus intermissus, nec harmonia ignota, credi debent, quamdiu supersunt divina illa carmina, quibus ut olim insonuit, ita hodie resonat : carmina, quibus cantus intervalla & mensuram designavit Dei digitus ;

digitus; quibus, harmoniæ cæleſtis meditamenta, ut mortalitatis ſolatium & præſidium, perpetuis terrarum orbis uſibus conſecravit æterna Bonitas. In hoc Odeo audiuntur cantica omni ævo vetuſtiora, omni invento recentiora: cantica glorioſa, cantica ſancta, cantica angelica: cantica, quorum in terris ſonus exultat, in cælis harmonia triumphat. In hoc odeo, agones muſici non terminanda ſpectaculi ſuavitate exhibentur, quibus citharœdus incomparabilis, quia parem non habuit, non habebit, ſecum ipſe certat: ubi legem certaminis, Spiritus harmonicus, id eſt, ſolum & verum Numen harmonicum, dictat: ubi coronas & præmia Rex æternitatis diſtribuit: rex ſuavis, rex dulcis, rex omni vocum dulcedine, omni cantus ſuavitate æternum celebrandus: rex citharæ noſtræ argumentum, citharæ noſtræ temperamentum, citharæ noſtræ præmium: rex Sanctus ſuper omnes, Sanctus in omnibus, Sanctus pro omnibus. Dum in his meditationibus nuper verſor, commodum ſe obtulerunt duo ex Juventute Academica egregii commilitones, qui de exercitatione oratoria inſtituenda meam requirebant ſententiam. demonſtravi illis ſtatim mearum cogitationum argumentum, atque ut *alter* quidem CASPARUS WISMULLERUS, *Auguſtanus*, *Citharam Davidis Medicam & Propheticam*; alter GEORGIUS LAUB, *eadem patria natus*, *Citharam Davidis Regiam*, conatu muſico pulſandam ſibi deligerent; perſuaſi. Non quidem tam reconditæ meditationis diſciplina, juvenili vel profectu vel ſermone expediri poteſt: ſed intereſt utique maturæ ætatis profectusque, ne adoleſcentior ætas, illa initia negligat, quibus ad omnium annorum totiusque vitæ felicitatem imbuendi ſumus. Itaque, ſi lubebit, *craſtini VIII. matutina, loco conſueto*, recitantes audire (quod officium non male collocatum iri, perſuadeant ſibi rogo, qui humanitate ſtudiorum imbuti aut politi ſunt) non verebor, ne tenuis ſtilus, & tractatio argumenti rudior, æquos judices offendat: qui, cum tyrones producuntur; ſatis diſtinguere ſcient comitatem diſcentibus indulgeri ſolitam, à cenſuris exactio-

exactioribus, quibus artificis opera examinare, jus fasque censetur. Sed intempestivum forte fuerit, diutius his immorari: cum id unum superesse videatur, ut hic quoque decori musici non immemores, modum teneamus verborum, & Plutarchi clausulam, qua librum initio nobis laudatum finivit, nostram faciamus: *ἀνώτατον δὲ καὶ μουσικώτατον, τὸ παντὶ προσῆκον μέτρον ἐπιτιθέναι.* Argentorati XX. Augusti cIↃ IↃC XLVI.

XXIII.

EXpulsis Roma Regibus, ejuratoque regno, ad optimates haud dubie omnia redierant. horum enim ope, consilio, liberatus è servitute populus, statim imperium in libertatis suæ vindices transtulit. *Libertatis autem originem,* inquit *Livius, inde magis quia annuum imperium consulare factum est, quam quod diminutum quicquam ex regia potestate, numeres. omnia jura, omnia insignia primi consules tenuere.* At Valerius, quo adjutore Brutus reges ejecerat, in locum L. Tarquinii Collatini consul creatus, cum animadvertisset, se quoque in suspicionem affectatæ dominationis venisse, adeo factus est subito popularis, ut non speciem modo imperii, submissis pro concione fascibus, sed vim ipsam populo concederet, latis de potestate populi legibus valde magnificis, quæ Nobilitatis auctoritatem plurimum imminuerunt. *An prudenter éque Republica fecerit Valerius ille*, non heri aut hodie demum disputatur, sed antiquorum temporum hominumque sententiis atque casibus disceptatum est. Quippe hæc est origo tot contentionum, secessionum, turbarum in Republica Romana: dum Patres repetere à populo, incuria Poplicolæ translatam majestatem; populus asserere delatum ad se ultro jus arbitriumque rerum, summo utrinque studio annituntur. Qui reprehendunt Poplicolæ consilium, illis suspecta per se nimia popularitas, non nisi privatæ laudi utilitatique data videtur: ut invidia suspicacis populi magno aliquo præmio redimeretur, ut secura in posterum viri auctoritas, & certior sub dissimulatione potentia procederet. *Non oportere autem*, inquiunt, *in re tanti*

momenti affectibus aut privatis studiis duci, & quasi prater mentem fortuna publica, ac in prajudicium tot illustrium familiarum, jura Reipublica dilargiri aut transferre. ad Optimatum imperium, tanquam ad sacram ancoram delatas, ex fluctu conversionis, res Romanas; concussumque & circumactum imperii orbem, velut ad proximam & commodissimam metam substitisse; non sine numine: cujus consiliis parum pie, & intempestive Valerius intercesserit. Mutationibus reipublica sua intervalla esse, in quibus nihil per saltum, omnia per seriem fieri debeant. Si regii imperii salubritatem non capiat amplius respublica, proximum ex optimatibus auxilium ostendi; quorum regimen, non prastantia tantum gradu, sed conversionis ordine, secundum in omni argumento imperiorum, locum obtineret. Tantum imperii corpus projici facilius, quam transferri à summis ad ima potuisse. Neminem prudentum unquam Democratiam suasisse, nisi postquam nulla in aliis formis spes superesset. Non enim in prasens modo levamentum periclitantis, sed in posterum firmamentum restituta reipublica spectari debere: quotiens de novo statu quastio incideret. Jam vero populi ingenio nihil incertius aut mutabilius esse, cui non auctoritas, non potestas, non civilis actionis facultas sine periculo committi queat. Igitur leges Valerii pro populo, esse instrumenta & machinas adversus salutem publicam: cui nihil certius pereat, quam quod in vulgus dispergitur. Hæc & similia plura, adversus Poplicolæ Democratiam non abs re & specie, differi possunt. Nisi quod ex diverso, non plane nihil habet caussa ejus, quo se tueri queat. *Possit enim aliquis existimare, divino prorsus auspicio factum, ut liberata tyrannide Respublica in aquabile quoddam civilis disciplina temperamentum coalesceret: cujus initium ab Aristocratia sane fieri, robur autem & vis per Democratiam consummari debuerit. id natura convenientissimum regimen, id summa ratione comprobatum, si auctoritas in patribus, vis multo maxima in populo sit. ita suppleri, qua desint; coerceri, qua redundent, componi qua dissideant. procul removendos hinc locos communes, quibus in plebis inertiam & temeritatem declamare plerique solent. nunquam de tali forma reipublica Valerio in mentem venisse; cujus profunda sollertia, ex omni Politica disciplina, ipsos prudentia & felicitatis publica nervos, in*

ordinati

ordinati beneque compositi corporis decus compegisse videtur. posse Solonis, sapientissimi hominis, discipulum ac imitatorem agnosci. qui & ipse rectissimum felicissimumque genus imperii judicavit, si libertas populi summam rerum moderaretur. Ita facillime excitari ingenia ad eximios conatus; ita virtutum semina generosius concipi in animis,, succrescere latius, efflorescere speciosius. non aliud magnorum operum certius auspicium, aut præsidium tutius. ita opibus firmam, copiis locupletem fieri rempublicam. nunquam commeare libentius, nunquam felicius negotiari fortunam commerciorum, quam sub vexillo libertatis. Frustra jactari depressam à Poplicola optimatum auctoritatem, & prærogativam populi supra temperamenti salubris modum evectam. satis enim provisum patribus, ut virtute præfulgere, prudentia antestare, industria eminere, eloquentia præcellere, gratia præpollere possent. has optimatum artes, hæc auctoritatis senatoriæ decora esse, quibus ad summam moderationem redigeretur populi potestas. Talia si quis amplius expendat, & cum ceteris, quæ ad hanc formam disputari queunt, conferat, jam serio forte animadvertet, singulare id popularis imperii fatum esse, ut à paucissimis vera æstimatione pensetur. Nam quæ de intemperantia & licentia populi, plena manu sparguntur convitia, plerumque extra sæculi exempla sunt. neque existimo hodie in ulla nobiliore Republica dari tale imperium populi, quale sibi plerique audito Democratiæ nomine fingunt, id est, infinitum, promiscuum, nullo graviore consilio munitum, nulla optimatum auctoritate temperatum. Talis enim status, præterquam quod in formis reipublicæ non habetur, facile & cito se destruit, adeo ut vel interitus, vel mutatio reipublicæ consequatur. Illud quidem diffiteri nihil attinet, quod initia popularis imperii non magnam semper speciem præ se ferunt. Sed ea sors, ad cetera quoque regiminis genera pertinet. *Et quid agemus tandem ac sentiemus mortales, si præterito rerum præsentium statu, ad primas semper origines respiciemus?* Valde fallor, aut cessabit exprobrandi libido. Nobis ab his initiis per vestigia, quæ Deus fecit atque demonstravit, ad summum Democratiæ decus licebit ascendere; ut no-

ſcamus divinæ notam majeſtatis, non minus imperio populi, quam ceteris reipublicæ formis, communicatam, impreſſam, donatam. Hanc venerari fas eſt, ubicunque eam invenimus. Sancta nobis eſto Regum majeſtas: ſancta populi libertas: quia ubique à Sancto, & ſanctum eſt, quod intuemur. Qui in ſumma unius ſanctitatis majeſtate gradus ſunt, illis, ſicut Deus jubet, ſicut Prudentes intelligunt, ſuus ordo, ſuus locus conſtet. Democratia nunquam gravabitur fateri, ſe diademati regio nec raro nec irreverenter commodaſſe fulgoris ſui radios, quibus radiata Regum capita totum orbem illuſtrarunt. Sed redeundum eſt ad Poplicolam Romanum, de quo ſolo præfandum aliquid fuit: dum *inſtitutam Romæ ab ipſo Democratiam, exercitationis oratoriæ cauſſa, in cathedra publica examinare* conſtituerunt, *Nobiliſſimi Juvenes*, JOH. CONRADUS ZIEGLERUS & JOH. ULRICUS PEYERUS im Hoff / *Scaphuſiani, convictores & hoſpites mei dilectiſſimi.* Quorum ille quidem ea in medium adferet, quibus coargui Poplicola poſſe videtur: hic autem defendendam ſibi Poplicolæ cauſſam deſumet. ZIEGLERUM *Magnifici Parentis, Conſulis Scaphuſiani graviſſimi*, quem *Helvetici fœderis Ciceronem* merita pridem publica celebrant, exemplum ad eruditionis & virtutis gloriam ſtimulat: PEYERO tum alia familiæ decora, tum *Nobiliſſimi viri* JOH. LUDOVICI PEYERI, magna cum laude poſiti in litteris labores (quorum honorifica ſemper teſtis erit noſtra Academia) incitamento ſunt. Sub his auſpiciis audebunt committere publicis auribus ſua rudimenta: in quibus, ut ſola voluntas, ſi non laudata, excuſata tamen ſit, precantur. Acceſſi lubens precum ſocius, & exemplum, juventuti; induſtriam, fautoribus ultro commendendam duxi. Recitabunt die perendini *hora VIII. matutina, loco conſueto.* Dixi argumentum, dixi cetera: nam quæ ſuperſunt, gratæ mentis erga auditores, quos invitamus, pignora, repræſentare malimus, quam dicere. Argentorati XXVI. Auguſti CIƆ IƆC XLVI.

XXIV.

XXIV.

ADolefcebat fæculum à nato Chrifto feptimum, cum exortus, Imperante Heraclio, Mahometus, valetudine corporis & animi pravitate in nefanda omnia præceps, infaniam fuperftitionis, & furorem turbandi compofita, tam immodico aufu in perniciem humani generis expedivit, ut ex contemtiffimis latrocinii initiis homo privatus & fanaticus regno caput daret, quod Saracenorum viribus auctum, Turcorum nomine infignitum; toti propemodum orbi formidabile factum eft. Præfertim vero Chriftianis tam graviter in hunc diem incubuit illa tyrannis, ut inter omnia, quæ vel religioni vel reipublicæ, propheticis prædicta oraculis comperiuntur mala, non aliud videatur atrocius cenfendum effe. Longum foret recenfere inteftinas imperii, ipfiusque rei Chriftianæ labes, difcordias, dedecora, flagitia: quorum occafione partim nafci, partim augeri & invalefcere potuit fatalis pernicies: neque enim tam Heraclio tribuenda eft ea culpa, quam Romani imperii non divifo modo, fed pænè difcerpto ftatui: quem dum recolligere & componere negligunt poftea, quibus religio & publica fecuritas cordi effe debebat, cum flagitiis hominum augentur flagitiorum pœnæ, quæ, adhuc incertum eft, quem modum aut limitem fint habituræ. Non caruit tamen omine, fingularis ille honor, quo Heraclius (memorante *Nicephoro Conftantinopolitano*) Turcorum Principi, cujus adverfus Perfas auxilium ambiebat, fuum ipfe detractum fibi, diadema, impofuit: quafi fignificaretur, Imperii Romani per Græciam & orientem decus, ipfis Imperatoribus per vecordiam quafi tradentibus, ad Turcas olim tranfiturum, quorum nomen tum non alio quidem quam barbariei titulo notum, ad imenfarum opum famam proceffurum effet. Confultatum quidem tandem eft inter ChriftianosPrincipes, quomodo ecclefiæ religio, populis libertas, tam crudeliter, tam diu oppreffa reftitueretur: fed jam ita coaluerat Turcicæ dominationis moles, ut convelli fine convellentium exitio non poffet. Commendari fane merentur, quæcunque

magnorum virorum in eam rem vel dicta prudenter, vel suscepta generose, vel fortiter patrata extant. Quinimo si historiam Passagiorum (ita enim vocantur à sequioris ævi scriptoribus expeditiones communi ope adversus Turcas susceptæ) evolvamus, ingentes gloriarum ac triumphorum titulos cognoscemus. Et quis unquam satis laudaverit Godefridum Bullionium, qui Henrici IV. Imperatoris auspicio, tot clades nominis Christiani hostibus intulit? Quis dignis extollat prædicationibus Friderici Cæsaris virtutem, qui perpetua felicitate jamjam æquaturus erat Alexandrum Macedonem, nisi infelicius, quam ille, corpus in Cydno flumine abluisset? Interim non pauca reperias in ejusscemodi militia, & fœderibus Christianorum; quæ minuendo malo, nedum extinguendo, adeo non erant idonea, ut præter cladem & dedecus, ultro iram divini numinis adversum nos cumulasse videantur. Tanta fuit sæpe æmulatio ducum, licentia militum, temeritas consiliorum. cumprimis autem plerique non id quærebant, quod huic militiæ unice debet propositum esse: quosdam fides domi afflicta, alios spes prædarum, nonnullos ipsa dissoluti moris illecebra, aut alia privata stimulatio; ad sacramentum militiæ, quæ nihilominus sacra vocabatur, & signo crucis pro Christi gloria insigniebatur, excitabat. Cordate *Guibertus Abbas*, de incondito Petri Eremitæ agmine: *indisciplinatis* (ita loquitur) *mors obviat, & quidquid pensi moderatique nihil habet, parum durat.* De expeditione autem sæculo duodecimo admonitu Bernardi Abbatis Clarævallensis præcipue suscepta, *Otho Frisingensis* qui interfuit, ita fatetur: *Si dicam sanctum illum Abbatem, spiritu Dei ad excitandum nos afflatum fuisse, sed nos ob superbiam lasciviamque nostram salubria mandata non observantes, merito rerum personarumque dispendium deportasse, non sit à rationibus vel antiquis exemplis dissonum.* Liberius, pro more (si modo affectus plane abest) *Jacobus Meyerus in Annalibus Flandricis*, cum rei male gestæ contra Turcas mentionem fecisset, judicium suum in hæc verba subjicit: *Crediderim numini non placuisse tales pugnatores,*

res, nempe superbos, vanos, arrogantes, factiosos, discordes, luxui libidinique nimis deditos, religionis exortes & schismaticos. Fuit, cum expeditionis sacræ rursus impetum tam inconsulte caperent, & apparatum tam inepte administrarent homines, ut risum potius amicis, quam metum hostibus excitarent. Conati equidem sunt viri eximii, omnem militiæ tam gloriosæ ac necessariæ rationem facultatemque, susceptis peregrinationibus explorare, compositis monumentis perscribere, summorumque Principum animis & auribus fideli consilio commendare. Fecit id præsertim *Marinus Sanutus* Patricius Venetus, qui ante tria hæc sæcula, magna diligentia & rei Christianæ studio, *Secreta fidelium crucis*, ut vocat, elaboravit: in quibus varia rei suscipiendæ conficiendæque consilia exequitur, notatis simul erroribus, qui ante id tempus successum armorum impediverant. Et quis fere magnorum virorum, vel in republica gerenda, vel in litteris colendis principatum aut nomen aliquod tenuit, post ea tempora, qui non istud votum animo, sermone, consilio, stilo foveret atque promulgaret. Sed factum est, proh dolor, ab aliquot ætatibus, ut Christiani in sua viscera conversi, dum ad internecionem usque mutuis cædibus sæviunt, internecinum illum hostem fœderibus & tributis donisque placare, quam armis communibus debellare maluerint. Quod sicut in singulis interdum necessitas excusat: ita universis Christianis nunquam non indecorum erit, quod nobilissimas sui corporis partes Turcis passi sunt fieri tributarias. Et quid deinceps futurum est? Auguratur sane *Nicolaus Chalcocondylas*, non incelebris rerum Turcicarum Scriptor, fore ut tandem convellatur illud culmen potentiæ, ex quo res Christianas Turca non despectat modo, sed quasi fulminibus quibusdam ferit. Eritque forsitan hæc pars vindictæ & militiæ, qua Christus, antequam ad æternos triumphos suam colligat Ecclesiam, immanissimum hostem, non parvam scilicet triumphandi materiam, dejiciet atque concidet. Sed profecto aliis opus est animis, aliis moribus, aliis fœderibus, quam quæ hactenus inter

ter

ter Christianos, sacramenti & imperatoris, & tesseræ suæ nimis oblitos, observamus. Præfari hæc libuit indicendæ exercitationis Academicæ oratoriæ gratia: qua ex commilitonibus nostris *duo Argentoratenses*, JOH. PETRUS STORCKIUS *avo & patre Coss. & Scholarchis Reip. celeberrimis ortus*; & JACOBUS PHILIPPUS ESPICHIUS *Excellentissimi Professoris* JACOBI VALENTINI ESPICHII, *Collegii Med. h. t. Decani Spectabilis, collegæ, affinis & fautoris nostri honoratissimi filius*, delegerunt sibi argumentum de rebus Turcicis: ut ille quidem, *de Turcarum origine, progressu atque adversus rem Christianam conatis ac molitionibus*; iste, *de Christianorum adversus Turcam consiliis operibusque* aliquid publice dissereret. Et quanquam paulo aliter, quam ego animo destinaveram, laboris forma processerit, tamen quia industriam singularem animadverti ab utroque, nec infeliciter, adhibitam, nihil immutavi: cum haud raro fieri soleat, ut præclara ingenia, in nobiliores conatus libentius se excitent, si rigidioribus censuris non absterreantur. Certe, quæ scripserunt, talia sunt, ut ultro felicis ingenii nomine commendari mereantur. Nam argumenti hujus amplitudinem exhaurire, aut gravitatem ornare, supra juvenilem industriam est. Accedit in partem favoris promerendi, expectatio præclara, quam de utroque, merito & firmiter concepimus, si Deus vitam ipsis, quod optamus, & bonæ mentis constantiam conservaverit. Recitabunt suas orationes *perendie hora VIII. matutina, loco consueto*, qui per se homines optimarum rerum artiumque studiosos allicere potest: ut nobiscum pia pro pace Christiani orbis, in qua certa Turcarum pernicies continetur, vota suscipiant. V. Perscriptum Argentorati xx. Octobr. cIↃ IↃc XLVI.

XXV.

DIsertissimus Judæorum Philo, eleganti libello, *Βίον πολιτικὸν, vitam viri civilis*, sub exemplo JOSEPHI, notabiliter explicavit. Nihil aptius titulo, nihil gravius argumento, nihil eruditius tractatione. Unde enim potius magnarum rerum documenta, in omne genus vitæ traduci debent

debent, quam ex illis monumentis, quæ ipsa scripsit Veritas, ipsa Sanctitas consecravit? Et sunt sane de Josepho ea, magni illius Mosis calamo, excepta atque consignata, quæ perfectissimi *Politici* exemplar possunt absolvere. *Politicum* autem nunc vocabimus ad exempli, de quo loquimur, formulam, non quemvis civili peritia virtuteque præstantem virum, sed qui ad ipsum civilis dignitatis fastigium, maximarumque curarum in Republica consortium, tanquam præcipuus Regum Principumque adjutor, & instrumentum felicis regni, divinitus adhibetur. Hos tales viros Deus, singulari Prudentiæ opere, format, deligit, excitat, evehit, constituit, Reipublicæ usibus consecrat ac moderatur. Hæc est origo ingenii, quod non practicum modo, cum scholis; sed Politicum, ex fato suo, vocitare possumus: vim mentis acrem, habilem, promtam; sollertia cogitandi, dexteritate judicandi, felicitate providendi, ad agenda expediendaque negotiorum ardua, semper instructam. Hæc est origo fortunæ successusque ad omnia valentis, per omnia penetrantis. JOSEPHI ingenium & singularem indolem multa sunt quæ declarant. nec de industria dubitandum est, qua tam præclara soboles & indulgentissimi Patris educatio sibi mutuo responderunt. Jam, quales ei fuisse stimulos credimus, quos arctior Dei cum Parente & filio familiaritas, diversis modis, semper efficaciter, utriusque animo sive insinuavit, sive impressit? Ita nascitur, ita educatur, ita præparatur Josephus. cujus præparationis magna statim pars fuit, duriorum casuum consuetudo: ne secundis tantum suetus animus, perfectæ magnitudini ulla parte impar reperiretur. Quos natura ei conjunctissimos esse voluerat, hos invidia hostes ejus ac pæne parricidas, certe plagiarios fecit. Venditur liberum caput, & peregrinæ servituti mancipatur: neque finis miseriarum; post patriam amissam, post caput diminutum, omni existimatione, confictis mire criminibus, spoliatur: in vincula conjicitur, ut nihil jam superesse, præter desperationem melioris fortunæ, videretur. Sub his ambagibus

latuit ingens illud, & sub tali exemplo omnibus commendandum sæculis mysterium: *Quo magis viri boni, aut quos Deus ad magna destinavit, premuntur, eo magis eriguntur: quo magis obscurantur, eo magis enitescunt: quo magis infestantur humanis odiis, eo magis divino favore proteguntur.* Conversa enim mox fatorum serie, Josephus ille carceris inquilinus, in regis aulam producitur: jussuque regio, qui captivus fuerat, Ægypto dominari, & ab imminente periculo regnum tueri jubetur. cultus, insignia, tituli, honores, solo regis fastigio minora in eo publice conspiciuntur, cui modo non die, non sole, non hominum conspectu frui licebat. Ecce, magni viri magnus casus, magna virtus, magna gloria, magnum exemplum! Cujus dulcissima meditatio longe me afficit prolixius, quam ut in angustias hujus pagellæ, primas saltem lineas designare ausim. cum præsertim nunc nihil aliud quam præfari oporteat, de *præstantissimorum Juvenum* instituto JOHANNIS CUCUELL, & JEREMIÆ DUVERNOY, *Montisbelgardensium*: qui dum in bonis litteris strenuos se hactenus commilitones præbent, bona quadam fortuna inciderunt, etiam in Philonis, quem ab initio laudavi, libellum, de *Josepho Politico*. Ea lectio non sivit eos amplius ambigere, de exercitationis Academicæ materia. statim ita partiti sunt operas, ut *alter*, sub exemplo Josephi, DE VIRTUTE POLITICI; alter, DE GLORIA POLITICI, oratiunculam componerent, atque in publico auditorio recitarent. Quamvis enim argumenti gravitas, facile doctissimi cujusque & facundissimi ingenium ac eloquentiam superat, displicere tamen nobis non debet, conatus ejus ætatis, quæ maximarum rerum primordia, ut materiem majoris operis, provectioribus annis litterisque, seligit ac auspicatur. Itaque tenuitatem stili & tractationis, non excusabo: viderunt sæpius humanitatem auditorii, sperarunt favorem ex ipso Josephi Politici vocabulo: denique si nulla re alia, certe brevitate, se placituros crediderunt. Hæc ut ab ipsis dicta accipi debent. quibus à me possem addere, indolis, quæ in utroque elucet,

præ-

præstantiam; studiorum laborumque Academicorum industriam; propositum bonæ rectæque mentis, tum quæ eximiis Parentibus, & honestati generis debentur: sed à bonarum rerum & laudabilium exemplorum fautoribus non opus est conquisitis precibus audientiam efflagitare. Recitabunt, quæ scripsere, die *Veneris*, (qui erit hujus mensis XIX, ipso JOSEPHI nomine in fastis signatus) hora VIII. matutina, loco solenni. Valete. Perscriptum & propositum XVII. Martii, Argentorati, Anno CIↃ IↃC XLVII.

XVII.

DE CONVIVIIS dicturi sunt, *cras hora VIII. matutina, in Auditorio sollenni, duo egregiæ indolis ac spei Adolescentes,* ANDREAS SCHILLING, *Viri admodum Reverendi Præclarissimique Pastoris & Ecclesiastæ Summi Templi, Argent. Fautoris & Affinis nostri honoratissimi*, filius: & JOHANNES FRIDERICUS von der Straß / *cujus Parens p. m. perscribendis ærarii publici rationibus præfectus, ut minime facilem, ita honestissimam stationem, magna dexteritate administravit, filioque non parvam virtutis Germanæ hereditatem reliquit.* Quos convictionis & consuetudinis Academicæ humanitas imbuit, illi, non sane ad epulas Sybariticas, aut apparatus Persicos, sed ad simplicitatis antiquæ, & majoribus nostris amatæ officium; neque ventris onerandi, sed animi remittendi gratia, peramice invitantur. Fuit jam inde ab ultima vetustate viris prudentibus usitatum, ut non tam mensæ, quam animi delicias, neq; sic cibos, ut acroamata, sermones, colloquia in conviviis sectarentur. Moderatam Pomponii Attici elegantiam ita describit *Nepos: Nemo in convivio ejus aliud acroama audivit, quam anagnosten; quod nos quidem jucundissimum arbitramur: neque unquam sine aliqua lectione apud eum cœnatum est; ut non minus animo, quam ventre, conviva delectarentur.* Recognoscere licebit in iis, quæ Declamatores nostri recitabunt, quædam lectionis antiquæ vestigia; licet non tam signanter expressa, quam tenuiter libata. In quibus, ut non sit magna delectatio, viam tamen demonstrare poterunt ad ea, quæ plus voluptatis afferent. Habemus *convivium Socrati-*

cum, ab elegantiſſimo & ſuaviſſimo convivatore, *Xenophonte* apparatum: Habemus *convivium ſeptem ſapientum*, *imo omnis generis eruditorum*, *& artificum in quavis arte præſtantium*, cum inſigni varietate *acroamatum*, *quæſtionum*, *diſputationum*, apud *Plutarchum*, & *Athenæum*. Quem iſta neque delectare poſſunt, is videat, ne poëtæ veteris ſatyram novo exemplo inſigniat, quando deſcribitur,

Ruſticus, abnormis ſapiens, craſſaque Minervâ.

Si quis interim ſtomacho delicatiore, peregrinos, aut è Græcia accerſitos cibos, minus concoquere poteſt, ei menſam magis familiarem inſtruent, & præmanſa in os ingerent *Stuckius Antiquitatum Convivalium ſtructor*: *Jovianus Pontanus*, & *Jul. Cæſar Bulengerus*, *circa conviventiam*, & *convivia*, pridem comiter, nec ineleganter occupati. ne de *Sariſberienſi*, & aliis dicamus. Horum copia ſupplebit paupertatem noſtrorum commilitonum: qui apud eruditos Auditores, lautioreque apparatu aſſuetos, veniam ſe exoraturos confidunt, ſi hanc tabellam publice præſcribant Auctoritate nobilis poëtæ (nam huic generi hominum propria quædam in conviviis gratia debetur)

Plerumque gratæ divitibus vices,
Mundæque parvo ſub lare pauperum
Cœnæ, ſine aulæis & oſtro
Sollicitam explicuere frontem.

Nam ut aliunde mutuarentur, aut emendicarent, apparatum cultiorem, nolui illis auctor eſſe. Pro conditione hominum, & fortuna (ſub qua hic ætatem, & captum juvenilium annorum intelligere fas erit) convivii æſtimatio facienda eſt. Poterunt tamen, ni fallor, aliquid gratiæ fœnerari, acroamata muſica, & ſymphoniacorum ſuavitas, quæ non aberit noſtro ſive triclinio, ſive auditorio. Hæc innocua & ingenua eſt voluptas. nam reliquum epulandi & convivandi morem, non tantum diritas temporum, ſed, quæ ſola pro candore priſco regnum hodie obtinet, ſimulatio & fucatæ blanditiæ, præcipua jucunditatis parte privant. Atque iſta ferme ſunt, quæ in gratiam *eximiorum*

Adole-

Adolescentum, quorum studia & specimina Academica cordatis omnibus plurimum commendo, præfari hoc loco, non intempestivum duxi. de cetero, favor studiorum, & Parentum merita, si quid ad invitandum superest, facile pro argumentis erunt. Vale, Lector benevole. Argentorati IX. Novembr. CIↃ IↃC XLVII.

XXVII.

D*Ie perendini, qui mensis Martii nonus in fastis numeratur, hora VIII. matutina loco rituque Academico sollenni*, orationem habebit *Generosus & Nobilissimus* CHRISTIANUS URNE, *Eques Danus, Viri vere Magnifici, Per-Illustris, Eminentissimi*, DN. CHRISTOPHORI URNE, *Cancellarii Regni Danici*, filius. Ad quem audiendum, ut frequentes conveniant, qui literas amant, Academiis favent, generosum prosapiæ decus venerantur, nationis denique Danicæ laudatissimæ decora, quibus non olim tantum, sed à proximis mensibus, Argentoratenses Musæ enituerunt, merita æstimatione colunt; non opus est, argumenta conquirere. Suum cuique studium, pro ratione erit. Delegit argumentum, cujus nomen in ore populi celebre, fama inter doctos ambigua, intelligentia in aularum & curiarum secretis recondita, nisi quod genius seculi, nihil secretum esse patitur. Fuit enim tempus, cum in altissimo arcano, civilis tractatus mysteria custodirentur: nemini fas erat ostentare, ac ne nominare quidem, ea, quorum nullum in sermone vocabulum, nulla in exteriore scena species, sed interior, in penetralibus Prudentiæ, virtus quærebatur. Interim dum revolvitur moris civilis & aulici orbis, cœperunt excogitari elogia, adornari figuræ, jactari argumenta, quibus in rationem & consuetudinem iret ostentatio rerum, quas ante profanari putabant, si extra cancellos & cubicula sacrarii aulici noscerentur. Caussa varie traditur. Plerumque curiosi & ambitiosi nonnulli homines arguuntur, qui cum emissitios oculos ad inconcessa & seposita adjecissent, aut ad ministeria rerum abditarum admissi essent, unum sibi ad famam & opinionem sapientiæ, iter dari crediderunt,

runt, si tacenda eliminarent. Neque tamen prudentes gravesque viros ab hoc negotio excluseris: sive illis, in sapientiam vertere, quæ ab aliis peccata, jam mutari non poterant, ratio fuit; sive illa ipsa rerum abstrusarum ostentatione ac prædicatione, deludi verius quam erudiri curiosos, nominaque profundioris prudentiæ, non momenta publicari vulgo, judicarunt. Memorabilis exempli vicem præstare potest RATIO STATUS, de qua Generosus Juvenis, quem nominavi, publice dicturus est. Retinemus enim vocem, Latinis quidem scriptoribus non usitatam, sed ab Italis ad Gallos, aliasque nationes tanta consuetudinis asseveratione transmissam, ut, quod ante lustra annorum non adeo multa, timide, & rarius, & cum præfatione usurpandum fuit, hodie inter sollennia Politicorum vocabula, quotidiana scriptura sermonibusque jactitetur. Quæ defensio, etiam in aliis nonnullis, URNEUM nostrum tuebitur. De rebus enim extra scholæ pomœria natis, & genio civilis scenæ, quæ temporibus servire solet, accommodatis, loqui fas est, cum iis, quorum nec auctoritati ratio, nec rationi auctoritas deest, etiam cum vetustas deest. Maluerunt aliqui vocare, *Prudentiam Extraordinariam*: sed eo genere appellationis, genuina vis & natura rei, quam *Ratione Status* non ineleganter Itali notarunt, nequaquam diserte exprimitur. Quicquid sit de nomine, res ipsa longe minus explanatæ philosophiæ est. Argumento poterunt esse, tot descriptiones, disputationes, dubitationes Politicorum: addidissem pæne, abusiones. *Boteri* quoddam opus titulum hunc præfert, sed materiam diversam, descriptionem scilicet variarum Rerumpub. aut, ut alii loquuntur, Statuum spectat. *Palazzi* regulæ, si pro Ratione Status accipiuntur, nihil obstabit, quo minus plurimos aliorum libellos, varia inscriptione editos, sub ejusdem elogii titulo consignemus. Ut aliorum & præsertim *Bonaventuræ* descriptionem refelleret, ac meliorem aliquam investigaret, toto ferme opere, diligenti sane & laborioso, *Claramontanus* occupatur. Sollertissimus *Septalius* ex ordinariis Politicorum

rum regulis, & usitata civilis actus formula, multa in communionem tituli admittit, quem de re ordinaria, ut cœpimus dicere, alii non exaudiunt. Sunt, qui Ratione Status, non nisi rem malam signari autumant: nonnullis, præter laudata virtutis nomina, nihil habere videtur. Melius cæteri, in medio genere, quod partim laudis capax est, partim reprehendenda complectitur, reponunt. Inventa quinetiam est ratio subtilitatis cujusdam, quæ affirmaret: Rationem Status, non nisi per arcanos libellos, longe alia, quam in editis operibus fieri solet, descriptione, inter acutos Politicos (in Parnasso, opinor) quasi de manu in manum, sub lege altissimæ dissimulationis, contradi. Valde tamen vereor, ut se cuiquam illud θαυμαστὸν ἄκουσμα probare queat: nisi forte iis, qui nominum & rerum novitatem distinguere, parum didicerunt; aut studium civilis scientiæ, ultra paucos, heri & hodie natos libellos, nunquam proferre ausi sunt. Manet interim Ratio Status, ænigma sæculi, materia subtilitatis; cum Proteo, Thetis; cum Paride, Helena; cum Ulysse, Penelope. Argumentum tam lubricum, & quod presse comprehendi refugit, cur, non quidem explanandum sed attingendum sibi existimaverit Nobilissimus URNE, ex ipso intelligent, quibus cordi erit, Virtutem & industriam ejus, qua hactenus Academiam nostram ornavit, præsentia, auscultatione, gratulatione sua honorare, ac familiæ tam generosæ, publiceque venerabili, faustæ sortis perennitatem nobiscum comprecari. Scr. Argentorati VII. die Martii, Ann. Christ. CIↃ IↃC XLVIII.

XXVIII.

A. *Gellius Noct. Att.* V, 13. refert memorabilem disputationem clarorum Romæ virorum, de gradu atque ordine officiorum, quando quærebatur: *quibus nos ea prioribus potioribusque facere oporteret, si necesse esset in opera danda faciendoque officio alios aliis anteferre. Conveniebat autem facile* (ita pergit) *constabatque ex moribus pop. R. primum juxta parentes locum tenere pupillos debere, fidei tutelæque nostræ creditos: secundum*

dum eos proximum locum clientes habere, qui sese itidem in fidem patrocinumque nostrum dederunt: tum in tertio loco esse hospites: postea esse cognatos affinesque. Adducitur deinde *Masurii Sabini* auctoritas, qui *antiquiorem locum Hospiti tribuit quam Clienti.* aitque, *apud majores ita observatum esse in officiis; primum tutelæ, deinde clienti, tum cognato, postea Affini.* Ex quo intelligimus; officia *Hospitii* & *Clientelæ*, valde sibi vicina, æstimatione, religione, usu fuisse. Et de aliis quidem gentibus, Hebræis, Phœnicibus, Ægyptiis, Syris, non patitur instituti ratio, ac paginæ hujus modus, aliquid adferre. In Romanis autem institutis velut in unum conducta occurrunt, quæ ipsi à Græcis, Græci ab aliis in constituendo jure & bonis moribus formandis acceperunt. Hospitii vero humanitatem naturæ socialis ratio primum, & ultro commendavit gentibus: licet affectu propositoque diverso, nonnullas civitates, ut fieri solet, accedentibus præsertim quibusdam incommodis, demonstratum à natura iter deseruisse constet. Romanos autem non tantum amor officii, sed prudentiæ etiam civilis usus docuit, sanctam & cognatam facere *Hospitii* & *Clientelæ* necessitudinem. Atq; sicut *Clientela* ex instituto Romuli pertinebat ad concordiam ordinum, Patricii & Plebeji, sanciendam; adeoq; ad conjunctionem & consensionem civitatis stabiliendam: ita *Hospitii* comitas, ad devinciendos aliarum civitatum animos, utique spectabat. neque profecto antiquiora Rerumpublicarum munimenta nominaverim, quam domi concordiam, foris auctoritatem & famam. De utraque re ita tenendum est: quædam in Hospitio & Clientela, ad virtutem & consuetudinem bene moratam; quædam ad jus & legem; quædam denique ad ritus & formulas & symbola referri oportere, si scriptorum loca recte velimus interpretari. Hinc *de more & jure hospitii ac clientelæ: de utriusque religione, diis, sacris, pignoribus, officiis, legibus*, ubique videas sermonem fieri. Scilicet, quod virtutis ratio suppeditat, lex in formulam officii collegit, distinxit, sancivit: accessere rei sanctæ legibusque præceptæ, sollennia quædam, variæque consuetudines,

nes, conciliandæ venerationis, partim ſubmonente lege, partim ingenio ſtudioque hæc officia uſurpantium. qualia, ubi conſenſu veluti tacito convaluerunt, & ipſa ſibi quandam legis jurisque formam induunt. De Clientela illuſtris eſt lex XII. Tabb. *Patronus ſi clienti fraudem faxit, ſacer eſto:* de qua *Servius ad ſextam Æneidem.* Hoſpitii quoque ſanctitatem, ſeveris munitam legibus pœnisq; conſtat: hinc ſtigmata *ingrati hoſpitis* titulum præferentia; aliasque animadverſiones hiſtoria loquitur. In ampliſſimo opere *Inſcriptionum Gruterianarum pag. 362. & ſeqq.* extant quinque Inſcriptiones, de *Hoſpitio & Clientela*, è quibus unam tantum ex ævo Conſtantini M. exempli cauſa, referemus. Tabellæ æneæ hic fuit titulus: Valerio Proculo v. c. præſidi provinciæ Valeriæ Byzacenæ. Inſcriptio ſic concepta eſt: *DD. NN. Criſpo & Conſtantino Juniore Nobiliſſimis Caſſ. coſſ. III. Kal. Sept. Municipes MunicipI Æl. Hadriani Aug. Civilitani Q. Aradium Rufinum Valerium Proculum C. V. Liberos poſterosque ejus ſibi liberis poſterisque ſuis Patronos cooptaverunt teſſeramque hoſpitalem cum eo fecerunt. Q. Aradius Rufinus Valerius Proculus liberi poſterique ejus municipes municipii T. Æli. Hadriani Aug. Civilitani liberos poſterosque eorum in fidem clientelamque ſuam receperunt. In quam rem gratuitam legationem ſuſceperunt Inſteius Renatus & Apollonius Gallentius Duoviri T. Ælius Optatianus Camarianus Flavius Secundinus Domitius Optatianus Æmilius Nemgonius Æmilius T. Tracius Statilius Secundianus ex P. P. & Univerſus ordo.* Hic, ſi liceret exequi, obſervaremus multa ad hoc argumentum pertinentia. *Mutua erat pactio* hujus neceſſitudinis; hinc non magis, qui ſe dabat in clientelam & hoſpitium, quam is qui recipiebat, voluntatem ſuam exprimebant. Nec inter ſingulos, aut familias tantum obtinebat: ſed ad totas civitates gentesque pertinebat; dixeris *publica illa hoſpitia & clientelas publicas.* ſic Romani cum aliis populis ac civitatibus hoſpitium jungebant, alias item gentes & urbes in clientelam ſuam recipiebant: aut etiam (quod alterum hujus publicæ clientelæ genus eſt) populi, civitates, municipia, coloniæ in clientelam ſe permittebant Magiſtra-

tuum Rom. Virorum aut Familiarum Illuſtrium. quæ res multum obſervationis politicæ trahit, de qua nihil nunc attingere poſſumus. Ita hic Civilitanum municipium tradit ſe Valerio Proculo præſidi. *Hereditaria* ergo plerumque *neceſſitudo* hæc fuit, utrinque liberos poſterosque ad patrocinii, clientelæ, hoſpitii officia obligans. *Inſtrumentu*, *monumentis*, *tabulis* etiam perſcribebatur, expreſſis nominibus Coſſ. conſenſu eorum, quorum intererat, agentium curiam, legatorum ſuper ea re miſſorum: ſicut ceteræ Inſcriptiones amplius oſtendunt. *Conjungebantur* denique ſæpe iſta, publicis privatisque nominibus ex naturâ negotii cognata, *Hoſpitioque & Clientelâ* ſimul excipiebantur, qui Teſſeram hoſpitalem cum aliquo fecerunt. Quo minus admirari quis debet, conjuncta ad occaſionem oratoriæ exercitationis eſſe, quæ nominibus diſcrepant. Dicturi enim ſunt, *die Veneris* (hujus menſis XI. ſignamus) *hora VIII. matutina*, *in auditorio ſollenni*, *ornatiſſimi Adoleſcentes*, AUGUSTUS FRIDERICUS, & CHRISTOPHORUS JACOBUS, MOCKELII, *Halæ Suevorum nati*, *fratres germani*, alter quidem *de Jure & more Hoſpitii*, alter *de jure & more Clientelæ*. Ab his, inquam, argumentis auſpicium facient exercitationis Academicæ, tentabuntque ſi forte poſſint in poſterum, neq; ingratos in Academia cum ceteris hoſpites; neq; ineptos Academicorum procerum clientes ſe præbere. Nomina certe favore digna ſunt, quibus ſe in publico commendatum eunt. Nemo quidem exiſtimabit, accuratæ tractationis ſpecimen promitti de hac ætate. quinimò ob id ipſum delecta eſt materia, quæ excerpendo & memorando, non perorando & commentando, ſub juvenilis ſtili prima rudimenta ſuccederet: nam oratoris vim, inventionem, & copiam, nimis inepti ſunt, qui deſcriptis locis communibus, & neſcio quibus florilegiis excuſſis, affectant. utilioris operæ eſt, eos, qui facultate dicendi nondum pollent, colligere & in orationis æqualis contextum ordinemque redigere ſparſas alibi ac diffuſas materias. Quæ res & ſcriptorum notitiam, & lectionis induſtriam, tum diſci-
plinam

plinam meditationis instruit. Pollicentur nobis Itali, curas *Jacobi Philippi Thomasini de Tesseris Hospitalitatis, ubi jus Hospitii universum, apud Veteres potissimum, expendatur*: quo forte supplebuntur & conducentur ea, quæ *Stuckius* aliique super isto argumento tradidere. Mockeliis nostris, pauca, nec indigna tamen cognitu, in occasionem profecturæ deinceps industriæ, conscribere placuit. Quorum simplicitati fas est favere omnes, qui claras familias æstimant, & studiorum vel nomen amant, vel rationem intelligunt, vel consuetudinem non aspernantur. Dicta est materies, dictum tempus, dicta nomina eorum, qui se pridem Hospites Academiæ Clientesque professi sunt: nihil superest, quam ut benevolæ auscultationis argumento intelligant, se non frustra ab Universitate Academica, Hospitio ac Clientela susceptos esse. Arg. IX. Aug. an. Christiano cIↃ IↃC XLVIII.

Duo insequentia Programmata, nomine totius Collegii Philosophici proposita sunt; sicut solent facere, quibus munus creandi Magistros ex more & ordine committitur.

XXIX.

DECANUS ET COLLEGIUM FACULTATIS PHILOSOPHICÆ,

Lectori Benevolo S. P. D.

MAgistrorum nomen, priscis recentibusque crebro & varie usurpari, nemo est qui ignoret. Ita sane, tum in studiis, olim docentium eruditio disciplinaque; tum in civili vita, dignitatum functionumque plurimarum sive munera, sive onera designabantur. Qua de re, anno abhinc decimo, cum publice Magistri crearentur, venerandæ memoriæ Senex, *Matthias Berneggerus*, copiose dixit. Sed & Græci sæpe retinuerunt, vocem usu commodam, interpretatione diserte nulla exprimendam. Hinc *μάγιςρος apud Athanas. in apolog. ad Constant.* & alibi: *μαγίςηρ apud Suidam* (*v. Meurs. Glossar. Græco-Barb*) *μαγίςωρ* recentioribus Græcis

 appel-

appellatur. Quid quod apud ipsos Hebræorum magistros, מגסתר פלטין *Magister palatii* κατὰ ῥητὸν, legitur? vid. *Cl. Buxtorffius in admirabili Lexici Chald. Talm. Rab. opere*, rad. מגס. Hodie celeberrimus notissimusque significatus vocabuli in Academico honore remansit: quo *Magistri*, vel sine adjectione, vel ascito *artium* aut *philosophiæ* cognomento, illi dicuntur, *qui ob comparatam fideliter artium ac philosophiæ cognitionem, obitaque cum laude examina, vigore Imperatorii privilegii honoribus, & insignibus magisterii publice, ab & in Academia, donantur atque decorantur.* Qui *magisteriam*, imitatione Græculorum, μαγιστερίας vocabulo utentium, Latinis voluerunt obtrudere, nulla idonea auctoritate juvantur. cum præsertim etiam apud *Cassiodorum*, à vocibus parum Latinis alias non abhorrentem, *magisterii* dignitatem pro *magisteria* meliores codices reponant 1. Var. 12. Tribuitur autem iis, quos signavi, hic titulus; non, quod perfectio studii philosophici vel in multorum ingenia, vel in plerorumque studia, vel in juvenum Academias sectantium ætatem cadere possit: sed ut mysteriis ejus cum labore & profectu initiati, dum quibusdam præmiis mactantur, se pariter & alios, ad majora aut paria, exsuscitent stimulentque. Cum præsertim titulus ipse quotidiani monitoris vicem fungatur: præclari magnique nominis mensuram, magnis meritis implendam esse. Hebræi veteres duo constituere magistrorum genera. Nam רב aut רבי, cum plenitudine honoris, ac doctrinæ dicebatur, qui in opere ac re præsenti, i.e. in publico munere doceret. Qui autem ad aliquam quidem sapientiæ facultatem pervenisset, aptusque ad docendum jam videretur, nondum tamen magisterium aut disciplinam publice suscepisset, חבר dicebatur. quasi tu dicas, *socium, familiarem, contubernalem,* denique *sapientem discipulum* Magistri sapientis & Promotoris sui, à quo vel imposita manu, vel pronuntiatis sollennibus verbis, ejus honore cognominis erat ornatus. Hujus propterea plerumque nomen addebatur, certe subintelligebatur: neque eo superstite, magistri sollenne vocabulum recepit, quem societatis, de qua

de qua dixi, dignatio honeſtaverat. Tale quidpiam ſolemus attendere in Magiſtris, quos in Academia creamus. Admittuntur in conſortium ejus honoris, quos egregia profectuum ac induſtriæ ſpecimina, obeundis non inepte ſeriis in ſapientiæ ſtudio miniſteriis idoneos oſtendere: verum ne admiſſi, peritis uſuque exercitis, variaque rerum tractatione ſpectatis ſtudiorum magiſtris, pares ſe exiſtiment, imo vero, ut à talibus ſemper diſcant, horum amicitia, convictu, auctoritate, generoſam perpetuamque ſciendi cupidinem expleant, adeoque cum σοφὸς ſive ſapientes præſtare nondum exacte poſſint, φιλοσόφους ſeu veros ſapientiæ amatores ſe diligenter præbeant: utque, ſicut antea cœpimus dicere, non ſtatim רבנים ſed חברים exiſtant, non perfunctorie admonemus. Idem in altero honoris Academici gradu obtinet: cum linguarum & artium Logicarum cognitio Baccalaureatus, quem vocant, præmio ad ampliora ſtudia invitatur, & præſertim ad ſecundam lauream conſectandam, veluti pignore laboris oblato, provocatur. Ita nimirum intenditur ſedulitas, demitur ambitio, ardentiorisque curſus ſtudii jucundis ſubinde ſpectaculis exſplendeſcit. Quam felicitatem præ ceteris in Germania Academiis, crudelem in modum hactenus turbatis, imminutis, Martioque furore propemodum afflictis, Noſtra hactenus, divina largiente gratia, ſæpius uſurpat, & propediem denuo uſurpabit. Die enim Jovis proximo, ipſis ſcilicet *Kalendis Octobribus*, DEO AUSPICE, annuente *Viro Generoſo, admodum ſtrenuo Nobiliſſimoq;* DN. JOHANNE CHRISTOPHORO à Draxdorff / *Pratore Inclyta hujus Reip. graviſſimo; cujus nunc eſt munus Imperatoris auctoritate faciendi Collegiis profitentium facultatem optimarum artium & diſciplinarum, poteſtatem, ut meritis conferant honores & decernant titulos dignitatum ſcholaſticarum* (ita *Cancellarium* deſcribit Magnus ille *Joachimus Camerarius in vit. Melanchthonis*) Magiſterii honoribus, in Brabeuterio Academico, publica ſolennitate, ornabuntur *Sex egregii Juvenes*, quorum nomina ſubjectus index memorabit; eruditionem, mores eruditis dignos, mentem

 hone-

honestissimarum rerum partim opibus instructam, partim, cupiditate flagrantem, publica privataque examina abunde demonstrarunt. *Tres* item alios, *textum è lauri baccis* (unde honor iste titulum nactus est) *sertum* redimiet. Ita meretur præclara adolescentum horumce indoles, laudabiles in linguarum artiumque studio profectus, & fertilis magnæ spei contentio. Quod si meliorum literarum gnaris aut amantibus (quocunque illos nomine appellare, vel dignitate memorare fas est) benigne, amice, officiose, indictum à nobis Festum, obire ac invisere, quod eo quo par est studio rogamus, lubebit, habebunt illi nos, nec ad agnoscendam istam humanitatem hebetes; nec ad pensandam, si qua facultas dabitur, segnes. Quod superest, jubeat DEUS TER. OPT. MAX. perennare inclytam hanc Rempublicam, florere Scholam. Candidatos nostros ad rerum bene gerendarum, bene restaurandarum artes ac consilia feliciter succrescere. V. Perscr. Argentorati XXIX. Septembr. An. M. DC. XL.

XXX.

Die Jovis proximo, qui erit mensis hujus Quartus, *celebrabitur Panegyris Academica: in qua auctoritate ac permissu* Viri Generosi, admodum Strenui, Nobilissimique DN. JOHANNIS CHRISTOPHORI à Dratdorff / Argentinensis Reipublicæ Prætoris ac Tredecimviri Inclyti, Cancellarii Academiæ Eminentissimi, Mæcenatis ac Patroni nostri summa observantia & obsequio venerandi; *honores* primæ *quidem* Laureæ *sive Baccalaureatus, quem vocant*, novem *Adolescentibus*; secundæ *vero* Laureæ, *sive Magisterii ac Doctoratus Philosophici gradum*, decem *Juvenibus Studiosis*; *&* ex his Uni, *qui primum tenet locum*, tertiæ Laureæ, *sive* Poëseos *insignia, cum omni jure privilegioque, quod ejusmodi honoribus Academicis Augustum Cæsareæ munificentiæ Diploma assignavit, horis, loco, rituque consuetis tribuemus atque conferemus. In loco & ordine assignando* Candidatis secundæ laureæ, *secuti sumus rationes legibus publicis descriptas: cumque in examinibus privatis publicisque suos singuli profectus ita nobis approbassent, ut nemo non eorum*

eorum dignissimus honore, quem peteret, judicaretur, quatuor posteriores sortis arbitrio suam paritatem jussimus discriminare: rati scilicet, necessitatem ordinis facilime ita temperari posse, si fortuna suum cuique in pari dignitate locum demonstraret. Poëtæ *titulum non illi, qua vulgo obtinet, versuum fundendorum aut dimetiendorum sive temeritati sive consuetudini decrevimus: sed quia animadvertimus, & in examine hujus rei gratia instituto deprehendimus, Candidatum nostrum præter ingenium subtilissima disciplina aptum, eloquentia, eruditioni, artique Poëticæ serio intentum, sedula optimorum Poëtarum lectione, crebraque nec infelici eorundem imitatione, recta ad eam grassari laudem, qua hujus nominis decus non dedeceat. Speramus autem, unumquemque pro se daturum operam, ut petiti, impetratique deinceps honores, assidua industria magis magisque excolantur, Deique Opt. Max. gloriæ, atque Reipublicæ utilitatibus unice accommodentur. De cetero, publica hac invitatione, omnes atque singulos studiorum & Academiæ fautores, ut cujusque capit dignitas, rite cupimus rogatos, ut die nominato, vel præsentia, quatenus licet, vel favore nostrum festum honestent, atque pro Republica, Ecclesia, Academia incolumitate pia nobiscum vota suscipiant. Perscriptum Argentorati die 2. Aprilis, Anno Christiano M. DC. XLIV.*

Insequentia Programmata scripta sunt ab auctore, cum Rectoris Academiæ officio primùm, & secundùm fungeretur.

XXXI.

RECTOR
ACADEMIÆ ARGENTORATENSIS,
JOHAN. HENR. BOECLERUS,
ELOQUENTIÆ PROFESSOR PUBLICUS,

Civibus Academicis S. P. D.

INdic[illegible]um est vobis funus *Viri Nobilis, & Amplissimi*, PHILIPPI SCHEIDII, *Jureconsulti & in judicio Camerali Cæsareo*

Cæsareo inclytæ hujus Reipublicæ Advocati præstantissimi. Efferetur is, ex ædibus post aulam Fratrum sitis, horam circiter primam pomeridianam. Vestrum erit, honorifico & frequenti confluxu exequias ire viro optimo, optimorumq; favorem & observantiam merito. Nec enim addam cetera officii ejus invitamenta: quæ Vobis Academici moris erga literatos comitas; debitumque propositis publico nomine cohortationibus obsequium ultro suppeditat. Patriam nactus est *μακαείτης Hagenoam* inferioris Alsatiæ Urbem: parentes, spectatissimum Virum, PHILIPPUM SCHEIDIUM, Civem Primarium; & ornatissimam fœminam, MAGDALENAM, Amplissimi JOANNIS LUDOVICI Greiffen/ Prætoris Urbici filiam. His vitæ auctoribus, cum anno superioris sæculi LXX. die Maji XXVII, lucem aspexisset, infantiâ, per eximiæ indolis indicia, ac omina industriæ, exactâ, pueritiam adolescentiamque vera & expectata laudum fruge nobilitavit: donec mox maturæ juventutis initium, strenuos in literarum virtutumque studio labores, trivialisque pariter & Academicæ eruditionis impletam mensuram, præmiorum apice honestavit. Accidit hoc, anno ætatis ejus XXVI, computi Christiani, cIↃ IↃ XCVI: cum, sollennitate publicâ, Doctoratus Juridici insignia, die Augusti Mensis XXXI, Basileensis Academia non sine applausu & congratulatione, bene merenti largiretur; adeoque ceterarum Scholarum & peregrinationum, quas laudato & fine & studio obierat, vota decusque absolveret. Ex eo tempore, augustissima Juris dicendi discendique sedes, Imperatorii judicii ac sententiæ venerandum penetrale, *Camera*, quam vocant, *Cæsarea*, Spiram Nemetum, virum, exercitandæ in celeberrima officina prudentiæ, quam tot laboribus itineribusque sibi compararaverat, cupidum pertraxit. Cujus consilii, inter alia, illum tulit fructum, ut & magnis subinde occasionibus, inter illustres arbitros & idoneos operarum laudatissimarum censores, innotesceret ejus dexteritas: & deinceps, anno Christiano cIↃ IↃCC XI. præclarissimo *Advocati Cameralis* titulo

tulo dignitateque ornaretur. Regressus Spira Argentoratum Nostram, hic plerumque vitæ exegit, celebri sed quieta tranquillaque præstantia. Duxerat jam antea primam conjugem Argentorati, anno cIↄ Iↄ xcviii. die Febr. xiv. lectissimam Virginem REGINAM BOTZHEMIAM, honoratissimi Dn. JOANNIS CONRADI à Botzheim, Triumviri monetarii filiam. Quartam ferme sæculi totius partem expleverat optatissima & per mutuam caritatem fidemque jucundissima societas: cum exemta mariti commercio & rebus humanis uxor, viduum pariter & orbum reliquit. Ac *viduitati* quidem, ab anni M. DC. XXII. m. Martio usque ad Majum vigesimi quinti in hoc sæculo anni, toleratæ, secundis nuptiis prospectum est. Quas id temporis celebravit cum matrona honestissima, CATHARINA TURCKHEMIA, quam & ipsam antea obitus ABRAHAMI BAUMGARTNERI, è præcipuis civibus, viduam fecerat. *Orbitas* autem, ne hoc quidem matrimonio, corrigi potuit. improlis itaque supervixit, cum præmisisset, ut sic dicam, ad æterna gaudia, alteram quoque conjugem, anni superioris mense Martio, donec Octobris proxime prætervecti die xxii, paralysi sinistri lateris correptus (quem casum continua inde destillatio excepit auxitque) nudius quartus, post duodecimam pomeridianam, fata ac dies suos explevit; septuagenarius senex. Quem numerum ætati humanæ consummandæ veluti decretorium & solennem, in Sacris, *Hiero-Psaltes*; in Profanis, *Solon* apud Herodotum designat. Certe quæ mortalium actibus & artibus efficacia aut progressus sperari potest, amplius spatium nec requirere nec ferre videtur. Ita loquimur ex observatione rei, non ex superstitione numeri. cui sicut perfectionem suam, decem ἑβδομάδας complexam, non denegamus: ita hariolationum sideralium audaciam, & climacteris curiosam κρίσιν, prorsus adimendam arbitramur. Fuerit sane hic annus, & aliis, & Nostro *climactericus & fatalis*; sed pio rectoque, id est, illo sensu, ut dicamus: *naturas hominum, si nec violentia, nec casus major, nec* ἰδιοσυγκρα-

tia, nec liberrima Dei omnia sustentantis voluntas, intercedat ordinariæ & communi habitudini, certis annorum spatiis proficere ac deficere, mutationes quasdam & conversiones sentire, indeque sanitate, morbis; vita, morte notabiles, ratione quasi consueta, periodos experiri. Sicut, cum æquali impulsu incitata aliquot pila, si æquale nec diversum per quod decurrant medium nacta sunt, eodem tenore ac tempore exerunt, distinguunt, absolvunt vires suas motusq;, ac motuum vicissitudines. Hic subsistimus, ni fallor, si sapimus. nam fortunæ casus, & liberos eventus & voluntaria cœpta; aut, quæ ex naturalis quidem caussæ aspectu, sed indeterminate tantum & generatim, colliguntur, vel per accidens, ut Philosophi dicunt, adhæsisse accessisseque deprehenduntur: hæc, inquam, & ejusmodi alia, nemo cordate cauteque doctus, numerali judicio, aut climactericis divinationibus tribuerit. quas & tum corrumpit vanitas, ubi extra & ultra observationis simplicitatem, ad spem & metum, ad minas & promissa deflectuntur. Denique ipsa observatio (nisi à curiositate, & arrogantia omni penitus recesserit) quid habet, quo se tueatur? observavit hic & ille & iste, quorundam clarorum virorum eventus. horum si plurimos numeraveris, respectu eorum hominum, quos præteriit observatio, paucissimi ac pæne nulli erunt. Sed nos mittimus ista: & defuncto Nostro non tam longævitatem vitæ (quæ & ipsa interim felicitatem ejus auxit) quam æternitatem beatitudinis gratulamur: neque tam perfectionem numeri Critici admiramur, quam consummatam virtutis laudem prædicamus. Quæ, ut suprema, sic perennis, honesto fidelique officio memorabit, VIRUM BONUM, JURECONSULTUM PRUDENTEM, CIVEM MODESTUM, MARITUM COMEM, ANTIQUI MORIS FIDEIQUE EXEMPLUM. Quod hoc loco perscribendum duxi, tantum est. V. Argent. 22. Novembr. Ann. M. DC. XL.

XXXII.

O*Biit supremum diem, Vir in tantum bonus, in quantum humana simplicitas intelligi potest.* Non minus enim hoc, quo

quo Vellejus Romanum Antistium annotavit, charactere signari potest ac debet, quam ipso nomine, JOACHIMUS RüDERERUS. *Huic, ut celebres frequentesque exequias eatis, cum prima pomeridiana ex ædibus apud Monasterium Pœnitentium, quas vocant, situs efferetur, non tam Rectoris denunciatione, quam ipsius Virtutis Humanitatisque postulatione publica invitamini.* Nihil figuræ aut ambitioni dabo: interim vere mihi videor posse affirmare, plerosque non intellexisse virum, minime vulgariter laudandum. Nam ut Inclyti quidem Senatus Nostri prudentiæ nemo est incognitus, omniaque penetrat lux illa curiæ, nec latere sinit in obscuro, quod splendere natum est in aperto: ita multitudinis judicium multa subterfugiunt, quæ & notitiam illustrem & exemplum rectissimum videntur continere. Fuitque hoc nec paucorum, nec ignobilium virorum fatum, ut in vita pæne inauditi, post fata inter clarissimos celebrarentur. *Vix recepit Socratem fama*, inquit Seneca. *Quamdiu Catonem civitas ignoravit? respuit; nec intellexit, nisi cum perdidit. Quam multorum profectus in notitiam evasere, post ipsos? quam multos fama non excepit, sed eruit?* Talia differit plura vir sapiens: solatiumque ex posteritatis, suum cuique decus repensuræ, incorrupta æquitate sollertiaque concinnat. quo nihil interim opus viris tam serio & simpliciter bonis. Cum enim, Catonis exemplo, *nunquam recte faciant, ut facere videantur, sed quia aliter facere non possunt*; parum scilicet sua aut virtutis credunt interesse, si negligentiam aut affectum, recte facta prætereant. Quæ vitia si quis expugnare instituat, multum illi exornationis & picturæ & ostentationis induendum erit. à qua sicut optimus quisque, ita præsertim RüDERERUS Noster plurimum alienus fuit. Non cupiebat ille digito ostendi & inter admirantes conspici: neque minus tamen, vere aperto vivebat ostio. Non optabat in luce publica effulgere: neque latere tamen unquam visus est in tenebris. cumque multi foris splendorem ambientes, domi umbris quibusdam & nocte se involvant, hujus præstantia pari candore nituit, sive ex destinato se prode-

bat, sive ex nec opinato deprehendebatur, aut, ut rectius loquar, animadversa subito deprehendi non poterat. Antiqui moris non morosus affectator, sed ingenuus imitator; plurima scientia complexus est: pauca, scientiæ commemoratione, aut nihil prætulit. Quibus ex apparatu & ambitione æstimare claros viros mos est, viso aspectoq; innocentissimo viro, quæsivissent fortasse claritudinem: at prudentes ex candidissimo sinceræ virtutis genio, qui in ipso ore gestuque omni residebat, actusque profundioris inspectione vel ex tempore emicare consueverat, facile generosum animum rarasque omni ævo dotes interpretabantur. Itaque non moris tantum sui comitati, sed merito laudum tantarum, dare credenda est Academia, quod honorata memoria publicoque elogio defunctum prosequitur. Quamquam illud mori potius quam voluntati tribuendum est, quod breviter & summatim vita ejus ac notitia hic signatur, quæ præconiorum amplitudine volumen poterat implere. Patriam habuit *Croneburgum Manderscheidicæ ditionis oppidum:* parentes, *Virum Amplissimum*, BALTHASAREM RüDERERUM, *Consiliarium Comitum à Manderscheid*, & *procuratorem fisci*; *tum matronam honestissimam* MARGARETAM NÆSIAM SCHLEIDANAM. Ab his in lucem primum susceptus anno superioris sæculi LXVI, die Octobris XXI, mox diligenti educatione focillatam provocatamque indolem, eximiis veluti præludiis mature ostendit. Itaque studiis liberalibus tum domi, tum in Düsseldorpiensi Gymnasio, annuo circiter spatio, eruditus, in patriam revocatus est anno Christiano M. D. LXXXIII: indeque à parentibus ipsis Argentoratum nostram deducto, hospes præceptorque obtigit JOANNES ille STURMIUS, magnum non Urbis tantum nostræ, sed litterati orbis decus. Sexennium jam expleverat partim publicis auscultationibus, Jurisque studio exercita industria cum anni M. D. LXXXVIII. mense Aprili domum revectus, annoque insequenti, defuncto interim parente, Argentoratum redux, hinc peregrinandi auspicium sumsit pe

peragrataque primum Germaniæ magnâ parte Italiam petiit. cujus visenda pleraque magno studio utilique observatione cognovit: obitis, quæcunque fama aut nobilitate eminent, Urbibus, Academiis, regionibus. Satis constat, auctum viro pietatis ardorem, cum Romanas præsertim superstitiones & Idoli Lauretani quæstuosam fallaciam, aliaque paulo altius expendisset. Quod vel ideo monendum duxi, quia hodie, consuetudine ineptiarum, religionis diligentiam omittunt potius quam intendunt peregrinantium plerique. Neć tacendi essent comites totius itineris, *Petrus Angeli & Gerhardus Robertus* (cujus postea filius non parum, apud nos & alibi, studiorum morumque elegantia effulsit) si paginæ angustia caperet. Sed reduxit Nostrum sua Fortuna in hanc Urbem; domicilium deinceps, interim denuo hospitium præbituram & novæ occasionem disciplinæ. Nam ut JCtorum placita in ipsa actus ac negotiorum luce, amplius condisceret, in contubernio *Viri Consultissimi* ULRICI DIETERICI (Procuratoris nomen & munus in Senatu Minore, quem vocant, is gerebat) septennium ferme consumsit. Interea temporis horrendum Hispanicæ Inquisitionis an dominationis dicam arcanum, ut alia inferioris Germaniæ loca, sic patriam ejus atrociter infestavit. Quo factum est, ut cum illuc se rursum contulisset, non semel in extremum vitæ discrimen adduceretur, inter milites, quibus, crudelitate uti & sævitia, religio vocabatur. Ea res Argentorato virum reddidit: ubi anno M. D. XCVIII. *Judicio sive collegio Tutelari*; *tum instaurato*, *primus Actuarius* datus duodecim circiter annis, officio honestissimo præclara prudentiæ & fidei laude præfuit. Secuta est *Quæstura Monasterii Pœnitentium*, sicut appellitant: hic quoque expertæ antea virtuti, respondit XX. & VIII. annorum industria constantiaque. Tot labores insignis honor excepit ante triennium: cum *augusto Senatui*, *cui Majoris vocabulum*, insertus, initia Senatoriæ dignitatis cum ejusdem complemento conjunxit inter *Ephoros Cancellorum*, *reique tutelaris* lectus, *judicibusque matrimonialium caussarum collega* additus.

ditus. Expleto in Senatu Majore biennio, *judicio Tutelari*, cujus olim minister fuerat, auctoritate & consilio præesse cœpit. non enim absolvit destinatum tempus, morbo & morte, de qua mox dicemus, præventus. Tetigi potissimos honores: nam quæ per Tribus committi solent dignitatum genera illas, quas prædiximus, præcedere, Senatorium titulum, certo veluti ordine decurso, párere intelliguntur. Matrimonium ejus inter rarissima vel felicitatis vel diuturnitatis exempla referendum est. cum enim anno M. D. XCVII. *castissimam lectissimamque virginem* BARBARAM, *Quæstorii & Senatorii Viri*, GALLI LUCKII, *& ornatissimæ matronæ* BARBARÆ KRÆMERIÆ *filiam* duxisset, tres & quadraginta annos auspicatissimi fœderis, liberosque decem numeravit. E quibus filius Unicus, *Vir Præstantissimus & honoratissimus*, JOACHIMUS RüDERERUS, *paterni & genii & in Quæstura officii successor, stipendiique Mauritiani Rationalis, amicus & Fautor noster colendus*; superstitum de septem, *quinque Sororum matrimonio partim, partim virginitate, & egregiis virtutibus, quibus peræque omnes sunt ornatissimæ*, floret. Ac DOROTHEA quidem *Viro Spectato & Integerrimo*, GEORGIO REHMIO, *Quæstori Marciano*; ANNA MARIA, JOANNI KüNMEIERO, *scribæ publico districtus Barrensis, viro itidem eximio*, MARGARETHA, FRANCISCO CHRISTOPHORO CAROLO *Scribæ & Secretario Quindecimvirali, spectatæ & artis & industriæ viro*; bonæ bonis, dignæ dignis nuptæ sunt. MARIA autem SALOME, & CATHARINA, inter lectissimæ virginitatis & sui sexus decora præfulgent. Proposita est veluti summa fati Rüdereriani; nisi quod ultima superest linea: quam consummavit dies Martii XIII, cujus hora XI. meridiana attulit vivendi finem Seni, septuagenariam illam & solennem veluti periodum, annis V. mensibus V. supergresso. Itaque ergo nunc anima ejus in æterna quiete: memoria, in perpetua civitatis recordatione versabitur. cujus interest, ne Vir Pius & Bonus, modestissimus Civis, Senator prudentissimus, nomina publicis exemplis exemplis fœcunda,

da, ingrata oblivione ſepeliantur. Sane integritatem & abſtinentiam ejus, ne hoc ſæculo, ne ſuſpicax quidem, in dubium quiſquam vocare potuit. Fides illibata & vere Germana, vel invidia teſte: officium cuique & ſemper paratum: civilitas & moris urbici obſervantia, indigenis æmulanda, quamvis in novo homine: diligentia & aſſiduitas nullo ſenio vitiata: amor honorque ſtudiis & litteris, in remotis quodammodo ab iſto humanitatis uſu functionibus, ad vitæ ultimum conſervatus; obitique, quotiens licuit, dies actusque Academici: comparata & familiariter uſurpata librorum, pietatem præſertim informantium aut inſtigantium ſupellex: hæc, inquam, & talia, inſignem Virum exerte oſtentant & ſemper oſtentare debent. Cetera felicitatis elogia, nec pauca illa tamen nec vulgaria ſunt. Quo nomine, velut uno complexu, communionem præclaræ ſortis & celebritatem, liberis heredibusque gratulamur: niſi potius gratulatione digna eſt illa hereditas, qua transfuſa patriæ virtutis indoles in liberis ſpirat; quæque, ut Ambroſii verbis hoc dicam, *non lacrymabili dolore percutit affectum, ſed memorabili gratia commendat heredes.* Valete, Cives Academici, & bonæ mentis beatæque mortis exempla ſerio meditamini. Propoſit. Argentor. ipſo funeris die, Martii Menſis ſextodecimo, Ann. Chriſtiani cIɔ Iɔc XLVI.

XXXIII.

EXimia prudentia, rotundaque brevitate, quicquid vivunt in terris homines aguntque, expoſuit Democrates, valde notabilis per dictorum gravitatem Gnomologus, cum prodidit: *ὁ κόσμος σκηνὴ, ὁ βίος πάροδος, ἦλθες, ἶδες, ἀπῆλθες. Mundus ſcena; vita tranſitus; veniſti, vidiſti, abiiſti.* Sane vero *ſcena eſt mundus*: quæ modo in theatrum laſciviam Comicorum; modo flagitia, & atroces auſus Tragicorum; modo ſcurrilem Mimorum dicacitatem; ſemper autem & ubique, *vanitatem hiſtrionum* emittit ac ſubinde inſtaurat. Nam cum cæteræ quidem ſcenæ temporariæ ſint, & fabulæ breves; hæc una ſcena cum ævo ipſius Univerſi

paria

paria facit; perennisque & continua actitatur fabula: adeo nullum vel actores vel spectatores à repetitione rerum toties repetitarum tædium avertit. In hac scena, quæ vel affectatione velamentorum, vel varietate & ineptiis ludicrorum, vel fragilitate voluptatis, vel utilitatis frustratione superat eam, cui comparatur; vivere, agere, ludere, atque, ut multis placuit, perennare, ut res ipsa docet, perire homines videmus: quibus gravius videretur hoc ipsum fortasse, quod perirent; nisi inter pereuntia omnia & peritura, quadam, ut sic dicam, quotidiana pereundi consuetudine securi plerumque & inopinantes perirent. Consuetudo, inquam, pereundi, subsistentibus in hac scena otiose & morantibus obrepit: quæ vitari interim potest & debet à prudenter & strenue transeuntibus. Nam, ut morari nihil hic est aliud, quam mori: ita transire, vivere est ac conservari. Ut fiat Democrateum: *vita transitus est*. Transitus, quo transimus transeuntia, & transeuntium pericula, licet non sine periculo transeundi. præsertim nisi matura, nisi strenua sit hæc transitio. Sufficit *venire*, *videre*, transire, & mox *abire*. Equidem morantibus etiam, denique (quid denique? illud denique mox erit) transeundum est, abeundum est: sed transitus ille infructuosus, abitio infelix est. venerunt sine proposito; viderunt sine emolumento; abierunt sine viatico. Ita venire, est incidere: ita videre, est cæcutire: ita abire, est interire. Tu quoque, ô Democrates, licet sapienter prævideris, *mundum scenam*, *vitam esse transitum*: quomodo *venisti*, *vidisti*, *abiisti*? *venisti* tu quidem, sed ut nec auctorem adventus tui in scenam hanc mundanam, nec finem intelligeres. *vidisti*, ut contemneres pleraque, sed contemnendo nihil proficeres. *Abiisti*, sed ut, cum semper abeundum scires, ac sæpe festinandam abitionem memorares, denique cum abires, quo abeundum esset, ignorares. *Venisti*, more plurium; *vidisti*, more & ritu paucorum. sed quia ne sic quidem bene vidisti, cum pluribus ad plures rursum *abiisti*. Ut satis appareat, non nisi à Christiano homine mundum ut scenam intrari; vitam, ut transitum,

ſitum, maturari feliciter poſſe. Hi ſoli veniunt recte, vident prudenter, abeunt tempeſtive & proſpere. Cujus rei exemplum poteſt eſſe ille ipſe, *Vir Ampliſſimus & Honoratiſſimus*, cujus funeri indicendo hæc præmiſimus, ADAMUS SCHIFMANNUS. *Venit* is in hanc Univerſi ſcenam, ut ſupra ex Democrate cœpimus dicere, non hiſtrio ineptus, ſed prudens ſpectator futurus, anno Chriſtiano M. D. LXV: patriam *Clagenfurthum* Carinthiæ, Ducum quondam ſedem, quam priſci Claudiam dixere; parentes nactus *Virum Spectatiſſimum* TIBURTIUM SCHIFMANNUM, Mercatorem primarium, & *Fœminam Ornatiſſimam* CHRISTINAM GREIFFIAM. Horum cura adgubernante, pueri indoles ſtatim prima ætate litteris imbuta, cum ampliorem ſubinde de ſe ſpem concitaſſet, anno ætatis quintodecimo (erat is ſuperioris ſæculi LXXX.) Argentoratum in ſtudia miſſus eſt. Ubi cum in ſcholis claſſicis per triennium ſtrenue ſe geſſiſſet, calamitas parentum, quibus religionis conſtantia exilium conſciverat, filii quoque properantes ad majora profectus abrupit, genusque ſtudiorum ac vitæ mutavit. Ex eo tempore, variâ ſuam induſtriam operâ viris bonis & honeſtis approbavit: donec auctorem certioris fati invenit *Virum Ampliſſimum & Prudentiſſimum*, DANIELEM à MOLSHEIM, *XIIIvirum Inclytæ hujus Reipublicæ graviſſimum*. Sub hoc, mercaturam fideliſſimo miniſterio ita tractavit, ut & viventi domino eſſet gratiſſimus, & à defuncti vidua, quamdiu ſuperfuit marito, in familia retineretur. Biennio poſt hujus quoque obitum, anno ſcilicet M. DC. XXI, ipſe de matrimonio & re familiari inſtituenda cœpit agitare, ducta mox domum *Ornatiſſima Lectiſſimaque Virgine* MARIA, *Nobilis & Ampliſſimi Viri*, GEORGII FETTICHII *Patricii*, *filia*. Hæc duorum liberorum parentem fecit. E quibus *Filia* MARIA ante quinquennium, ſuum diem explevit; Filius autem ADAMUS bonis litteris in Academia noſtra deditus præclaræ ſpei ſemina non omittit (nec omittet ſpero) ſpargere. Quæ ut ad copioſam meſſem perveniant, patriæ & commu-

nis rei caussa optamus. Verum nobis ad Parentem revertendum est. quem ob perspectam pluribus rebus tractandis fidem, experientiam, integritatem, prudentiam Respublica Nostra propius sibi vindicavit. Anno enim hujus sæculi XXXI. in Senatum Minorem lectus, expleto de more biennio, amplissimo Censorum collegio additus est. Anni trigesimi noni initium clarissima Amplissimi ordinis sive Majoris Senatus dignitate ornavit virum. Quibus in honoribus, ceteroque vitæ actu, prorsus ita se præbuit, ut reprehendendi cupidus, nihil ob quod merito debeat male audire; laudaturus vero solidam nec infœcundam materiem inventurus videatur. Tam sincera morum rectitudine, sapiendique dexteritate & pietate, publicam privatamque vitam à sæculi pravitate & aberrandi facilitate, ad exactam præstantiæ normam conformavit. In scena vitæ nec otiosus, nec curiosus; sed gravis & utilis spectator fuit. Vidit ille, quid in beatiore sæculo ultimum, quid in calamitoso primum esset. Vidit Germaniam longe alia, quam olim viderat, facie. vidit omnia sceleribus & scelerum pœnis plena: & summam humanæ felicitatis, in VANITATEM desinentem. Vidit, & in solatio tristis spectaculi habuit, non videre diutius. Id enim *abitus* Christiani votum tum alias serio concepit, tum per valetudinis ultimæ tempora, quæ ipsum superioris anni autumno finiente adorta, die hujus mensis quinto hora VI. matutina, cum vita reliquit. Vestrum est, Cives Academici, frequentes ire exequias, Viro optimo, Civi honestissimo, Senatori prudentissimo: cujus memoria sit in benedictione sæculi; Sicut anima est in æternitatis beatitudine. Efferetur ex ædibus in platea ab Allio dicta sitis, hora II. pomeridiana. Propositum die funeris, VIII. April. an. M. DC. XLI.

XXXIV.

RArus in nostra Universitate honor, *indictivum funus fœminæ celebratum.* Rara, inquam, ejusce rei, non tamen nulla sunt exempla. Cum enim, non tantum sexus ipse magnis sæpe virtutibus abundet, sed consensu quodam pruden-

prudentum, uxores maritorum dignitates, privilegia, honores, pro captu sui decoris, participent: satis apparet, officii publici comitatem non usquequaque intra virorum cultum arctandam, sed pro conditione meritorum ad muliebria etiam elogia porrigendam esse. Decuit nos reverenter id expendisse, in vulnere domestico *Viri Nobilis, Amplissimi, Prudentissimi*, MATTHÆI BRAUNII, Consularis Emeriti: qui nudius quartus *Uxorem Carissimam, Matronam Ornatissimam*, MARGARETHAM, amisit. Cujus & origo claritudine præcellit familiæ; & vita satis est nobiliter acta. Parentibus enim genita est *Viro Nobili, Amplissimoque*, JOHANNE SCHATZIO, *Tredecimviro de augustâ hac Republica* præclarissime merito, & *Lectissima fœmina* SABINA BISCHOFFIA, anno sæculi præcedentis LXX, die Octobris tertia. Auspicatam nativitatem excepit prudens & pia educatio. qua factum est, ut & puellaris ætas primula elementis virtutum, quas adolescentior perfecit, maturior exercuit, formaretur; ac quodammodo componeretur: & secundum mentis morisque rectitudinem elegantia accederet varia: qualis vel puellam adornare, vel commendare virginem, vel juvare solet matronam. Ergo ad ordinis sui laudem & decus ematuruit, placuitque in matrimonium supra laudato, Domino Consuli. qui eam domum duxit an. Christiani computi cIɔ Iɔ xcvI. die Novembris nono & vigesimo. Fuit hæc copula, mutuo amore, fœcunditate, & præsertim diuturnitate perquam prospera. Expleta enim in conjugio integra ætate humana sive sæculo (quod cum ultra triginta annorum spatium nonnulli vereantur porrigere. nobis intra quinquagesimum hic contineri sufficit) quid est quod amplius vel amorum vel votorum conjugalium fine frustrari aut distinere conjuges queat? Parcior, & mox caduca prolis felicitas, sed tamen felicitas fuit. Vehementer enim & ingratum & ignarum erga divina se præstiterit munera, qui vel temporis brevitate mensuram beneficii metiatur & magnitudinem, vel amissionis dolore obruat acceptorum memoriam. Filiolum, quem novis con-

conjugibus annus M. D. XCVII. Augusti mensis dies trigesimus dederat (*Johanni Martino* nomen Christiano ritu inditum) insequentis anni Martius ejusque dies XIII. rursum ademit. Exinde orbitatem domus, sanctissimis Dei placitis solari, aliorumque benignioris fati munerum comparatione supplere, inter artes erat. Atque ita cum domui suæ præfuisset Matrona Honestissima septem & quadraginta circiter annis, die hujus mensis quartodecimo, hora VIII. pomeridiana, omnis mundani operis & laudis & vitæ suæ terminum attigit: brevissimo, id est, pridiano duntaxat morbo conflictata. Credibile est, parum in tempore obvenisse hunc casum, Amplissimo Marito: cujus fessa jam ætas & valetudo, præsidio tali plurimum recreabatur. Sed tempestiva sunt, quæcunque in quamcunque tempestatem ab ipso supremo Numine dispensantur: cujus arbitrio bonitatique permissa, quæ nobis videntur aspera, facile mitescunt. Ne dicam, de magnis utilitatibus, in quas pietatis auspicio desinunt humana detrimenta. Equidem ad cælestia, ad æterna & vere desideranda, non inter postrema invitamenta, mentem erigit, amissarum desiderium necessitudinum, & illa cogitatio, qua felicitatem eorum meditamur quos præmisimus, & boni incomparabilis usum iis gratulamur, quod speramus interim, & vel ob hoc ipsum, ut cum nostris denique fruamur, fortius ac diligentius speramus. Quinimo quod intercipere videbatur nostra vota, promovere potius ea potest: ut deposito quasi omni terreno onere, nec affectu caritatum mœrentium retentati, *ad Christum Nostrum levius subvolemus*, quæ Hieronymi in hoc argumento sententia est. Ibi vivemus apud viventem, redempti cum Redemtore, cum magno illo & mysteriorum liberationis opulentissimo Redemtore; quem cum exemplar exercitæ agitatæque per omnia casuum experimenta virtutis *Jobus* animo subinde intueretur, vidit in hujus mundi miseriis & ænigmate, quæ visurus esset clarissimo oculorum conspectu in resurrectionis & consummationis beatæ lumine. Quale visionis exemplum reliquisse Marito videtur

pie

Pie defuncta conjunx; cum illud Magni Jobi oraculum & vindicaret sibi dum vita manebat, & post fata, sermone funebri omnibus commendari vellet. Efferetur funus ex ædibus aream summi templi anteriorem spectantibus, hora I. pomeridiana. Quod ut frequentia vestra cohonestetis, vestramque erga *Ampliss. Cos.* observantiam talis pietate officii declaretis, ipsa vos res, & Humanitas, cui præcipue studere debetis, exhortatur. Propositum die funeris XVII. Aprilis, an. Christian. cIↄ Iↄc XLI.

XXXV.

ADjecit rursum fatis rei scholasticæ Argentoratensis solennem administrationis semestris periodum divina bonitas. quæ ante omnia hoc tempore, quo Magistratus Academici novos honores ineunt, & agnoscenda serio, & pie prædicanda, & deveneranda est solicite. Id quod religio piis, eruditio doctis, prudentia cordatis facile inculcat. Neque enim vel modus hujus scripturæ, vel instituti ratio fert, ut differamus talia exponendo potius, quam attingendo perstringamus. Illud unum ex multis nunc subjicio civium Academicorum sollertiæ: ut expendant *tempora reip. literariæ, & casus & statum, & fatalia omina.* Atque ab imperiorum quidem fortuna studiorum semper pependisse fata, notius est quam ut moneri debeat. Quo nomine, quas florens adhuc opibus & majestate Germania Scholas & Athenæa numerose ac in ornamentis suis ostentabat, nunc bellorum civilium malis rerumque perturbatione ad stuporem consternata, pro bustis aversatur; nec dum dinumerat quid aversetur; quippe cui nec memoriam ad dinumerandum, nec ad expendendum cogitationem vacaverit hactenus recolligere. Quare si contemplatione tot casuum, tot ruderum, ad providenda, quæ deinceps imminent, acuamur; si præteritorum recordatione, æstimatione præsentium, disciplinam ingrediamur futuri: primo quidem quam longe à pace sua imperium abest, tam procul videri posset à sui restitutione adhuc distineri liberalium humanitas studiorum. sed hæc conjectatio, intra

acumen & metam divinandi subsistit. longe majoribus absumus spatiis ab eo quod optamus, neque tam mature (si modo unquam aliquid ejusce rei maturabitur) sed longe longeque lentius sperandum est. Pæne dixerim, non intelligere eum vastitatem patriæ atque omnis honestioris Musæ, qui in consopitis armis statim efflorescere studia posse existimat. Jacebunt per campos telorum fragmina, latebunt in agris ferri lapidumque pondera ac offendicula: neque vel floribus artium illi, vel hi segetibus erunt idonei. Denique, ut clarius loquar cum clarissimo scriptore, *ingenia studiaque oppresseris facilius, quam revocaveris.* Præsertim cum præter *perversissimam agendi status literarii rationem*, de qua alibi nobis dissertatum, non levia durioris in posterum fati & mutationis, si non ruinæ, omina, in oculis nostris ac pæne in manibus versentur. Non deplorabo jam fastidium, rei quondam in tantum æstimatæ, & omnium ordinum hominumque judicio pretiosissimæ: contemtum publicum & & sollennem literarum & literatorum; quibus olim favor Principum, munificentia Regum, studia populorum, non opinionis ergo, aulicove schemate & perfunctoria simulatione (sicut plerumque hodie moris est) sed seria sinceraque benevolentia bonaque fide patrocinabantur. Propiora sunt ac intestina, ut sic loquar, præsagia in proposito doctorum, in disciplina discentium. Sæpe reputo mecum, quæ ante sæculum & amplius, virtutes instaurationem disciplinarum publice utilium promoverint, barbariem extirparint. Plurimum diligentiæ & eruditionis observares: ambitionis parum aut nihil. Studium publici decoris, gravitate eximia præpollens: reverentia erga Deum, concordia cum collegis; æstimatio alieni laboris nec subdola, sed simplex & ingenua: domi dilectio, ad exteros humanitas: dissensio citra simultatem; & controversiæ non odiis extractæ, sed pietate ac indulgentia præcisæ. Juventus grata & avida mente auscultare Doctoribus & obedire: fas metuere, jura intelligere, disciplinam capere: fastum Thrasonibus relinquere, modestia inter pares, reverentia erga supe-

ſuperiores uti: ignorantiam in probris, eruditionem inter pulcerrima, virtutem inter præſtantiſſima numerare. Hæc & ſimilia ſicut olim ſæculi & ſtudiorum fortunam tanquam fatalia fulcra ſuſtentabant: ita, poſtquam diverſa omnia fieri videmus, fatalibus vitiis atroces exitus imminere, non jam curioſe ſuſpicamur, ſed merito veremur. Cujus metus ut vos ſocios habeam, Cives Academici, publici ac veſtra plurimum intereſt. Fiet enim hoc pacto, ut ſingularem Argentoratenſis Academiæ felicitatem agnoſcatis pia reputatione, diſciplinam ornetis innocentia & obſequio; laudem propagetis doctrinis & induſtria; Profeſſores ametis colatisque vero affectu & fide, denique novum RECTOREM *Magnificum & ſpectabiles Decanos* accipiatis grate, revereamini ſincere, voluntati eorum & legibus conſtanter pareatis. Tali mente vos comparére cras volo, hora II. pomeridiana, cum in Brabeuterio, quod vocant, noſtro, *Vir plurimum Reverendus, Clariſſimus, Excellentiſſimusque* DN. JOANNES CONRADUS DANNHAWERUS, *SS. Theol. D. P. P. & Eccleſiaſtes digniſſimus, Fautor, Collega, Compater noſter non ſine obſervantia colendus*, gubernationis Academicæ munus, Venerandi Conſilii Academici ſuffragiis, & Inclyti Magiſtratus approbatione, delatum, cum bono Deo feliciter ſuſcipiet; *legesque de diſciplina & officio ſtudioſorum* publice prælegentur. Valete. Propoſit. III. Maji an. Chr. cIↄ Iↄc XLI.

XXXVI.

POſtquam divina voluntate ad aliam ſtationem evocatus, dimiſſionem ab iis, quæ hactenus geſſi, officiis apud Inclytos Reipublicæ Proceres, Dominos meos Clementes, reverenter cœpi petere: optabam ſane, tam triſti ſcriptione ſuperſedere, qualem nunc mihi imperat Viri Optimi & præclare meriti exceſſus. Die enim Dominica, quæ fuit Januarii ſeptima, circa meridiem Deus Opt. Max. è mortali vita ad immortalem tranſtulit, quem hactenus *Eccleſiæ Argentoratenſi Theologum & ad D. Thomæ Paſtorem longe digniſſimum fideliſſimumq́;* commodaverat, *perquam Reverendum, Clariſſimum, Doctiſſi-*

Doctissimum, M. FRIDERICUM SCHÖTTELIUM: cujus memoria sit in laude ac veneratione perpetua! Natus is erat Argentorati, anno Christiano M. DC. die Julii tertiadecima: parentibus inter cives honestate & virtute probatissimis, ANDRÆA SCHÖTTELIO, qui chartariam officinam exercuit, & APOLLONIA HEISCHIA. Horum cura & educatione, Deo in Ecclesia primum consecratus, deinde in Scholis eruditus, anno ætatis XVIII, è Gymnasio in Academiam transiit, *primamque philosophiæ lauream*, quam vocant, accepit: tanquam pignus majorum præmiorum, quæ singulari industriâ magis magisque in posterum emeruit. Cum enim sapientiæ doctrinis animum probe excoluisset, Academicique laboris pulcerrima edidisset publice specimina, anno ætatis XXII, *Magister & Philosophiæ Doctor*, loco inter XV. competitores tertio, creatus est. Hinc Theologiæ se totum dedit, interjectoque biennio, insignes jam profectus in celeberrima *Jenensi Academia*, collocupletavit, & sub præsidio *Venerandi Theologi, Dn. MAJORIS, Professoris ac Superintendentis* (cujus merita in bonis recordationibus gratæ posteritatis pervigebunt) disputatione feliciter suscepta, sua studia publicavit. Quod nec omisit in patria facere, postquam peragratis compluribus locis, cum & Lipsiensi Academiæ aliquod tempus dedisset, plenus bona studiorum morumque fruge rediit. Excepere eum mox labores, officia, honores, quibus dextrè fungendis se tanto studio præparaverat. Anno enim XXVII. *Entzheimensi*; anno, qui ab hoc secundus ivit, *Eckboltzheimensi Ecclesiæ* pastor datus: an. XXXII, in Urbem vocatus, *Diaconatum ad D. Thomæ*, legitima electione suscepit. In qua eadem Ecclesia anno post tertio, *Pastor* constitutus, & simul *Canonici Thomani* titulo honoratus est. In his officiis atque dignitatibus, talem se præbuit, piè fortiterque agendo & patiendo, ut consensu bonorum omnium vehementissime commendetur atque desideretur. Neque sane in angustias hujus paginæ concluserim materiam perpetuæ laudis atque gloriæ, quæ in ore Civitatis Argentoratensis, in animis colle-

collegarum & auditorum, in monumentis insignium meritorum semper perennabit. Accedit, quod luctus, facundiam, & verborum abundantiam excludit ac restringit. Quidni enim verissimo doloris sensu illacrymare debeam acerbæ morti ejus Viri, quem in Ecclesia, ut Doctorem; in collegio, ut Patronum; in civili societate, ut Amicum & Fautorem; in exemplo vitæ, ut Magistrum & Præceptorem veneratus sum: cujus sermonibus publicis eruditus, privatis recreatus sum: cum quo dolui, cum quo speravi? Et illi quidem dolendi sperandiq; finem beatitudo æterna attulit: mihi, dum ejusdem boni societate potiri continget, novam denuo ostendit Deus viam, quam ingrediar & ambulem: nunquam omissurus interim memoriam tanti viri, quantum commendare pro merito supra meas vires est. Privatæ ejus vitæ idem tenor, eadem rectitudo. Maritus comis & prudens: Pater humanus & gravis: Amicus constans & fidus: hæc & ejus generis alia nomina, per omnem officiorum virtutumque seriem, verissimis viri elogiis adscribuntur. Candor in convictu, moderatio, prudentia, suavitas eximie in eo enituerunt. Contraxit autem matrimonium, anno XXXI, ducta domum uxore lectissima Virgine ANNA MARGARETHA, Viri *perquam Reverendi Clarissimique* DN. M. JOANNIS CHRISTOPHORI CAROLI, *Ecclesiæ ad D. Petri senioris Pastoris fidelissimi*, & SALOMÆ VOLMARIÆ, pp. mm. filiâ: quæ felici partu octavùm fecit eum Parentem. E qua subole, una filiola decessit, superstitibus tribus filiis & quatuor filiabus: quorum indoles partim eximiis jam documentis effloruit, partim sui ortus & domestici exempli spe gratiaque commendatur. Deus sospitet amicam domum: & in ea matronam viduam, cum laudatâ prole, solatio, sanitate, profectu, fortunâ recreet cumuletque! Ipsum pie defunctum Theologum nostrum, jamjam ista circumfluunt, quæ optari olim potuerunt. *Dominus cœli & terræ dedit illi lætitiam pro tristitia!* quo solenni voto, ultimas pro

Auditoribus ſuis preces publice in ſuggeſtu effudit, cum *in feſto circumciſionis Dominica*, pro felicitate novi anni Deo ſupplicaret. Illo ipſo die in ægritudinem incidit, omniaque, ſicut Chriſtianum & Theologum decebat, ad redauſpicandum in altera vita annum ſine fine, & percipienda veræ pacis bona, comparavit. Multus illi de ovibus ſuis ſermo, multa pro publico egregio, quod Deo commendavit, cura. Intentio precum, usque ad extremum halitum, acerrima. qua de re præſertim teſtari poterit abunde, qui ægrotanti aſſedit, omnemque amantiſſimi collegæ & fidiſſimi amici ſolicitudinem operamque impendit, Vir *Reverendus Doctiſſimusque* DN. M. CHRISTOPHORUS ALGEIERUS, *Eccleſiæ dictæ Diaconus digniſſimus, Fautor noſter honorandus.* Hora ſuprema jam ante dicta eſt: Funus hodie hora I. pomeridiana efferetur ex ædibus, quas incoluit, in area Thomana ſitis. Veſtrum eſt, Cives Academici, magnâ frequentiâ exequias ire præclariſſimo & viro & Theologo, eademque opera Deum rogare, ut publice privatimque ſarciat jacturam, quæ in hâc morte multiplex facta eſt. Propoſitum Argentorati die XI. Januarii, quem faſti inſigniunt elogio FELICITATIS, tanquam omine & argumento ejus voti, quod, pro incipientis anni proſperitate obtinenda, vobis omnibus & ſingulis impertior!



Sequens Programma in Academiâ Regia Ubſalienſi propoſitum eſt.

QUem inter commilitones, ſingulis hactenus hebdomadis, uſurparunt recitandi morem, ejus ſpecimen Vobis quoque, Patres Academici, congreſſu ſollenniore, approbare cupiunt, lectiſſima Juventutis Academicæ decora:

decora : Comites , Barones , Nobiles , & ex reliquo Studiosorum ordine , alii. Occasionem & materiam suppeditavit, quem publica prælectione interpretandum suscepi , Historicorum venustissimus Q. Curtius. è quo CAUSSAM PHILOTÆ, distributis inter eos qui exerceri cupiunt , personis , meditationi litterariæ aptare placuit. Quamquam autem in caussis majestatis non tam memorandis quam explicandis, plane singularis sit & prudentia Curtii & facundia : in Philotæ tamen negotio, se quodammodo ipse superavit. adeo nihil desideratur eorum, quæ in hoc argumentum vel autoritas juris, vel utilitas regni, ex voto Principum & invento aulicorum invexit. præsertim in silentii culpa. quam non alibi ad hoc exemplum tractatam reperias. Sed , ut desit argumenti commendatio , in ipsis illustribus & honestis nominibus, quæ mox annotabuntur, satis est momenti, ad benevolentiam Professorum demerendam, & Studiosorum incitandam industriam. *Alexandri Regis* personam geret, Comes NICOLAUS Brahe. Inde consiliarios Regis & ministros , *Erigyium* quidem *Comes* GUSTAVUS ADOLPHUS Torstenson ; *Cœnum*, AUGUSTINUS Kewenhiller ; *Hephæstionem*, CAROLUS SPARR ; *Craterum*, PETRUS SPARR, *Barones* ; *Perdiccam* ; ARVIDUS Jsvarßon ; *Leonnatum* , PETRUS Bonde / *Nobiles* , referent. *Cebalini* partes AUGUSTINUS Leyonskildt ; *Nicomachi*, GUSTAVUS Silwerstiern ; *Nobiles*, sustinebunt. *Belonis* titulus, JOHANNI PAULINO ; *Philota* nomen MAGNO PONTINO cessit. *Amynta pratoris* vocabulum assumet JOHANNES Bergh. *Metron* erit, PETRUS JOHANNIS MELANDER. *Praconem* aget PETRUS NICOLAI. *Militum* vicem obibunt CHRISTIANUS Wilßhausen / OLAUS Blix. Præsabitur toti exercitationi M. JOHANNES TIDERUS. Exercitatio ipsa, constat iis fere partibus : *Philota* silentium in comperto crimine conjurationis detegitur,

tur, inquiritur & condonatur: post veniam datam denuo inter consiliarios Regis disceptatur: *Tum* in judicio accusatur & defenditur: *Inde* nova deliberatione tormentis dignum decernitur: *Denique* expresso tormentis crimine, Philotas non jam ob silentium, sed ut sceleris auctor & particeps capitis condemnatur. Quibus commodum erit, auscultare, suumque tali officio erga illustres familias studium, & in bonas literas amorem testari, illi rogantur, ut die crastini, qui erit hujus mensis XXIV, peracta re divinâ, hora VIII. matutinâ, in Auditorio Gustaviano convenire non graventur. V. Ubsal. x. Kal. Novembr. CIↃ IↃC XLIX.

REVE-


REVERENDISSIMO & CELSISSIMO PRINCIPI AC DOMINO,

DOMINO
LOTHARIO
FRIDERICO,

Episcopo Spirensi, Coadjutori Moguntino, Præposito Weissenburgensi & Odenheimensi, S. Rom. Imperii Principi, &c. &c.

DOMINO MEO CLEMENTISSIMO

Vitam, felices annos, gloriam ac salutem perpetuam!



TErtius & vicesimus præteriit annus, ex quo Princeps ad Germaniæ tutelam genitus, omnique summo loco digna virtute adornatus, JOHANNES PHILIPPUS, Moguntini Electoris eminentissimum nomen ac munus, capessere cœpit. Ab eo tempore, singularia prorsus extant, & ad Imperii salutem pertinentia tanti Principis merita, quibus singuli anni multiplicatis titulis memorias hujus sæculi longe lateque impleverunt & illustrarunt. Sed ista quidem æternus annalium honos, & incorruptæ posteritatis testimonium manet. Unum est opus, maximis quibusque comparandum, quod hujus anni finem insignivit, & tantum apud omne genus hominum, ad quos aliqua honesti & reipublicæ cura penetrat, applausum concitavit, ut loquacitas undique subito commota, in parte officii numerari concupiscat. Sufficit equidem ejus, quamquam in senium provecta, ætas, curis & laboribus; quibus strenuè assuetus, Reipublicæ servire, occupationes occupationibus vel continuare vel distinguere, id demum vivere, existimat. Ne tamen Principalium benefactorum seriem, Principum mortalitas interjungere queat, quæ potest esse æternitate Reipublicæ dignior provisio, quàm si certus quæratur successor, antequam succedendi necessitas supervenerit. Quâ in re magna profecto laus versatur ejus, qui sibi videtur senex, cum aliis non videatur. Dei nimirum cuncta moderantis hoc munus est, ut cum Eminentissimi Electoris voluntate, illustrissimi Collegii Cathedralis consensus, unanimo per omnia voto congrueret

eret. Non potuit non optimus esse & dignissimus, qui hoc modo electus est COADJUTOR. Mirum ergo non est, quod aures Tuæ, LOTHARIE FRIDERICE, Coadjutor Moguntine, Princeps Eminentia & Celsitudine Inclytissime, gratulationibus; manus osculis fatigantur. Dei consilium, Tuam virtutem, Imperii felicitatem, ut admirentur, ut exoptent, ut venerentur, quicunque sincerè Te amant, pátere quæso; & indulgentiæ Tuæ hoc primum specimen exhibe. Nihil divinius in Principe, quàm amare cives Imperii & suos; nihil felicius, quàm amari, si non ubique gentium, certe in Germania. Quamquam Tu pridem, ut domi visu, ita foris auditu venerabilis, generis humani affectus possides; quasi de Te in suffragium ivissent communia populorum studia. In quibus tamen, Germanis certum est, non vinci. Ac, si hominis privati animum posset intrare, species dignæ Republicâ orationis, fortasse ita Te Germania alloqueretur: Agnoscimus, Princeps magne, Divinum beneficium & consilium, quo res nostras beare voluit, cum Te Electorum Primo in partem curarum sociavit, & in nobilissima consilia operaque successurum destinavit. Age, felicibus auspiciis obsequere Deo, ama Rempublicam, supera spes & vota sæculi. Accedis ad res minimè securas. Sed ut Securitas publica Deo cordi sit, non exigua Tui muneris pars erit. Vidisti Electorem Eminentissimum eo stare & splendere loco, qui inter disjuncta, conjunctionis; inter dissona, concordiæ; inter aspera, mitigationis; inter dubia, firmitudinis & stabilimenti opem portendere, & subsidium præstare, ex ipsa Reipublicæ formulâ potest polletque.

Onerosum esse creditur, succedere optimo Principi: sed nempe illi onerosum est, qui dissimili ingenio, qui impar artibus, modo laudatis, noscitur. Tu divino humanoque judicio in proximam Augustissimo capiti necessitudinem vocaris: Tu Imperatoriis curis sublevandis, Tu Procerum Civiumque desideriis explendis, studiis demerendis,

rendis, aptiſſimus merito concelebraris. Nihil eſt igitur, quod à Te non expectet Aula, non ſperet Pax, non expetat Libertas. Quis eſt ille, qui nationum Germanicarum tendentia ſæpe in diverſum ſtudia, ad commune bonum contemperare novit? qui comitiorum æſtus tempeſtivâ ſedare ſollertiâ, legum in duraturam firmitatem colligare vincula, ſpes metusque ex uſu publico incitare aut inhibere, triſtibus ſolatium; lætis modum; perplexis perſpicuitatem, arduis facultatem dare didicit? qui amicus amicis, nec inimicus inimicis, vicinorum & viciniæ ſtudioſus, exteris comis, æquus omnibus amorem & venerationem foris domique meretur? Quod eſt illud ſidus, quod Auguſtum Solem benefica partientem vaſto corpori lumina, indeflexo curſu comitatur; nec à ſuis alienum ducit partibus, quod conjunctione aliqua publicâ toti ſociatur. Eat per immenſam artium optimarum ſeriem votorum publicorum cupiditas, & requirat, quis & quantus eſſe debeat, qui Primi in Imperio poſt Auguſtum Principis muneri deſtinandus ſit. In unum nomen reſponſa omnium conſonabunt: unum erit exemplum, LOTHARIUS FRIDERICUS, de quo dicatur, HIC EST. Neque hæc tam concors ſententia, cuiquam in Imperio tot illuſtribus viris ſubnixo aliquid detrahit. Nam ut quisque eſt vir optimus, ita ſpectatæ per omnia virtuti minimè invidet, ſibique & Reipublicæ potius gratulatur de felici electionis tam memorabilis ſucceſſu eventuque. Ad eligentes certe magna & perpetua pars hujus gloriæ pertinet. Illorum ſplendidiſſima omni nobilitatis & præſtantiæ genere nomina etiam ſera poſteritas venerabitur. His gratias agent, qui LOTHARIUM FRIDERICUM norunt, qui reverentur Imperatorem, qui amant rempublicam. Etiam exteri ſcire cupient, quæ numeraverit hoc tempore décora ſui ordinis venerabile Collegium: ut tanta pro Imperii ſalute conſenſio, tanta virtutis, ad virtutem meritis honoribus ornandam, unanimitas, ut ſic dicam, exiſtere inter omnes potuerit. Quàm erit dictu

 magni-

magnificum, quam lectu suave, quicquid de Tua electione, Annalibus Moguntinis subinde instaurandis inferetur? Faxit Deus immortalis, ut, quae hinc procedet longissima annorum series, operi det materiem Tua merita ad sidera laturo, neque praestantissimis quibusque historiarum argumentis cessuro. Juvent alios cruenti Martis supellex, & tropaea & triumphi. Tuo muneri, Princeps Reverendissime, pacifica sunt officia proposita: Tibi meliores &

plures de pace triumphos

fata pollicentur, quàm de bello quisquam unquam potuit referre. Satis prodegit sanguinis, satis in sua viscera strinxit ferrum Germania superiore & hoc saeculo. Tempus est, ut iras & arma tantum in hostes Christiani nominis habeamus. Quamquam nescio quis temporis genius, pacem, tam pretiosè, tam sero redemtam, in qua necdum lethifera Patriae vulnera cicatricem duxerunt, inquietare, sparsis dissidiorum seminibus, suscitatis occulti ignis scintillis, non cessat. Hoc opus, hic labor est, hoc stadium, ubi Tua decurrat industria, Quieti & Securitati publicae Imperatoris & Imperii omni contentione indefessis vigiliis consulere, occurrere suspicionibus, obniti litibus, prospicere futuris, mederi praesentibus. Haec Deo carissima, saeculo necessaria, posteris salutaris est occupatio; haec propria Archicancellarii virtus, extra & supra concertationes, pacem semper tenere, moderari, ornare, elaborare, conservare.

Ut Augustum caput, honore, auctoritate, potestate valeat excellissimè; ut omnia amplissimi corporis membra, cultu & obsequio ad Reip. felicitatem necessario respondeant conjunctioni capitis & membrorum, quae si laxa est, nulla sit oportet: haec est meta, quam contingere amant, qui ex praescripto Legis Aureae Carolinae Reipublicae se constituerunt consecrare. Accedit, atque felici-

felicitatis ſimul & perpetuitatis Imperii ſummam oſtentat, Pactio Pacis Monaſterienſis & Oſnabrugenſis: quæ tantum non clamat hortaturque, ut Regum Regnorumque compaciſcentium amicitia ex æquo colatur retineaturque, in quantum fieri poteſt. Metuunt enim non injuriâ, Germaniæ ſuæ revera ſtudioſi, ne periculoſum ſit, quicquam ab altera parte diſſolvi, quod communi partium conſenſione ſemel pro ſalute Germaniæ conſtitutum eſt. Non eſt enim hæc ex amicitiarum vulgarium genere, ſed inter ipſos neceſſitudinis publicæ articulos coiit. Quam nulla ratio debet, ſed ſola fortunæ publicæ ingens commutatio, quam Deus ne ſirit evenire, poteſt diſſuere. Non vivimus ſane eo ſæculo, quo conjunctiſſimorum etiam amicorum rationibus publicè ſemper idem prodeſſe & nocere queat. Sed, quæ multâ varietate diſcrepant, prudentiâ divinitus gubernatâ conjungi, inter pignora, ſi ullius certe Imperii Germanorum Romani, fatalia ſemper fuit, eritque. Neque ullius gentis, ullius ſæculi, exemplum licebit ciere, ubi peræque difficilis & impedita fuerit Reipublicæ adminiſtratio, ac eſt hodie in Imperio. Verum in ipſo querelæ argumento innaſcitur non iners ſolatium, quando ex memoria anteacti temporis recordamur, Deum, regnorum regnatorem Deum, inter deſperata rerum, velut ex machinâ ſtatui noſtro, quem ad finem mundi conſervare decrevit, præſentaneam ſemper opem tuliſſe.

—— Sunt maxima cordi
Regna Deo; donatque aliquid plus ille dynaſtis
Conſilii, quàm privatâ ſit mente repoſtum.

Inprimis ingenio Tuo, muneri Tuo, quid non donet, quid non cumulet ſupremus rerum arbiter, qui Te, Princeps Inclytiſſime, ad Tutelam Reipublicæ educari, ad latus Imperatoris, ad ſpes opesque Imperii admoveri voluit juſſit?

Tam arduis intento curis Tibi, Princeps Optime, contingat, vita longævâ, valetudine prosperâ, fortuna propitiâ, egregiis ministris, fama secundissima uti: annosque numerare successibus, menses distinguere laudibus, dies describere meritis. Ut publica hæc vota multis decenniis nuncupentur exsolvanturque, pia assonet temporique debita, nec cælesti benignitati Tuæ aspernabilis vox,

Eminentiæ ac Celsitudini Tuæ

Scr. Argentorati XV. Decembris
CIↃ IↃC LXX.

demississime devoti

Jo. Henr. Bœcleri.

COADJUTORI
TREVERICO

REVERENDISSIMO ET CELSISSIMO


PRINCIPI AC DOMINO,

DOMINO

JOH. HUGONI
AB ORSBECK,

Metropolitanæ Ecclesiæ Tre-
virensis dudum Chor-Episcopo, Spi-
rensis Cathedralis Ecclesiæ De-
cano, &c. &c.

Feliciter.



DUm ſolennia anni incipientis vota, in Imperio, & per terrarum orbem, vel ſolvuntur, vel nuncupantur, *pro Chriſtianorum concordia, pro ſalute & incolumitate Optimi Principis Auguſtiſſimi Imperatoris, pro felici Auguſtæ puerperio, pro perpetuitate Pacis & ſecuritatis Publicæ, pro Principum & Ordinum Imperii proſperitate:* TIBI REVERENDISSIME PRINCEPS, ultro magna & memorabilis & auſpicata temporum nihil non boni in poſterum pollicentium ſeries divinitus cœpit procedere. Expetitus & aſſumtus es in partem curarum & certus ſucceſſor conſtitutus EMINENTISSIMI PRINCIPIS, ELECTORIS TREVIRENSIS, eo rerum articulo, quo maximè Reipublicæ intereſt, magnos Principes magnis uti negotiorum ſuorum adjutoribus; eâ Illuſtriſſimi Collegii unanimitate ac prudentiâ, quam non poſſunt non venerari æquorum iniquorumque ingenia; ea omnis ordinis, omnis generis hominum congratulatione & lætitiâ, quæ abunde teſtaretur, Electionem Coadjutoris Trevirenſis nec ſuſcipi, nec fieri potuiſſe melius, felicius, utilius.

Dubitari forte aliquando potuit, an ſatius eſſet, expectare caſum, quàm prævertere. Et, ſit ſua cuique loco & nationi & collegio, ratio conſuetudoque: quam diſputando attrectare, incivile merito videatur. In S. Rom. Imperio, ſum̃a ratio eſt, quæ cavet, ne quis Principatus, vel ad breve temporis momentum vacet. Hinc, ubi jure ſanguinis ſucceditur, defectum naturæ non diligenter modo ſed maturè ſupplent pacta familiarum illuſtrium, quæ in adoptionis & arrogationis locum, Reipublicæ causâ, inſtituta ſunt. Ubi autem merita quemque ſua ad Principis dignationem evehunt, non ceſſant eadem eſſe conſilia ad ſalutem unius cor-

poris,

poris, ubi eădem ſunt pericula. Habere autem illum tranſitum rerum, quo mutatur Princeps, diſcriminis plurimum, & recipere varios caſus, nulla eſt quæ non docuerit ætas. Si quid ergo ſpecioſæ diverſitatis in utroque genere Principatuum excogitare lubet, plus tamen roboris in eo eſt, ut partes partibus ad conſervationem totius congruant.

Quod ſi timere aliqui velint libertati ſuffragiorum, aut ſtudia propinquitatis ſuſpectare & cognationis, illuſtribus exemplis præcipuarum & vicinarum Eccleſiarum poſſunt ab illâ ſententiâ revocari. Quis enim eſt, quin gloriandum eſſe omnibus ſæculis intelligat, de pulcerrimo cooptationis talis ſucceſſu & ſplendore, quo nunc fulget, Moguntina, Trevirenſis, Monaſterienſis Cathedra? Et ſicuti prudentiſſime conſtitutum eſt, ne cognatio ac neceſſitudo ſanguinis excluderet digniſſimos: ita in Trevirenſi Electione, conſpirante cum Principis pro utilitate publicâ curis illuſtriſſimi Collegii ſententiâ, primi & unici momenti ad Te ſecreto ſcrutinio optandum fuit, meriti Tui veneratio, REVERENDISSIME ET CELSISSIME PRINCEPS COADJUTOR. Tu enim nec ambiiſti, nec optaſti. Maluiſſes imò humeros Tuos tantæ moli ſubtrahere, & in alios honoris id faſtigium transferre; ſi fas fuiſſet, deſtinata ſaluti publicæ vota & divinitus gubernatæ electionis conſenſum ſubterfugere. Sciunt, hæc non per adulationem dici, quicunque Te noverunt. Sicut enim animum Tibi plurimarum rerum capacem, ita minime earum appetentem, dedit Deus, formavit pietas: cujus pars eſt, Deo ad magna & alta vocanti non obluctari.

Gratulandum eſt hoc nomine EMINENTISSIMO PRINCIPI ELECTORI; qui vivus fruitur voto, ut in ſucceſſoris virtute & merito felicitatem Eccleſiæ & Reipublicæ ſuæ, ſuaviter & ſecurè, in longam ætatem, quod Deus faxit, videat acquieſcere.

Gratulandum eſt illuſtriſſimo Canonicorum Collegio, qui firmitati & integritati corporis ſui providentiſſimâ ſolicitudine cavendum putarunt. Gra-

Gratulandum est etiam Imperatori Augustissimo & Sacro Imperio, cujus fulcimenta, quorum præsidio dextra Imperialis potentiæ roboratur, tam opportune, tam prudenter, tam feliciter supplentur sufficiunturque.

Gratulandum est TIBI, REVERENDISSIME ET CELSISSIME PRINCEPS COADJUTOR, ad eum provecto locum, unde potentissimæ in terris Reipublicæ, salutaribus consiliis, tempore necessario, fructu perpetuo decus pores & præsidium commodare. Qui isto rerum habitu, dum miros motus undique sidera fati publici portendunt, ad Rempublicam accedit, illius mentem pia solertia & assuetus divinis incitationibus animus, moderetur oportet & dirigat ad candidam illam metam, quæ conservatione patriæ insignitur atque demonstratur.

Existimant prudentes, non alibi terrarum difficilius geri Rempublicam quàm in S. R. Imperio. Eas difficultates ut feliciter pervadas & evadas, salvâ corporis cum Augustissimo capite congruentia, precari fas est.

Deus Te conservet incolumem, florentissime Princeps, ut Tuâ incolumitate plurima publicè privatimque gaudia sustententur.

Quæ in commune læta sunt, non excludunt privatos & singulos. Iccirco non ægrè feras supplico, quod longè positus, & in obscuro, sideris tamen novi ortum ausus sum venerari. Raptus sum in hæc obsequia, exemplo Reverendissimi & Illustrissimi Baronis PHILIPPI GUILIELMI DE BOINEBURG, quem hoc tempore omni laude & præsentis futurique decoris spe celsissimè florentem, ex propinquo hîc suspicere datur. Ille inter prospera sui ævi numerat, Tuam gloriam intueri, virtutem imitari, fortunam collaudare. Illum inter jucundissimos vitæ suæ dies sensisse vidi atque consignasse eam lucem, quæ Te Principali dignatione celebravit. Ille propriam & quodam modo domesticam judicavit hanc felicitatem Trevirorum, unde auspicia singularis exempli ad tot inclyta familiarum Illustrium nomina videntur pertinere. Ille,

in præcipuis generosæ disciplinæ, cui studet, rudimentis amplectitur, Reipublicæ prospera voto, applausu, gratulatione prosequi. Quis non lætetur tam rectis in juvenili ætate sententiis, tam probis pro publico egregio judiciis, tam meditatis erga Deum hominesque officiis?

Vive PRINCEPS COADJUTOR, & in ornanda Republica Tuum ipse exemplum supera. Vive, & flore, & vale, & res gere nulli non sæculo admirationi futuras. Qui publicam felicitatem amant, ita precantur: Qui Te non ignorant, ita sentiunt. Qui Deo confidunt, hujus voti fiduciam assumunt.

Iterum Reverendissimo & Celsissimo Principi COADJUTORI TREVERICO *Feliciter*, inter certantia omnium Ordinum obsequia, acclamat

Reverentissimè atq; demissißimè

Argentorati 7. Januar.
1672.

Rev. ejus

Celsit.

addictus

Joh. Henr. Bœclerus.

ELOGIUM CHRISTOPHORI FORSTNERI,

SCRIPTORE

JOANNE HENRICO BOECLERO.

CHRISTOPHORUM FORSTNERUM posteritati narrare, pium magis quàm facile est. Huic enim nomini statim æqua expectatur oratio. Cujus si quis fiduciam animo concipiat, parum meminisse videri queat nobilissima ingenii monumenta, quibus vir tantus non minùs quàm nomine suo celebratur. Ergo etiam qui desperavit certamen, certare voluisse vel debuisse cum tanta eloquentia, putabitur. Sed adversus hæc vulgaria magis quàm probata rationum nomina, superest inculpatum amicitiæ & innocentiæ genus, si cum quo jam loqui non possumus, de eo nunquam loqui desinamus. Nec dissimulo, me, quicquid id est officii, ultrò invasisse. De viro enim quem à primâ juventâ colui, amavi, quem frequentibus & mutuis literis semper, non rarò colloquiis & salutationibus, haud vulgariter fautorem sensi, habuique; tum silere, cum necessitudo consuetudinis, quæ vivis propria est, intercidit; vereor, ne crimen animi à natura & literis non adeo benè instituti, magistri & arbitri humanitatis appellitarent. Probè inter hæc commemini, quàm decora ingenia, ipsoque ætatis & eloquentiæ flore eminentia, de cultu FORSTNERIANI Nominis

inter ſe & ad poſteros contendere decreverint. Quibus tantùm abeſt, ut præreptum aliquid hæ pagellæ velint; ut potiùs certa me ſpes foveat, iſtis veluti ſtimulis excitatos, quicquid eſt amicorum, longum pietatis & officii ordinem explicituros eſſe.

Genus CHRISTOPHORI FORSTNERI, etiamſi natalium ſplendore non præcelleret, ab ipſo certè, idoneo nobilitatis auctore, incipere poterat: Qui ad omnium excellentium hominum indolem & laudes tam feliciter ſe compoſuit, ut in majoribus ſuis pulcerrimo propinquitatis ſpecimine, quicquid nominum merito & virtute ſimillimum in generoſis familiis eſt, annumerare poſſet. Sed non parca fuit, vel natura vel fortuna, in Avitis gentis hujus ornamentis cumulandis. De quibus tamen ut facundus fieri velim, non optant, qui unius Viri propria decora, omnibus undecunque accitis præferri oportere, haud inerudité arbitrantur. Hujus enim dotes arteſque, tum univerſæ familiæ, tum parentibus inprimis gratulari debet commemoratio noſtra.

Avus CHRISTCPHORUS FORSTNERUS Buduicii in Bohemia Judicis ordinarii functus eſt munere. Parens PAULUS, Comitum de HARRACH Dynaſtiæ Birchkenſtenianæ in Auſtria præfuit: donec religionis purioris ſtudium pro crimine eſſe cœpit. Tum ergo in ſeceſſu prædii ſui Breitenfeldii, quod nunc Comites de SCHALLENBERG agnoſcit dominos, ad privatam redactus vitam, tranquilliſſimè ſenuit. Licet enim nova ipſi exilia conſciſcere agitarent, quibus familiare per ea tempora fuit, odio ſuo in viros innoxios & cordatos pietatis ſpeciem præferre; Filius tamen, cujus memoriæ nunc operamur, in ea jam ingenii & morum ſpecimina adoleverat, ut Cardinali CLESELIO primas tum in aula Cæſarea partes potentiæ obtinenti, facilè inſinuatus, & ſibi multa dehinc beneficia, & tunc patri ſuo plenam vacuamque ab omni vexatione & moleſtiâ immunitatem à tanti patroni favore impetraret. Ita ſibi Deoque permiſſus PAULUS anno

demum

demum ætatis nonagesimo & tertio vivendi finem fecit. Susceperat autem ex nobili & ornatissimâ matronâ MAGDALENA Capelleriâ, conjuge suâ, filium avo cognominem CHRISTOPHORUM, quem lugemus, anno superioris sæculi nonagesimo octavo, die Septembris tertiâ, septimam inter & octavam à meridie horam.

Propitia nascenti affulsisse sidera dicerem; si de eo divinandi genere quicquam certi mortalium ingeniis compertum esse constaret. Illud extra dubium ponitur, divini muneris esse, si cui ex optimis parentibus nasci, eorumque indolem referre & exprimere contigit. Tum enim facilè ad summa ascendunt, & exempla originis suæ superant, illustrantque excellentes naturæ: quod genus propagandæ nobilitatis non privatis modò decoribus aptissimum, sed Reipublicæ plerumque saluberrimum esse solet. Habet suas gratias & prima educatio; facitque ut domo emissus elegans puer, magistris publicam adolescentum disciplinam professis, primum admirationem, mox amorem sui moveat: quo accedit tacitus quidam pudor, si non conferat pro se quisque, quantum potest polletque, ad ornandam eam ætatem, quæ maturitatem communibus votis expetendam tot pignoribus ac rudimentis promittit. Nec sanè vulgaris aut quotidiana hæc occasio est, sua bene feliciterque collocandi officia. Nunquam CHRISTOPHORUS noster amisit memoriam Athenæi Linciensis; quin ingenuè & liberaliter Præceptorum suorum merita in adolescentiam suam collata, etiam senior prædicaret. Tubingæ THOMÆ Lansio civi suo traditus, adeo indole & moribus enituit, ut eodem anno, qui seculi hujus decimus tertius erat, tanti viri testimonium penè invidendum mereretur: Quo ad celebrem Medicum Persium, *toti Patriæ ornamento & præsidio futurum quandoque hujus adolescentis ingenium*, rescripsit. Nec aliud fuit aliorum ejus Academiæ Doctorum judicium, quorum favore & applausu mirificè floruit. In iis MICHAELI Ziglero, & postea magno Theologo MATTHIÆ Hafenreffero, etiam propiore convictu amatus dilectusque

 est.

eſt. In eloquentiæ ſtudio Buchnerum & Zachariam Schæferum habuit adjutores teſteſque amantiſſimos. Quid multa? anno ætatis nonodecimo, poſt alia meditamenta Academica, & pericula, experimentum famæ facturus, Hypomnemata Politica in publicum primâ vice emiſit. Ex quo tempore ſupra votum & ſpem frui cœpit famâ ſui: LANSIO præſertim & BESOLDO, quorum celebratis non TUBINGÆ tantum ſed longè lateque nominibus, præſcriptum erat opuſculum, demonſtrantibus & ambitiosè jactantibus id eruditionis, in ætate parum civilibus curis maturâ, ſed abunde ſufficiente, ſpecimen. Hic diffuſam hiſtoriarum lectionem, hic exactum in comparandis ad præterita præſentibus negotiis ac temporibus judicium, digito ſignabant: exemplaque quibus antiqui illuſtrium ingeniorum florem ex forenſibus adoleſcentiæ tyrociniis oſtentant, æquari & ſuperari, declarabant: tanto benevolentiæ & candoris certamine; ut ad Fabii Dialogum & Apuleji Apologiam eruditiſſimorum hominum, Craſſi, Pollionis, Calvi, Antonii, Mutii, Sulpitii, Furii, Curionis nominibus & elogiis, FORSTNERUM in margine honorificâ notâ adjungerent.

Revocatus eodem anno (ſeculi decimus ſeptimus erat) in Patriam, mox Vindobonæ, quam vulgo Viennam appellant, triennium impendit. Trahebat animum Reipublicæ devotum, non antiquæ tantum Academiæ celebritas, ſed Aulæ Imperatoriæ cominus venerandæ conſultiſſimum ſtudium. Nam ut famâ & majeſtate nominis univerſum orbem in ſe convertit Auguſta Imperii mater, ita lucis ſuæ radiis propiùs admotos aquilarum indole non indignos oculos, non explorat modò, ſed confirmat aſſuetudine contuendi Solis emendatque. Hic ſe æſtimandam offert Reſpublica eo vultu, quo omnium gentium nationumque pulchritudinem antecellit. Ut bene uti poſſis notitia orbis exteri, Germaniam in Viennâ prius contemplare: Ita fiet, ne tu diu peregrinatus, nuſpiam tamen magis quàm in patria peregrinus habearis. Sed FORSTNERUM multo jam

jam viri civilis instructu copiosum, Tubinga viris studiisque eximiis tum florentissima, denuo hospitii necessitudine devinxit, & ab anno seculi vicesimo ad tertium & vicesimum retinuit. Multis ergo literis artibusque, nec minore jam publicè famâ, compos, ad politiores extra Germaniam populos visendos, anno insequente animum adjecit. Nulla est natio, quæ majori hodie peregrinandi studio teneatur, quàm nostra: sed successus in ancipiti fere est. Ingrediuntur hæc itinera plerumque adolescentes, ætate convictûs civilis imperitâ, mente nec studiis, nec moribus firmatâ: & propterea exteriorem rerum scenam oculis, ne satis curiosis quidem, usurpant; nullo ad interiora, & quæ polliceantur pretium operæ, profectu. Si præclarè res geri putanda est, admovetur spei adolescentuli adultior aliquis: qui vel amittit vel perdit auctoritatem, suo alienove ingenio aut fato. Tum enimverò, si Forti Fortunæ litatum est, rector minori additus, aliquid peregrinæ mercis artisve refert; regendus probè vacuus, aut nimis onustus dediscendis, redit.

Res misera & fortioribus remediis digna. GERMANIÆ nostræ viscera inficit hæc labes. Qui enim non animo, non judicio competunt ad peregrina cognoscenda: postquam nihil serium, aut publicè privatimque proficuum foris intellexerunt, superbâ tamen & præposterâ prudentiæ peregrinæ opinione, domi, reipublicæ, & haud raro familiari imponunt, illuduntque.

Verum in viro ad ornandam patriam genito, non habet magnam commendationem, si dicatur à sinistris vulgi non vulgaris, consiliis, suas rationes sejunxisse: nisi quod peregrinationem FORSTNERIANAM tantum boni Germaniæ præstitisse, quantum malorum usitata plerisque aberrandi consuetudo affert, intelligi licet. ITALIA primum excepit, & triennio ferè integro retinuit gratissimum hospitem. Quanquam autem nihil magnopere interest, quas primum terras, quas deinde adeat, qui rebus optimis peregrè addiscendis operam daturus est; valet tamen adhuc

huc illa ratio, quæ civilium artium cupidis primām & præcipuam demonſtrat magiſtram Italiam. Nam qui animos Italorum à conſuetudine victus cum peregrinis jungendâ alienos eſſe queruntur, ſua narrant crimina; dum nec à quibus oportebat, nec quomodo oportebat, diſcere norunt. Forſtnerus Latinè pridem, Italicè ſtatim peritus, moribus præterea ad unguem expolitus, faciles & obvias habuit Italicas Gratias. Qui enim omnem arrogantiam inculti moris effugerat, cautiſſimaque modeſtiâ, nec niſi tempeſtiva libertate, verba & facta ſua moderabatur, non potuit habere minùs propitios homines, alta & recondita & elegantia rimari non minus quàm adamare ſuetos. Athenas Venetas, Patavium, non celebritate tantum magnorum nominum pellectus, libenter incoluit: ſed, quod uberior hinc copia ſperari poterat, Venetias propius adamandi colendique. in hanc ille Rempublicam mira quadam cupidine animum & ſtudia ſua converterat. Hujus inſtituta & exempla, non aliter quam veteris Romæ ſolent alii, conſectabatur: omnis rei Venetæ ſcientiſſimus. Tulitque ſui conſilii fructum inſignem, tum nobilibus amicitiis, tum vel præcipuo amore DOMINICI MOLINI honoratus. Viro ad ſuſtinendam non familiæ modò, ſed gentis & Reipublicæ illuſtriſſimæ gloriam divinitus illi ætati donato, vel in ſalutantium turbâ innotuiſſe, magnificum & erat & habebatur. At verò ille FORSTNERUM ſelegit, interiore admiſſione æſtimavit: multis officiis & laudibus ornavit: ut, quæ de Principatu TIBERII ad TACITUM jam tum commentatus erat, publici juris faceret, hortator auctorque, etiam contra objectas, neſcio unde, difficultates præſto fuit. Impreſſus eſt Liber eximius Patavii; & JOHANNI CORNELIO Venetiarum Principi inſcriptus. Nam & huic Italiæ decori, in cujus elogiis familiaribus etiamſi non legerentur Aſiatici & Africani triumphi, regius tamen ſplendor, etiam matronali merito illatus Reipublicæ, late præfulgeret; luculenta occaſione inſinuatus erat Forſtnerus. Cum enim anno præcedente novum honorem

COR-

CORNELIO, nomine florentissimæ in Patavino Lyceo Germanicæ Nationis gratulatus in consessu Excellentissimi Ordinis esset: non auditus modo benevole, nec sine testimonio politæ eloquentiæ, sed Eques quoque Divi MARCI creatus est: quo genere insignium Veneti non nisi præclarā testatamque pacis bellive laudibus virtutem honorari, majestate nominis sui dignum judicant. Decorum fuit ergo & opportunum, gratias agere tanto Principi, & offerre ea, quæ non nisi virorum usu rerum & ingenio præstantissimorum judicium subire debent. Accessit oratio, de qua memoravi, cum præfatione ad DOMINICUM MOLINUM. Inter ornamenta editi hujus operis non immerito numeres LAURENTII PIGNORII, inter rarissima ejus temporis & elegantissima nomina celebrandi, applausum, quem facta ad antiquitatis specimen inscriptione, ceu pulcerrimam amicitiæ sanctioris, etiam alibi antea professæ, significationem apposuit. Præter communem exquisitiorum literarum amorem congruebat arcano miroque affectu utriusque viri indoles. PIGNORIO, matura, electa, utilia, ex alto doctrinarum secreto promere, judiciumque politum in promtu habere, sine ostentatione ars erat. FORSTNERUM in eandem sollertiam, modestæ & habilis scientiæ genius adornaverat. PIGNORIUS & intelligere & amare candorem amicorum doctus, nec minus FORSTNERUS, ingenuæ humanitatis fidem discernere & mereri peritus. Et dum neuter in altero quicquam nisi solidâ virtute imbutum spectat, aut exspectat, edita sæpius mutui animi pignora, perpetuitatem vinculi, quo colligari ratio fuit, adstrinxerunt.

Licet autem constitutum nobis non sit, omnes Italicas FORSTNERI amicitias enumerare, taceri tamen omnino non debent, quarum memoriam commercio frequentium literarum in Museo FORSTNERIANO custodiri novimus. In his monumentis, præter Pignoriana, Epistolæ FELICIS Osii, CÆSARIS Cremonini, FORTUNII Liceti, CASPARIS Scioppii, aliorumque, nobilem

bilem supellectilis rarioris & elegantioris partem faciunt. Quod si, more vulgato potius quam probabili, ex his liberet excerpere laudes, & judicia de FORSTNERO nostro, sanè non parum esset auctoritatis in tantorum virorum testimonio. Sed ex consuetudine & judicio ipsius FORSTNERI, aliis forte usibus rectius hæc atque talia reservari, non erraverit qui existimet.

Non prætereundum est, quod in Italia, cum ad CAMPANELLAM inviseret, ei usu venit. Tenebatur ille in custodia, nec ad videndum nisi custodibus arbitris quisquam admittebatur. Plures una accesserant, & de more ævi libellos colligendis illustribus nominibus destinatos, CAMPANELLÆ in cubiculo tradi jusserant. Postquam inscripserat is quæ voluit, admissos contemplatus, sine hæsitatione FORSTNERUM numquam antea visum nomine compellavit, manuque prehensum de futuris honoribus & quibusdam aliis eventibus edocuit. Extitit fides prædictis. sive ex liberali & multarum bonarum rerum indice facie, feliciter conjecturam facere contigit; sive veterem de divinatione prudentum sententiam, ad hoc quoque præsagiorum genus, monitu exemploque CARDANI referre, fas est. Quanquam tutius est in his, facta scire, caussam ignorare.

Ex Italia in Galliam profectus, ingenium Aulæ multis tricis per ea tempora impeditum, principum mores, æmulationes, studia odiaque perspexit ac memoriter tenuit.

Ibi Genium illum rebus Europæis fatalem, Ludovici autem Justi magnitudini elaborandæ destinatum, vidit iis intentum consiliis ac operibus, quæ adhuc sentit orbis & posteritas vix credet. Quo sit labore, solertiâ, constantiâ, virtuti militari fortuna concilianda, supra morem fere & modum virium humanarum; Rupellæ obsidio & deditio, in prodigiis potius, quam exemplis ævi ostendit. Quanta sit & quam multis industriæ & vigilantiæ artibus adjuvetur illa vis prudentiæ, quæ conjurata in perniciem Regis optimi domi forisque & insolubili nexu obfirmata molimina,

mina, explicavit tandem dirupitque, non alias majore documento cognitum eſt. Omnia in utramque fortunæ partem magna & inſolita, veluti ſiderum vehementiore motu Galliam tum agitabant. Quibus temporum articulis uberior & incitatior eſt civilis ſapientiæ diſciplina, animumque capacem non invitat modo; ſed rapit per momenta negotiorum ad abditas origines ſeriemque operum originibus debitam. Eſtque illuſtrium in Galliis virorum ea comitas, quæ decoras profanoque exemtas vulgo mentes ut admiratione ſui potenter imbuit, ita profectu rarioris ſcientiæ, vel aliud agendo ſuaviſſimè collocupletat. Si paucis & ſub exemplo agendum eſt, quali elegantiæ genio, JOANNES olim BARCLAIUS, res in Gallia paulò ulteriores, cum applauſu omnium executus eſt: talis fuit FORSTNERI in commemorandis rebus Gallicis citerioribus dulcedo, & multis arcaniſque gratiis opulenta facundia. Inprimis autem per omnem vitam uſui decorique fuit, tam exquiſita rerum Gallicarum notitia, hominumque ornatiſſimorum feliciter ibi contracta amicitia: ſive in ſcena Europæ Gallia partes ſuas, nunquam rebus modicis ſpectatas, noſcendas publicè exhibuit: ſive in Galliam Legato Reipublicæ cauſa eundum fuit. Cui muneri ſuus poſtea ſervatur locus.

Interea cum Viennam peregrè rediiſſet, non ignotus aut ingratus pridem hoſpes, Aulæ magis magiſque ſe approbavit: Summis etiam in ea viris dilectus æſtimatusque. In his CLESELII CARDINALIS favor iterum enituit: quem æmulati ſunt præſertim STRALENDORFIUS, qui Archicancellarii Imperii vices tum gerebat, & NOSTITZIUS COMES, Vice-Cancellarius Bohemicus. Hi de retinendo in Aula ornandoque FORSTNERO ſeriam ſuſceperant curam, multaque rerum & verborum comitate teſtatam. Et ille quidem nimium quàm flagrabat cupiditate obſequendi tantis PATRONIS: neque unicus ille affectus in aulam Cæſaream, quo à prima ætate tenebatur, ad extremum usque halitum deſeruit virum. Sed tum

temporis intercessit metus, ab invidia crebrescente in eos, qui Religionem ad conscientiam, non ad alienum arbitrium pertinere statuebant. Igitur CRATONI Hohenloico Comiti, causam Circuli Franconici tum apud Augustum agenti adjunctus, post quatuor mensium in Franconia moram, totius jam Domûs Hohenloicæ Consiliarius & Legatus, Aulam repetiit. Sed illam Comitia Electoralia maximis de rebus instituta cum Ratisbonam excivissent, secutus cum aliis Legatis FORSTNERUS, res inter Cæsarem & Electores palam & in occulto actas tractatasque, accuratâ & in exemplum à plerisque deinde optatâ laudataque epistolâ, anni insequentis initio exposuit. Accesserat eodem Jacobus LEFFLERUS Cancellarius Würtembergicus, cujus ingenio multa & magna hujus seculi negotia gubernata sunt. Ille, ut facile inter se congruunt excellentes naturæ, collaudatâ ex omni occasione Forstneri virtute, Vice-Cancellarii Montis-belgardensis dignationem nomine sui Principis ei obtulit, atque, ut tempore ad consultandum cum suis necessariis sumpto, subinde in se reciperet, persuasit.

Neque triennium ab eo tempore præterierat, cum Cancellarii nomen & munus suo merito adeptus, ad finem usque vitæ præclare implevit. Magnum prudentiæ exquisitioris argumentum arbitror, constanter tenuisse, quod probe elegeris. Invitatus est haud raro ad alia loca, ad alia munia FORSTNERUS, luculentis conditionibus. Nolo enumerare, quæ ipse dissimulanda duxit. Sed quia ornandam non vulgariter, quam susceperat, Spartam existimabat, in eaque re quotidiano semetipsum profectu superabat, non melius sibi, non melius officiis consuli posse, certum habebat, quam si suæ affixus sphæræ, ceu stella perpetua Cæli Heroici, indeflexum lumen spargeret. Tulit eum constantiæ suæ fructum, ut primarii Ministri, & Consiliorum Actorumque Principalium moderatoris exemplum, suam vitam celebrari, magno famæ consensu vivus audiret undique & cognosceret.

In

In modicis quoque Principatibus non modici labores incumbunt ei, qui ornandam primario provisu in Germania suscepit talem Spartam. Cumque pacatioribus etiam temporibus, non facilis prudentiæ res sit, inter potentes vicinos conservare statum Reipublicæ conclusæ velut in medio, Forstnero in majus auxerunt molem negotiorum, tempora omnibus malis publicis horrenda & confusa; quibus ad sui muneris & miseriarum undique ingruentium initia accessit. Principes Fratres, ætate injuriis opportunâ, apud Helvetios & in Galliis paulo minus quam exilium, usque ad annum hujus sæculi quartum & quadragesimum tolerabant. Variæ sævissimi belli clades, pestilentiæ horribilis atrocitas, omnis infortunii facies, nihil tuti lætive interea reliquerant. Scisso velo, quassatâ nave, navigandum tamen erat. Qua in re quid curarum, quid molestiarum versetur, non facile quisquam verbis expresserit, aut animo comprehenderit.

Conservatâ Principibus fide; provinciis, quantum humanâ fieri ope poterat, sublevatis & à desperatione resurgendi ad fiduciam traductis, meruerat, ut extra invidiam, non extra gloriam esset. Sed non defuerunt obtrectatores, qui optimè ab ipso consultata & actitata, imprudentibus non minus quam importunis censuris apud reducem novum Principem vexarent. Vicit tamen ad extremum melior causa, & genius Optimi Principis ad tuendam suorum innocentiam nunquam difficilis. Præclare sapiunt, qui adversus inimicorum insidias, non fugiendo aut stationem suam deserendo, sed immobili gradu stantes malarum artium finem, & bonarum fortunam nunquam seram, etsi tardam, præstolantur. Certe utriusque Principis, & ejus qui Mompelgardense regimen prior suscepit, quique Fratris successor adhuc magna cum gloria rerum potitur, judicio ac testimonio, quod irrefragabile est, constat: FORSTNERUM fidelissimi & prudentissimi ministri omnes numeros usque ad fastigium exempli, quod in hoc genere optari potest, implevisse. Quare & gratiâ & munificentiâ

Principali ad vitæ terminum usque floruit: earumque & honoratum etiam in Filiis nomen FORSTNERIANUM in aula perennat.

Itineribus creberrimis, modo in Galliam, ex qua Aula fortuna ditionis Mompelgardensis non levibus momentis sæpius pendere visa est, modo alios ad Principes occupabatur. Neq; fuit unquam tempus, quin suæ virtutis & industriæ maximam opinionem, apud omnes, quibuscum ei negotium fuit, relinqueret. Testantur hoc magna, & totius pene Europæ Comitia de Pace ex sævissimo & longissimo bello reconcilianda, Monasterii & Osnabrugæ instituta. Quo ille missus, maximi cujusque Legatorum animos oculosque in se convertit. Hic Cæsarea Legatio, cujus Princeps tum Comes TRAUTMANSDORFIUS fuit, suâ prudentiâ dignum bonumque factum censuit, si Domui Augustæ FORSTNERUM iterum commendaret, & Consilio Aulæ Imperatoriæ adjungi cuperet. Hic Sueci propioribus consiliis ultro adhibere virum solebant; & quotiens Monasterio Osnabrugam reduces nova negotiosi tractatus capita attulerant, ignorare ipsum noluerunt, ut, quod ejus esset de re totâ judicium, rescifcerent. Ab his quoque Reginæ optimæ non perfunctorie collaudatus, facile honoratum obtinuisset locum, nisi altiore consilio, persistere in officio tot curis suis perornato, & invitanti sæpius fortunæ aliter, id est, declinando nova, colendo vetera jussa, obsequi decrevisset.

Nemo credat, fugitantis laborum hæc consilia fuisse. Licet enim ad mutandam stationem adduci non debeat, nisi qui plus solito agere & ferre paratus sit (cum à novis & aliunde evocatis ministris, non expectari modo, sed exigi majora & inusitata soleant) dubitabile tamen haud erat, quanta domi laborum continentium moles, non senectæ, non valetudini vacationem promitteret. Secuta sunt sane tempora, quibus, increscente cum annis artuum valetudine, valde anxium habuit FORSTNERUM illa cura, ne per infirmitatem ejus aliquid Respublica detrimenti sentiret.

tiret. Quo factum est, ut ad privatam vitam, tanquam ad portum respiciens, dimissionem quandam anhelaret, Deo vacare inprimis, si quid superesset ætatis, cuperet. Visus est annuere velle Princeps Optimus, si alium muneri successorem ipse FORSTNERUS reperiret. Germano, sed rei & linguæ Gallicæ bene perito opus erat; nam cæteras artes, etiam cum non nominantur, intelligi constat. Nominati ergo varie, & excusati præstantes viri, sub onere denique FORSTNERUM reliquerunt; cui sola mors finem adferre potuit.

Felices equidem dixeris, quibus contigit, ab aulicis negotiis & curis civilibus vacatione impetratâ, mortem meditari impensius; assiduo Dei cultu, salutem animæ procurare avidius; atque ita ardua vitæ negotiosæ intervalla, sacrâ quiete, ceu notabili fine, claudere. Verum ab omni ævo pauci, quos hæc serio cura sollicitavit, voti sunt compotes redditi. Nam reliqui, quos nec familiaris, nec publicæ rei vincula à sanctiore ejusmodi proposito distrahunt, plerumque minoribus, nescio quibus curis, ad extremum intenti, majora oblivione transmittunt. Solari tamen desideria meliorum irrita potest voluntas ejus, qui omnibus voluntatibus modum ponit: quando nunquam dubitatum est, quin Dei & Principis voluntati parere, esset pars pietatis & religionis habenda.

Sed redimus ad FORSTNERUM, qui undique magnorum Virorum, etiam Principum literis, ad finem usque vitæ compellatus est. Si quid in Republica arduum agitabatur, FORSTNERI judicium de momentis negotii, quod rectissimum esse solebat, & provisio futuri temporis, in quâ acutum cernere sueverat, desiderabatur. Epistolis enim mirum quàm accuratis & nobilibus, rem gessit: quarum ab amicis aliquæ sunt in vulgus editæ; aliquæ etiam ab iis, qui consiliis suis ab auctoris proposito plurimum alienis, hinc aliquem usum machinabantur. Nonnulli prudentiâ auctoris delectati, quem ignorabant, nomen aliud ex conjecturâ suâ affinxerunt. Offendit eum non parum teme-

temeritas nonneminis, qui ſtudiis odiisque ſuis ſerviendo, intempeſtive Epiſtolas quasdam de Weſtphalicis actis aliisque rebus ediderat, Typographoque, ut Mompelgardi nomen præſcriberet, perſuaſerat. Qua de re cum eſſet à me certior factus, reſcripſit paulo uberius in alieni Secreti temeratores; eamque reſponſionem in publicum edi voluit. Factus inde cunctantior ad reſpondendum de republicâ, non tamen evadere potuit, quin aliquando ad commercium illud epiſtolicum inſtaurandum retraheretur. Egit etiam delectum ſuarum epiſtolarum, & in volumen collegit potiores, quas petenti Germanico Mæcenati Baroni BOENEBURGIO mitteret. Muſea quoque eximiorum virorum, quicquid hujus generis undique cogi poterat, inter pretioſas chartas cuſtodiunt. Quantulo minus ergo quam publici juris ſunt? Quæ res, ſubmonentibus inſuper ac pene efflagitantibus amicis, perſuadebit, ſpero, Filiis, ut pleræque paternæ Epiſtolæ paulo poſt edantur. Ut enim hodie mores ſunt, verendum eſt, ne tempore alieno, nec honeſtate officii adgubernante, ſed lucri importuno amore ſtimulante, occupent hoc munus, quibus ludus eſt, res non ſui juris ad ſuam libidinem attrahere. Pollent enim Epiſtolæ Forſtnerianæ ſingulari quodam elegantiæ & prudentiæ genio, unicique hactenus exempli ſunt. Verba Taciti, ex familiari ejus Scriptoris uſu, decorâ & tempeſtivâ gratiâ ſe ubique offerentia, ſupra omne imitationis ingenium placent juvantque. Judiciorum contextus, & ex intimo negotiorum ſinu emerſa ſeries, communi ſenſui aptam, nihil tamen vulgare ſpirantem, nec minus reconditam, quàm facilem concinnat ſcripturam. Notum eſt apud eruditos, quàm rara ſint exempla, in infinitis penè operibus editis Epiſtolarum, quæ civilem ſapientiam non umbratice adeptis ſatisfacere poſſint. In his FORSTNERO palma ſine omni dubio decernetur. Libertas etiam minus nunc offendet, poſtquam eventus vel non ſivit latere, vel ratio non perſeveravit diſſimulare, quæ inter tractatum & in novitate conſpici refugiunt.

Hoc

Hoc loco de libertate Viri optimi paulo amplius disserendum est. Multum de virtutibus suis hanc amabat; quanquam non semper absque periculo. Constat sane omnibus ob quædam liberius posterioribus in Tacitum Notis inserta, prædium ejus Dambenoyanum incendio, non sine manifesta vindictæ denuntiatione, incensum absumptumque. Meruit etiam aliter præpotentium odia; quando, inter turbas temporum armorumque, voluntatibus eorum, constantissime Principis sui libertatem utilitatemque præhabuit, non minis, non auro expugnabilis. Raro equidem qui libertate verborum studiosius utuntur, vel crimen vel suspicionem criminis evitant. Solent enim parva quoque & prava ingenia, hinc speciem assurgentis ad altiora animi mutuari, livorique & malignitati suæ hoc prætextum obducere. Innoxia fuit, mentisque à calumniandi libidine intactæ, genio bene gubernata Forstneri consuetudo. Quo factum est, ut, quia nemini maledicere decreverat, conscientiam pro testimonio amplexus, ne in suspicionem quidem rei à suis moribus alienæ, venire se posse judicaret. Usu quoque inde à juventâ compererat, nec summos, in Aula principe, viros, temporibus satis lubricis, ingenuam nec imperitam libertatem judicandi, à qua malitiosa abesset animi affectio, aspernari consuevisse. Cujus rei specimina valde præclara non semel audivi memorantem. Etiam illud sæpiuscule animadverti: non offensos esse magnos per omnia homines, de quibus liberius existimaverat; imo repulsos qui invidiam ei hoc crimine concire moliebantur. Adjuvabatur hujus propositi simplicitas, instituto quodam & tenore vitæ; à captandis ex longinquo favoribus & beneficiis, longius remotæ; & extra solicitudines, quæ magnos quoque animos debilitare, si non infringere queunt, constitutæ. Non poterunt autem tali exemplo se tueri, quicumque innocentiâ & ingenio inferiores, ardua nimis affectare instituunt: faciliusque FORSTNERO erranti (quis enim omnia semper conjectando assequatur?) quam censoribus & judicibus temerariis in verum inciden-

cidentibus, veniam dari convenit. Quærenda fuit hujus rei mentio, eo quod finifteritatem male confultorum obtrectatorum magnis nominibus præfcribere, non obfcure meditantur, quibus Herculis cothurnos pygmæo inducere, nullus pudor eft.

Sed FORSTNERUM quidem ab omni obfcuræ obliquæve indolis opinione, natura ipfo afpectu, & honore ingenuæ faciei, vindicaverat. Candorem, libertatem, modeftiam, follertiam, unum fibi pulcherrimo temperamento domicilium legiffe, ftatim crederes, & citra opem artis, quæ ex fpectabilibus corporum notis interiorem animorum præftantiam colligit, deprehenderes. Nihil ad oftentationem, multo minus ad fucum, aut pompam compofitum vifebatur audiebaturve: omnia fincera & ad demerendos homines occultis gratiis valida, virum coli amarique dignum, animis penitiore recti honeftique fenfu imbutis, ultro infinuabant. Non intelligunt bonos, nifi boni; non diftinguunt vana à veris, inania à folidis, nifi quos melior genius eorum numero exemit, qui deftituti mentis acie, oculis velut aurigine infectis, magnorum virorum præfentiam fpectaculis ftultorum expertem; minuendæ famæ potentiffimum argumentum; ficut faftum & affectatam majeftatem unicum famæ augendæ titulum, pro fuo captu infolenter interpretantur. Quæ tanquam mali ominis nomina profcribenda funt ab his paginis, Virum, in quantum intelligi virtus poteft, optimum memorantibus. Inter prudentes, & collegas nemo unquam fuit, quin agnofceret divinam quandam hujus viri in judicando felicitatem, in fuadendo diffuadendove providentiam, in efficiendo induftriam, ac dexteritatem. Gravis fine triftitia, humanus fine ambitione, comis fine blanditiis, elegans fine offuciis, omnibus publicæ privatæque vitæ officiis parem animum commodavit. Rara & mira nec nifi confummatæ virtuti debita celebritas. Hic eft, quem Principum nemo unquam faftidivit; Miniftrorum nemo contempfit; Civium nemo non defideravit. Summis imisque ex æquo gratus, cum

cum ſtationis aulicæ, nunquam ſatis tutæ, pericula effugeret, dignitatem & præmia retinebat.

Fuerunt homines prave callidi, qui virum magnis in rebus civilibus verſaturum, tribus carere rebus, Religione, Uxore, Pudore, oportere, non ſine ſuo & ſæculi opprobrio diſſeruerunt. An adhuc ſint, qui tam flagitioſe ſapiant, ego quidem neſcio: Solus qui ſecreta pectorum inſpicit DEUS noverit. Credo tamen, in Germania quidem, non dari aulas aut curias, quæ homines tam manifeſto profanos tolerandos eſſe ſtatuant. Nam qui ſuſpicionibus de re tanta judicari debere autumant, plerumque illis ipſis, quos fingunt reos, deteriores ſunt. FORSTNERO certe nunquam ludus fuit Religio: vel, ut ipſe eam ſimulando ſperneret, vel ut ab aliis ſperni comminiſceretur; quam fraudis ſpeciem ſæpe ſceleſtiſſimi homines, odio ſuo in bonos & innocentes viros præferunt, & imperitioribus, pecorum ritu antecedentium gregem ſequentibus, diſſeminandam tradunt. Seria ipſi, Deoque familiariter dedita pietas, quotidie preces, ſuſpiria, ſanctas meditationes peperit. Librorum & amans & gnarus, unum tamen eſſe Codicem DEO Auctore proditum, credebat, qui oblivisci faceret Ariſtoclem & Ariſtotelem, omnisque ſapientiæ humanæ laudata quamvis & in immenſum exaggerata nomina. Hujus cæleſtis theſauri creberrimâ lectione & commentatione, quin plurimos, quibus hoc potiſſimum negotii datum eſt, vicerit, dubio omni caret. Additi ſunt Theologi antiquitus & hodie ſapientiæ pietatisque nomine inſignes: neque quicquam omiſſum, quo ad beatam immortalitatem, natura mortalium facilius promtiusque elevaretur. Huic intentus ſtudio animus ſummam pudoris, ſive, ut ſanctius loqui fas eſt, conſcientiæ rationem habendam ratus, ſibi tutam, aliis facilem, convictus & omnis commercii conſuetudinem, concinnavit. Nam ubi apud eos, qui in excelſo ætatem agunt, reſpectus honeſti periit, tum licebit humilioribus & potentiorum ope indigentibus ſerio vapulare & plorare & venum ire, ſi non perire. Tum de miſe-

ro illo in tenebris oberrantium grege, & diis hiſce nihil divini moris habentibus, oraculum ſit illud poëtæ:

Enimvero dii nos quaſi pilas homines habent.

Conjugium quoque nihil impedimenti, ſed plurimum adjumenti afferre homini rempublicam gerenti, FORSTNERUS non judicavit modo, cum viris affectata abnormis ſapientiæ prodigia averſantibus, ſed cum feliciter conjugatis expertus eſt. Ductâ enim in matrimonium ornatiſſimâ virgine ROSINA PAVERIA, tres & viginti per annos, omni genere fructuum, qui ex virtute & amore matrimoniali contingere poſſunt, domum & rem familiarem auxit beavitque: Filiorum quatuor, & unius Filiæ pater factus. Et Filiam quidem multis jam adoleſcentiæ in parentum laudes ſurgentis ſpeciminibus efflorefcentem, acerbo funere orbata domus extulit. Filiorum numerus & ætas, non domi modo plurimum gaudii & ornamenti habuit; ſed foris quoque amicorum ſpem, applauſum & gratulationem uberrime excivit: donec natu major, PAULUS CHRISTOPHORUS, poſt exquiſitam doctrinam & prudentiam ſibi comparatam, & rarioris generis peregrinatione collocupletatam, felicitati tantæ, præmaturo obitu, caliginem & jacturam intulit.

Magnum id vulnus, nec cito conſolabile fuit: quippe quo ſpei multiplicis contextus rumpi videbatur: niſi quod triga Fratrum ſuperſtes, Patris ſenectam & viduitatem (neque enim poſt ereptam fatis dulciſſimam conjugem ad ſecunda vota tranſiit) copioſiſſimo omnis ſpei &
1654. decoris proventu levavit & recreavit. In his LUDOVICUS quidem aulicis pridem miniſteriis officiiſque innutritus, gratiâ & dignitate apud Principem pollet. FRIDERICUS autem adhuc colligendis, ſive potius cumulandis variæ peritiæ civilis præſidiis, Aulas ſequitur. In HENRICO, animus ad magna natus, omnisque negotii & officii capax, ea jam ſui documenta dedit, quæ Parentem totum

tum ſolerter judicantibus promittunt. Itaque vivit vivetque FORSTNERUS in hoc Terrarum orbe, non ingenii modo monumentis, & meritorum in Rempublicam gloriâ, ſed virtute etiam Filiorum, & producendis renovandisque per continuam Nepotum ſeriem laudibus.

Et ſicut nulla pars vitæ Forſtnerianæ ſic in oblivionem venire poteſt, quin plurima conſiliorum, beneficiorumque late proficuorum, tum decoræ comitatis, moderationis, elegantiæ, aliarumque egregiarum artium nomina, in ore famæ, in memoria temporum pervigeant: ita ſuprema viri optimi multum quod admiretur noſtra, recolat poſtera ætas, habuerunt. Antequàm quid in mortalitate ultimum eſſet, videre deſiit, quid in beata æternitate primum eſſet, jam perſenſit. Tanta illi in DEUM pietas, tanta Chriſti recordatio, tanta ſalutis, quæ vere & ſine fine vitalis eſt, cupiditas præſto fuit: & à ſenſu valetudinis, ipſiusque mortis, abductum animum libertati pridem expetitæ vindicavit. In precibus fundendis, in amplectendis ſpei noſtræ myſteriis, & Sacramento Cæleſtis epuli ſuſcipiendo, in Theologo, cui ſuam conſcientiam regendam commiſerat, avide, frequenter, reverenter audiendo, omnes boni Chriſtiani numeros explevit. Eapropter finem ejus, ut exemplum & artem ſive bene moriendi, ſive vitam meliorem rite auſpicandi, non perfunctorie celebrari audimus. Lugent Templa auditorem & confeſſorem ſancti gregis, vere religioſum: deflent pauperes patronum liberaliter benignum: vocem tollunt lamentabilem, quibus non licet amplius voces benefactoris ſolatio miſerorum fœcundas audire. Dambenoyanum vero, ruſticatione & ſeceſſu erudito negotioſoque domini nobile Hæredium, villas ſuas majore menſurâ taxat, nec modicæ celebritatis genus exiſtimat, FORSTNERO ſepulcrum præbuiſſe. At memoriæ & nomini tanti viri non minus Cenotaphia in pectoribus ſuis, in literis & libris ſuis fabricant, quos melioris genii pietas, ad exempla magnæ virtutis veneranda excitare ſolet. Tu inprimis, WOLFGANGE FORSTNERE, Fra-

[Margin: 29. Decem. 1667. — 13. Jan. 1668. æta. 70.]

ter germano vere germane, ſicuti per omnem vitam amore, fide, virtutibus, meritis certare vos invicem juvit; ita nunc gloriæ Forſtnerianæ caput & ſublime decus emines: Quod ut diu facias DEUS velit. Te eadem conſiliorum gravitas & conſtantia, candor, libertatis modeſtiâ mixtæ dexteritas, cæteraque præcipua humani animi bona, in eo laudum collocant faſtigio, unde geminum paulo ante ſidus conſpiciebatur. Tu Patris animum, Fratris Filiis; amici benevolentiam, Fraternis amicis repræſentas. In te conſpirant vota bonorum & prudentium virorum; Te vivere, Te valere, Te Fratris annos multum ſuperare, exoptant. Sic enim putant, ſua deſideria ad felicitatem & ornatum ſæculi pertinere: Tuæque virtutis diuturnos fructus rebus in meliorem ſtatum vertendis neceſſarios judicant. Et quoniam ſanctior eſt firmiorque noſtra amicitia, quàm ut Tecum me ſinat loqui, quæ apud alios nunquam taceri debent; abrumpendum mihi uberiorem ſermonem, & in ſua tempora differendum video. Niſi quod iterum profiteor, me non meritis FORSTNERI, quæ infinita ſunt, ſed meo officio, quod anguſtos etiam intra terminos contineri poteſt, ſatisfacere voluiſſe. Dicam imo apertius: ut decora noſtri temporis ingenia, ſuas vires in illuſtri argumento experiri inſtituant, infacundo hoc ſcribendi genere, occaſionem & materiem præbere, ſi non ſtimulos ſubjicere, conſilium fuit. Vel ſola Ratisbona, ampliſſimi PORTNERI, KERSCHERI, PRASCHII (nam LENZIUM nuper ereptum adhuc lugemus) ingeniis, quicquid eſt eloquentiæ ætatem laturæ, abunde & extemporali facilitate expediverit. Juvit enim Te juvatque, ornamentum Patriæ tuæ, totiusque Germaniæ, PORTNERE, neceſſitudinem domeſticam, cum FORSTNERO Cancellario contraxiſſe. Illius virtus Mombelgardi Te detinuit: neque quicquam ſuavius hactenus eſſe Tibi potuit, recordatione conſuetudinis tam nobilis, & fructu commercii Literarum, inde ſubnato, quo utrumque decore & peramice uſos novimus. Neque dubitabit unquam Te interpellare Germania,

nia, ne Museo tantum tuo patiaris insenescere illas opes, quæ par nobile amicorum Europæ debent exhibere. Favebunt & aliis modis memoriæ FORSTNERI, quicunque magnâ nunc passim dignitate eminentes, hospitii tot votis expetiti deliciis frui potuerunt. Neque ulla erit tam surda posteritas, quin amicitiæ cum FORSTNERO junctæ testimonia, in præcipuis ad famæ & honestatis decus conciliandum argumentis numeratura sit. Tu vero, beatissima anima, vive & vale, CHRISTI amplexu, consortio Cælitum, deliciis Paradisi æterni, penitus potita. Nos solabitur tua felicitas, ad quam receptis olim tecum corporibus, vel immutatis, toti Angelorum similes convolabimus.

Jllustri & Generoso
VIRO
Dn. WOLFGANGO FORSTNERO
JO. HENRICUS BOECLERUS, S.P.D.

QUæ memoriæ Fratris Tui me dicare pietas jussit, sicut dudum probasti, ita non recepisti à prælo, ut expectabas, atque, ut fieri par erat. Ego certe vix agnovi pro meis, adeo vitia sensum orationis undique pervertentia, paginas splendidæ cetera editionis ubique obsederant. Factumque est fortuna parum secundâ, ut sero & cum jam plerorumque per manus volitaret, meis se oculis iste libellus offerret. Consignari

ſignavi ergo ſtatim potiora mendarum, & Generoſo DN. LUDOVICO FORSTNERO *miſi, ut in calce adjicerentur corrigenda. Reſpondit ille, Bibliopolam eundemque editorem jam omnia exempla diſtraxiſſe. Hinc ſubnata mihi neceſſitas eſt, iterandi impreſſionem, atque, ut emendatius prodiret memoria Forſtneriana, ſedulo enitendi. Claudicabat enim officium, quod Vobis debui, niſi abſolueretur & reſtitueretur in meliorem ſtatum. Deus Te, Illuſtris & Generoſe Domine, ſoſpitet conſervetque. Argent.* 13. *Aug.* 1669.

ORATIO habita in ſolenni panegyri, cum Magiſtros Philoſophiæ crearet.

Dies à magno & triumphali die quintus hic illuxit, Chriſtique à mortuis reſurgentis imaginem, adhuc oculis, animisque noſtris obverſari jubet; ut canamus Victoriam, Salutem, Pacem, Vitam, humano generi donatam; & tot bonorum immortalium auctori gratias agamus, bonisque precibus publica & privata deſideria noſtra commendemus. Tua reſurrectio, Chriſte inferorum victor, terricolarum ſervator, ſuperorum regnator, facit, ut de hoſtibus ſuis quotidie triumphare poſſit Eccleſia: Tuum ſalutare vexillum, Reipublicæ auſpicium præbet, ut valeat, ut vigeat, ut ſplendeat: Tua virtus & gloria, animarum noſtrarum ſuſtentatio eſt. Per te vivimus, per te vincimus, per te reſurgemus, per te & tecum in beata æternitate collætabimur. Interea, dum nova nos aſſidua certamina vocant, jube Angelum victoriæ nuntium, recreare vires noſtras cœleſtibus ſolatiis, juvare auxiliis, erudire conſiliis. Audiant aures noſtræ, intelligant pectora, ſummam monitorum huic militiæ deſtinatorum: non eſſe Ducem noſtrum, viventem in perpetuum, quærendum in numero mortuorum, in cauſa

ſa

ſa fragilium rerum, quæ vires opesque humanæ vocantur, in ſepulchris infirmitatis. In tuo triumpho orbis terrarum theſauri continentur. Hinc diſpenſabitur Imperatori Cæſari Auguſto & Imperio vita, felicitas, ſecuritas: Hinc reipubl. Argentoratenſi, veritas in Eccleſia, Doctrina in Academia, libertas in tribubus, ſacrata fortunæ publicæ pignora egregiè conſtabunt. Hinc quæ hoc die, hoc loco agentur, ad nominis Divini gloriam, & honeſtiſſimarum literarum decus pulchro ordine ſucceſſuque provenient. Ita faxis, Chriſte, ſpes noſtra: ita faxis, qui cum Patre ac Spiritu Sancto regnas in ſecula.

Poſt Muſicam.

A precibus ad vota tranſibimus, quæ inter honores Auguſtales numerari ſolent. Erat Romanis antiquiſſimus Votorum mos, quæ in libertate vel ſolennia vel quinquennalia & decennalia pro rebus in meliorem ampilioremque ſtatum vertendis, aut in eodem ſtatu ſervandis; vel non ſtato tempore, ſed ex occaſione & cauſa publica, nuncupabantur & ſolvebantur. Neque ceſſavit in Principatu ea religio, quanquam in argumentum hujus ſermonis nunc non adhibenda: quando ea tantum vota publica ſpectamus, quæ pro ſalute Auguſtorum, quaſi proprio quodam pietatis & honoris genere, vel principio anni, vel aliis temporibus, tum publica cæremonia, tum collegiorum, provinciarum, coloniarum, ſingulorum denique nomine & ſtudio, concipi, perſolvique, fas & jus habebatur: crebram rei memoriam conſervantibus libris nemini ignotis, quibus Tabularum, Columnarum, Inſcriptionum, Lapidum argumenta, præſertim juris Romanorum publici partem facientia, conſignantur. Ducebat huc ratio evidens, quæ in Principis ſalute, tanquam in voto vota omnium complexo, Reipublicæ Salutem contineri, demonſtrabat: neque aliunde expectari, quam à Divino beneficio, felicitatem Imperii ultro agnoſcebat. Igitur Chriſtiano ritu, detractis

quæ ignoratio veræ Divinitatis, nomina cumulavit, nihil divini habentia, invaluit amplius ista Religio, & exposita est uberius, & frequentata lætius. Christiani enim, licet quod in formulis & ritibus votorum paganismo imbutum erat, obire nec poterant, nec volebant; eoque nomine à delatoribus, læsæ Majestatis aliquando postulabantur, ethnica apud tribunalia; meliori tamen voto, pro salute Principum suorum etiam non Christianorum, sibi ad DEUM, qui Principatus & regna unus instituit, regit, transfert, preces fundendas desumebant, neque in hac parte, quicquam in se religionis patiebantur desiderari. Imperatores Christiani Arcadius & Honorius, in celebri Codicis Constitutione, nec vocem votorum mutarunt, à quo Doctores Ecclesiæ & Canones Conciliorum abhorruerunt. Manet enim vigetque Ecclesiæ Orthodoxæ sententia; Justum piumque esse, ut preces pro salute Principum nostrorum ad cœleste Numen fundamus, gratiasque de impetratis beneficiis & promittamus & exolvamus, atque ita citra omne superstitionis Ethnicæ vestigium repurgato jure sensu verboque, votorum talium & rei & damnati pro diversitate temporum habeamur. Eat hæc Philosophia in exemplum: solvamusque hodie vota, & nuncupemus pro salute Augustissimi Imperatoris Cæsaris LEOPOLDI, quem Deus conservet.

de Oblat. Vot. C. XII. 48.

Dedit Imperio hunc Imperatorem Divina benignitas, ea manu, qua felicitatem partiri populis consuevit. Dedit, qualem vota publica expetebant. Dedit, ut dissiparet eâdem opera, quicquid ne daretur, humanorum consiliorum se objecerat. Trepidabat Pax publica, & nondum adultis viribus, acerbum finem sibi adesse, metuebat. Jam novarum turbarum chaos, pristino horribilius, nec oculis nec mentibus nos competere sinebat: cum exortus tam salutaris syderis, discussit caliginem publici pavoris, illustravit & refovit confusa & languentia: talemque orbi Germanico faciem reddidit, quam optare, prudentis; amare boni;

boni; tueri, ſtrenui civis eſſe, nemo dubitare poterat. Dignum erat, ut puto, beneficium DEI, pro cujus perpetuitate vota conciperentur, ab omnibus, qui DEUM revereri, Patriam amare didicerunt. Ab eo die, quo LEOPOLDUM ſæculi felicitas Imperio rectorem dedit, ventum eſt ad decennalia vota ſolvenda, anno abhinc altero. Multa tum illuſtria virtutis & gloriæ Auguſtæ nomina & merita, in ore gratulantibus erant. Pax repulſo hoſte perniciosiſſimo, reſtituta: Juſtitia in Aula Imperatoria, non hominibus, ſed cauſis dedita: Æternitas Auguſtæ Domus, matrimonio fundata: Liberalitas, Clementia, æquitas Auguſti, cunctis Imperii civibus parata, & ſæpè obvia. Providentia in conſiliis, induſtria in operibus, civilitas & cura concordiæ in Comitiis. Horum felicem exitum in alterius decennii initio ominabamur & optabamus. Obtinebat locum eminentem in hac Votorum nuncupatione, Spes publica, Auguſti nominis ſplendore undique radiata: cui tamen interceſſit, umbra incertiſſimorum caſuum gaudens Fortuna; & nova bella, horrida bella, non domui Auguſtæ modo, ſed univerſo Imperio comminata. Maſculæ inſuper Prolis Imperatoriæ, oſtenſæ tantum terris, orbitate, quicquid ſæculi votis carum ac dulce erat, bis eripuit. Nec modus aut finis, imminebat jam ultimi ictus diſcriminis, ad cujus mentionem totus contremiſco: cum in graviſſima valetudine Auguſti, animam agere cœpit ſecuritas Imperii. Quis animo concipere, quis oratione exprimere poſſet varietatem metuum, periculorum, damnorum, quæ talis caſus, tanquam monſtrum longiſſimè, ad vaſtitatem Germaniæ, poſt ſe tracturus videbatur? Omnes æqui iniquique, nec prudentes tantum, ſed & illi, quibus à vanitate animi præſentia nunquam ſatis placent, ad cogitationem futurorum cohorreſcere cœperunt. Ex longinquo, ex propinquo nihil ſatis fidum, ſatis tutum conſtitutumque videbatur, unde non plus timeri, quam ſperari debeat. Ita fieri ſolet, ut, niſi amiſſionis metu icti, non agnoſcant ſua bona mortales. Tempus ſcilicet erat, ut in templis,

ut privatis in ædibus, supplices pro restituenda Augusti valetudine, pro perpetuanda incolumitate, omnis ætas, omnis sexus procumberent, vota susciperent, preces precarentur. Comminuit iram suam DEUS, & propitio placatoque vultu nos respexit, si sapere forte, & dare Cæsari, quæ sunt Cæsaris; DEO, quæ sunt DEI, disceremus. Hæc fuit iterum festorum & Votorum publicorum occasio, quibus Germania se salvam, salvo Cæsare, regionatim & oppidatim, DEO nuper gratulata est. Sterilis fuerit, opinor, & defecta pietas, nisi vota suscipiendo solvendoque quotidiè instaurentur, cum præsertim tot in caput Augusti insidias instaurari audiamus, quibus nihil efficacius oppofueris, quam tutelam Divini Numinis. Frustra equidem fœdera foris comparantur, satellitia domi augentur; nisi DEUS conservator & custos Domûs Augustæ, ab occultis hostibus latus Imperatoris muniverit. Imperator Cæsar Auguste, DEUS Te conservet: non his modo decennalibus alteris, sed tertiis, quartis, quintis & amplius. Libertas Imperii Populiq; Germani, Tua incolumitate libratur. Serva eam Auguste, ut Te DEUS servet. Leges Imperii, Tua fide, Tuo candore valescant. Optimi Principes ita faciunt, ita laudantur. Validissimos corporis Tui artus, ipse tibi more Imperatorio fecisti, ordines Imperii, nunquàm Tibi alieni, nunquam sejuncti, semper in amicis, semper in proximis numerentur. ita conticescent suspecti, quibus privata odia, publicis utilitatibus apud Principum aures insidiantur. Pax Augusta, nobilissimum Divi Parentis Tui opus, in Tua æquitate, clementia, fide, constantia acquiescat. Ut difficilius esset pacem tueri, quam facere, nova consilia, novi animorum ubique habitus efficiunt. Ut resurgeret ex ruinis suis Germania, D. Augustus Ferdinandus III. de genu supplicanti manum porrexit. Jvit in memorias hoc auspicio & publicorū fatorum symbola ac imagines, Germania resurgens. Pulchrum & Patrium Tibi Decus, augeat Fortuna Tua, imitatione & spectaculo Germaniæ stantis, valentis, florentis. Advigilet bonus Eventus,

tus, ne intercedant his votis publicis ullæ voluntates desiderantium, quæ salva republ. nec dari, nec accipi fas est: neu quis Civium sortem suam aliam cupiat, quam concordi civitate esse potest. Sentiant Pacis Tuæ bona, Auguste, quos bellicæ calamitates afflixerunt: nec restitutionis beneficium, mora corrumpatur: morâ, quâ invalescunt privatæ, publicoque Pacatoris consilio temerè adversæ molitiones. Quanto est augustius, & ad æternitatem laudis Imperatoriæ amplius, reddere statum, non habentibus, quam decernere? pervadere obstacula, rumpere tricas, quæ se adversus fructum pacis & complementum, velut in angulo & exitu objecerunt? Conspirent cum Augusto Capite suo, membra invicti corporis, ad Felicitatem Temporum, quæ in Tabulis pacalibus splendidè describitur, in actis etiam & curis, fatisque Imperii vivo spectaculo repræsentandam. Redeat amor justitiæ, summis infimisque: auctoritas tribunalibus, judicibus gravitas. Boni mores revocentur; potentius legibus præsidium ad pacem stabiliendam. Absint cunctisque Imperii finibus absistant, quæ domi pudorem, foris metum incutere possint. Ponunt quidem castra circum Te, Auguste, Exercitus militiæ Cœlestis, & DEO caram esse salutem Tuam, exsomni custodia testantur. Neque in terris regnisque Austriacis lecta virorum robora, quibus objectu corporum suorum Tuum caput protegere, officium & votum est, deficiunt. Imperatori tamen Imperatorium decus sunt, arma, totius Imperii consiliis opibusque, in formam stabilis militiæ, ad perpetuos usus ordinata & expedita. Immortales dicebantur, qui sapientissimi Persarum Regis instituto, tutelæ Regni destinati erant milites. Ad immortalem Tui Imperii gloriam pertinebit, Auguste, si exercitus immortalis, Tuo auspicio, adversus temporum casus, pro salute & victoria Imperatoris & Imperii in excubiis consistere jubeatur. Certabunt de obsequii gloria Germanicæ nationes, patriæque potius, quàm exteris, florem suæ juventutis, fortemque & fidelem operam commodabunt. Erit hoc commune quasi vinculum,

lum, quo distracta locis, sejuncta consiliis copulentur: erit præsidium adversus contemtum & audaciam, vel apertorum hostium, vel occultorum insidiatorum. Damnabit artes suas æmulatio: conticescet invidia & obtrectatio: nomenque & auctoritas armati semper Imperii, pro muro pacis aheneo, pro pignore securitatis certissimo pervigebit. Votis quoque publicis, quod nostri munus est argumenti, accedet concentus militariter decorus, quo, ex instituto Constantini Magni, exercitus Imperii solennibus formulis, ut Imperatorem nostrum Leopoldum, Augustum, unà cum Augusta prole totaque Domo Imperatoria, incolumem & Victorem diutissime servet, DEO supplicabit. Armis sociare literas, in hoc Augustorum votorum curriculo, & decet & fas est. Non elegantia modò sed felicitas seculi, magna ex parte studiis debetur, haud sinistre tractatis. Tua, Auguste, multo sapientiæ instructu erudita mens, ut non honor modo mercesque, sed & disciplina constet literarum studiis, providebit. Magna intemperantia & licentia abutendi bonis artibus, easque in larvas deformandi, contra bonos mores conducendi, ex Musis prostibula redigendi, passim laboratur. Accedunt homines improbi, turpisque lucri cupidi, qui divino typographiæ invento, ad famosos libellos publicandos, ad calumnias, injurias, ineptias docendas, ad libidines, lascivias, nequitias venum exponendas, nulla publici privatique juris reverentia, nullo Imperatorii muneris, quo supremum omnis literaturæ moderamen continetur, respectu, abuti, in præcipuo negotio habent. Non est Tui seculi, Auguste, ut mala exempla vel nascantur vel tolerentur. Perit omnis studiorum fructus, nisi rationibus reipublicæ, honestate sola noscendis, attemperentur. Fugiet ad Orcum hæc labes, ut primum oculorum Tuorum, quibus amicas vitiis artes profligas, fulmen intentabitur. DEUS consilia Tua prosperet felicitate publica, Auguste, opera Tua coronet immortali gloria & honore. Vivas, Auguste, & imperes: Floreat Augusta Domus, incrementis & ornamentis perpetuis. Vivat & alluceat

luceat orbi Europæo Decus, sufficiat subsidia, Augusta Conjux Tua; vivat Mater Augusta; vivant Serenissimæ Sorores, quibus syderibus cœlum Heroicis signis coruscum, nihil habet speciosius. Vivant & splendeant felicitati publicæ: vivant spei publicæ. Quam rectè ita gloriemur, ita speremus, Venus Polonica nuper nobis fidem fecit. Quin enim Imperio nostro felix & fortunata sit futura, hæc affinitas, eo minus dubitationis datur, quò interius cum rationibus Felicitatis Publicæ Imperii copulatur. Cum Germania internis externisq; bellis undiq; urgeretur, sæpe poterant, neglecti plerũq; à Nobis Poloni, nócendi rebus nostris occasiones & causas adipisci. Quod noluerunt pericula nostra in suam rem vertere, eo mereri videbantur prudentibus, ut eorum amicitia Imperio nec unquam negligenda in posterum crederetur. Confecit hoc negotium Augustæ Domus Hilaritas, Nuptiis Regis auspicata, quibus haud parum solatii pars orbis acrior & magis exercita debebit.

At te, defensorem Salutis Augusti, DEUS Imperator universi, DEUS Regum Regnator, iterum supplici piaque voce obtestor, ut pro salute perpetua Domus Augustæ, vota solventi, nuncupantique, propitias aures præbeas: ut à capite Augustissimi Cæsaris Leopoldi, omnem vim, omnes insidias propulses: ut conjurationum abdita, tuo numine, tanquam sole, retegas: ut veneficos, exitio; proditores ruina obruas. Compesce tumultuantes contra potestatem, à Te institutam, Tibi servandam, Tibi sacratam. Redige in ordinem, quicquid Imperatoriis pro Imperio Tuo fovendo curis & beneficiis obstrepit. Largire senatores, consilio; Cives obsequio; milites Virtute promtos. Non audiatur in Aula, in Imperio Vox, Paci publicæ, Paci religioni datæ, inimica & contumeliosa. Amet Leges publicas Imperator tanquam instrumenta boni seculi; excipiat clemens desideria piorum civium; faveat seculo, faveat nobis, qui hæc vota, die locoque solenni, saluti perpetuæ Augu-

Augusti Libertatique Populi Germanici, volumus dedicare. Fiat hoc sæpe, fiat melius, fiat lætius. Licet enim ad fidem & religionem nostram adjungi nihil queat, occasio tamen luculentior & facundia uberior, in iis sunt, quibus nos vinci, in parte votorum habemus. Vos inprimis, quibus suggerit vires ætas, vos, qui nunc Cæsareæ munificentiæ fructu mactandi estis, ut hujus diei memoriam pie recolatis opto, & nunquam finiri sinatis Votorum publicorum seriem, quin cum Poëta pro se quisque occinatis Augustissimo Cæsari:

Optavi, peteres cœlestia sydera tardè,
Parsque fui turbæ parva precantis idem:
Et pia thura dedi pro Te: cumque omnibus unus
Ipse quoque adjuvi publica vota meis.

Aut alterum illud, non incongruum Carmen:

Tarda sit illa dies, & nostro serior ævo,
Quâ caput Augustum, quem temperat, Orbe relicto
Accedat cœlo.

Quæ si rata jusserit esse vota DEUS, nulla tam surda, tam incuriosa officii erit posteritas, quæ solvere nuncupata gravetur aut cunctetur: redeunte semper in orbem civilis pietatis religione; donec inter beatorum cœlitum agmina, pro omnibus beneficiis, indesinenter laudes, gratesque, votorum ex asse rei decantabimus.

Petitio.

Cæterum ut sic quoque peculiaris Voti fiant participes, quos in hæc subsellia produximus, Candidati, Tui nobis officii imploranda est autoritas, Generosissime & Eminentissime Dn. Cancellarie, Patrone Benigne, Postquam enim habitis

habitis publicis privatisque Examinibus, exactisque & præstitis, quæ præterea à Candidatis exigi præstarique debent, in suffragia de ipsorum studiis itum est: ita nobis approbarunt suam industriam, & commendarunt sua desideria, honestissimè nati eruditique illi Juvenes, & bonæ spei Adolescens, ut Collegium Philosophicum XII. priores, secunda Philosophica Laurea, sive gradu & honore Magistrorum, reliquum prima laurea philosophica, sive Baccalaureatu, decorandos donandosque, judicaverit ac decreverit. Quod muneris cum mihi Lex Academica injunxerit, superest ut à Generosissima Tua Eminentia, cujus est Cæsareo nomine largiri potestatem tribuendi merentibus honores Academicos, concedatur mihi, prout reverentissimè peto, facultas, XII. illos de meliore nota commendandos Juvenes, Magistros, Unum verò Adolescentem, Baccalaureum, creandi atque renuntiandi. Ampliat hæc indulgentia numerum eorum nominum, quibus nos pridem ad omne obsequium devinctos Generosissimo & Eminentissimo Domino Cancellario, agnoscimus & profiteri nunquam desinemus.

Gratiarum actio.

Generosissimi & Eminentissimi Domini Cancellarii, Patroni nostri Maximi, tam expromtæ ad annuendum precibus nostris voluntati, tum Collegii Philosophici, tum meo Candidatorumque nomine, immortales ago & habeo gratias, DEUMque veneror, ut tanto Mæcenati vitam & felicitatem longissimam, nobis occasionem & studium grati devotique ipsius meritis animi reapse declarandi, largiatur.

Proximum est, Candidati Præstantissimi, ut ad jurisjurandi religionem obeundam, vos casto pioque ritu comparetis,

En DEUS est! DEUS est: animis linguisque favete
Quisquis ades.

 Recita,

Recita, Domine Notarie, Jurisjurandi formulam.

Si igitur quæ Vobis prælecta sunt, & à Vobis rectè intellecta esse debent, servare, cum animis vestris constituistis, reverenter digitis primoribus Sceptrum Academicum contingite, & sic adstricta vestra fide, in altiorem hanc Cathedram, honoris vestri insignia accepturi, ascendite.

Quod igitur felix faustumque sit publicè & privatim, Ego designatus ritè promotor, &c. ex concessa mihi per Privilegiorum Cæsareorum Custodem & Dispensatorem (Cancellarium) potestate &c. &c.

Te Johannem Georgium Wegelinum, Buxovillanum Hanoicum.
Te Johannem Philippum Bartenstein, Lindaviensem.
Te Fridericum Caroli, Lohrensem.
Te Johannem Diemerum, Argent.
Te Joh. Fridericum Pahl, Argent.
Te Johannem Roser, Argent.
Te Philippum Strohl, Argent.
Te Andream Burger, Colmariensem.
Te Joh. Petrum Storck, Argent.
Te Joh. Conradum Kœnig, Argent.
Te Samuelem Silberrad, Argent.
Te Marcum Philippum Algejer, Argent.

Omnes, inquam, Vos & singulos appello, creo, appellatosque, [illegible]creatos in splendidissimo hoc ornatissimorum Hominum [illegible]ncilio, renuntio & proclamo Magistros, sive Philosophiæ Doctores: omnibusque iis juribus & privilegiis,

giis, quibus ulla in Academia Cæſarea creati Magiſtri uti, frui, gaudere poſſunt ac debent, impertio & cohoneſto.

Te verò Johannem Büttnerum, Spirenſem,

Liberalium artium & Linguarum Baccalaureum creo ac renuntio, omnique jure, quod primæ huic Laureæ Philoſophicæ conceſſum eſt, dono ac exorno.

Atque hæc omnia facio in nomine SS.Trinitatis, Patris, Filii & Spiritus Sancti.

Pauca adhuc monendi eſtis, Præſtantiſſimi Magiſtri, ornatiſſime Baccalauree; quibus Ego primus hæc nomina gratulor. Aſcendiſtis in hanc honeſtiſſimam Cathedram, non juſſi ſed vocati: ut memineritis, ad Sacra Muſarum non irrumpendum temerè, ſed conſulto demum conſilio & Myſtagogis invitantibus ingrediendum. Non rapienda ſunt ut prædæ expoſita, præmia Muſica, & officia eruditis deſtinata: Sed DEUS eſt, qui ſolet vocare; autoritas publici conſilii eſt, quæ ſolet vocatos certa ſede collocare. Librum è mea manu apertum accepiſtis: Ut eruditionis laudem non niſi multa & aſſidua lectione comparari, intelligeretis. Dixit quidam; Philoſophandum, ſed paucis. Voluit forte idem dicere, quod alius ita extulit; non multa ſed multum legendum eſſe. Quanquam revera multa philoſophantibus ad cognoſcendum proponuntur. Quare diſciplinæ hujus diei eſt convenientius, ut Ariſtotelem Veſtrum hoc quoque ſenſu exaudiatis: Philoſophi non eſſe ad pauca reſpicere. Mitram violacei coloris capiti veſtro impoſui; ut id capitis inſigne, eximium honorem, ex conſuetudine antiquitatis, ſignaret: & vos ab omni humilitate exceptos, libertatis conſpectiore & honeſtiore ornatu oſtentaret. Annulum quoque inſerui digito, quo Philoſophia amores ſuos Vobis deſpondere decrevit; ſi amicè pudiceque eam habebitis. Oſculo, pacis & Concordiæ ſtudium, & officia caritatis ſocialis vobis commendavi. Faces, luminis claritudine, Pueri,

ri, ætatis innocentia, & habitus decore monere Vos possunt, ut luceat Lux vestræ Eruditionis & Virtutis coram hominibus; quò filios Lucis amet in hoc, coronet in futuro seculo, DEUS, qui est Lux inaccessa & immortalis. Laureum sertum, perpetuo virore celebratum, Baccalaureo in animum revocabit, Græcorum verbum; *ποιεῖν τι δεῖ, οἷς γόνυ χλωρόν.* Facere aliquid oportet, nec otio sed laboribus se tradere, quibus genu viret.

Faveat DEUS honoribus Vestris, eosque benè Ecclesiæ suæ, benè Reipublicæ nostræ & Academiæ, benè familiis & caritatibus Vestris evenire jubeat. Pro cujus voti successu ut vota nuncupare semper & solvere mecum velitis, ipsa hujus festi celebratio animos Vestros cohortatur.


Quod mearum fuit partium, tantum est. Nunc dicendi lampada Vobis trado, & interrogo,
Domine M. &c. &c.

INDEX

INDEX
Rerum præcipuarum in Orationibus & Programmatibus Bœclerianis.

Epistola

Errata: Pag 390, lin. 12. pro Castillo leg Callisto. pag. 420, lin. 30. pro commenendam leg. commendandam.



CATALOGUS

Quorundam Librorum, quorum copia suppetit in Officina JOHANNIS REINHOLDI DULSSECKERI. Argentorati, M DCC V.

Acta und Handlungen des Stiffts contra Meister und Rath der Stadt Straßburg. 4.
Æneæ Sylvii Historia Friderici III. cum Annotat. J. H. Bœcleri. fol.
Ælianus, Græcè & Latinè, cum Notis Schæfferi & Kühnii. 4.
Ambrosii, Episc. Mediol. *Libri tres de Officiis.* 12.
Anti-Machiavellus de regno benè administrando. 12.
Argentoratensium Consiliorum, Vol. novum, cura Jo. Schilteri. fol.
Argentoratensis Academiæ Privilegia. 4.
Arnisæus, Henning. *de Republica.* 4.
- - - *Doctrina Politica.* 4.
- - - *de Jure Connubiorum.* 4.
Aretini, Dan. *Historia Florentini, item Commentarii rerum Italicarum & Græcarum.* fol.
ab Avila, Ludov. *Bellum Germanicum.* 12.

Baconis à Verulamio, *Tractatus de augmentis scientiarum.* 8.
Barberini, Card. *Poëmata.* 8.
Barclaji, Joh. *Carmina.* 8.
Bebelii, Balthas. *de Principiis Officii Christiani natur. & revelato.* 12.
- - - *Antiquitates Ecclesiæ Argentoratensis.* 4.
- - - *Historia Ecclesiæ Antediluvianæ.* 4.
- - - *Noachicæ.* 4.
Bembi, Petri, *Opera.* 8.
Biccii, Gregorii, *Aurea Juris Civilis.* 8.
Bongarsii, Jac. & G. Mich. *Lingelshemii Epistolæ.* 12.
Berneggeri, Matth. *Orationes Academicæ.* 12.
- - - *Tuba Pacis.* 4.
- - - *Proaulium.* 4.
- - - *Observationes miscellæ.* 8.
Bertii, Petri, *Logica peripatetica.* 8.

CATALOGUS.

Besoldi, Christ. *Historia Constantinopol Turcica.* 12.
- - - *Historia Urbis & Regni Hierosolymitani.* 12.
- - - *Axiomata politica.* 12.
- - - *Synopsis rerum ab Orbe Cond. gest.* 12.
- - - *Synopsis Doctrinæ politicæ.* 12.

Betsius, Nic. *de Statutis, Pactis & Consuetudinibus familiar. Illustr. & Nobil. cum Summariis & Notis Joh. Schilteri.* 4.

Biccii, Gregor. *Colleg. Jurid. Argentorat. enucleatum.* 4.

Boceri, Henr. *Disputationes de Universo Jure.* 4.
- - - *de Crimine læsæ Majestat.* 8.
- - - *de Torturis.* 8.

Bodini, Joh. *Methodus ad facilem histor cognitionem.* 16.

Bœcleri, Joh. Henr. *Characteres polit. in Vellej. Patercul.* 8.
- - - *Notitia S. Rom. Imperii.* 8.
- - - *Animadvers. in Hippol. à Lapide de ratione Status.* 12.
- - - *Notæ in Jus Publ. Ottonis.* 8.
- - - *Elogium Chr. Forstneri.* 4.
- - - *Suetonius cum animadvers. H. Casauboni.* 4.
- - - *Herodianus Gr. Lat.* 8.
- - - *in Ciceronis L. Officior. & al.* 8.
- - - *de Politicis Justi Lipsii.* 12.
- - - *Sceptrum Apollinis ad Ill. Com. Gust. de La Gardie.* fol.
- - - *Dissertationes Academicæ.* 4.
- - - *Comment. in Grotium de Belli ac Pacis.* 8.

Bœcleri Series Cæsarum Germanorum. 4.
- - - *de Rebus Seculi XVI.* 8.
- - - *Historia Belli Sueco-Danici.* 8.
- - - *Musæum.* 8.
- - - *Excerpta Controvers.* 8.
- - - *Historia Universalis.* 8.

Carons, Ludov. *Exilium Melancholiæ*, d. i. Unlust-Vertreiber. 8.

Cæsaris, C. Julii, *Omnia quæ extant.* 16.

Ciceronis M. T. Epistolæ selectæ, Lat. Gall. 12.
- - - *Fines, Officia, Lælius, Cato, Paradoxa, Somnium Scipionis cum parallel. phil. gr. lat. & Rudim. Offic. J. H. Bœcleri.* 8.

Cisneri, Nicol. *de Othone Tertio Imp. ejusque Instituto Concil. Imper. & septem Viris Elector.* 8.

Comenii, Jo. Amos, *Vestibulum Januæ ling. Lat. Germ.* 8.

Comitis Natalis Historiæ sui temporis. fol.

Conseils sinceres sur le choix d'un Amy. 8.

Corderi, Matth. *Colloq. Lat. Gall. Ital. Germ.* 8.

Cotterius, Matth. *de Hellenistis & lingua Hellenistica.* 18.

Q. Curtius cum Commentar. & Suppl. Freinshemii. 4.

Denaisii, Petri, *Jus Camerale.* 8.
Decuria I. & II. Dissert. Jurid. Inaugural. 4.

Dictys

Wehneri.

Webneri, P. M. *Observationes Pract. cum novis diversor. JCtor. additionibus & Præfat. Joh. Schilteri.* fol.

Wenckeri, Jac. *Collectanea Juris publici antiquitatem & res Germanicas illustrantia, cum Epist. Joh. Schilteri.* 4.

Wimphelingi, Jac. *Catalogus Episcoporum Argentinens.* 4.

Zabarellæ Opera Logica, Physica & de Anima. 4.

Zentgravii, Joh. Joach. *Anti-Textor.* 4.

- - - *de Orig. Juris Gentium.* 8.

- - - *de Orig. Juris Naturæ.* 8.

- - - *Summa Juris Divini.* 8.

- - - *Detectio Syncret. contra Ambisettum.* 4.

- - - *De Origine Juris natur. contra S. Pufendorf & Strimesium.* 8.

